JANI VINCENTII GRAVINÆ JURISCONSULTI OPERA,

SEU

ORIGINUM JURIS CIVILIS LIBRI TRES,

QUIBUS ACCEDUNT

De Romano Imperio Liber singularis.
Orationes, et Opuscula Latina.
Institutionum J. Recept. Lib. IV.

Dissertatio de Censura Romanorum,
et
Institutionum Canonic. Lib. III.

Recenſuit, & Adnotationibus auxit

GOTFRIDUS MASCOVIUS

Reg. Magn. Britan. Conſil. Aul. & in Academia
Goettingenſi Juris Profeſſor.

EDITIO NOVISSIMA AD VENETI EXEMPLARIS PITTERIANI
FORMAM EXACTA;

At vero mendis quamplurimis, vel ſententiam perturbantibus, quibus Exemplar illud ſcatebat ſedula opera expurgata.

TOMUS SECUNDUS.

NEAPOLI MDCCLVI.
PUBLICA AUCTORITATE
Excudebat Josephus Raymundus
SUMPTIBUS ANTONII CERVONE.

Digitized by Google

JANI VINCENTII GRAVINÆ JURISCONSULTI DE ROMANO IMPERIO

LIBER SINGULARIS.

AD S. P. Q. R.

CAPUT PRIMUM.

De juſtis Imperii Romani cauſis. (*)

Quoniam imperandi jus inter homines oritur a ratione, per quam, contracta ſocietate civili, ſapientia legislatoris & potentia principis conferuntur ad communem & ſingulorum utilitatem, quæ unica eſt juſtorum imperiorum origo, & fons legitimus, atque perpetua cauſa univerſæ poteſtatis; propterea illud inter homines imperium, jure naturæ, dominatur, ubi rationis verſetur plurimum, quale fuerit id, quod non ad certi alicujus hominis, certæve familiæ, aut ad certarum nationum, ſed ad univerſarum ſibi adjunctarum gentium commodum fuerit honorum, atque magiſtratuum participatione comparatum ab hominibus, qui ceteris mortalibus omni virtutum genere præſtiterunt, victoriiſque ſuis cultum animi ac mentis rectum uſum profligata barbarie propagarunt: quales Romani fuerunt; qui tali erga genus humanum beneficentia, in omnes imperandi jus, veluti majores in minores, a naturæ lege acceperunt. Unde Dionyſius repreſſurus indignationem & invidiam Græcorum, Romanos iniquis animis ferentium: *Æquo animo* (inquit) *juſta ſubjectio perferenda. Naturæ namque communique omnium lege, nullo peritura tempore, præſtantiores inferioribus perpetuo præſunt. Neque accuſanda fortuna, quaſi gratuito tantum imperium urbi minus idoneæ tamdiu tradiderit. Diſcent enim* (Græci) *ex hac hiſtoria, urbem talem a ſuis continuo primordiis innumera-*

(*) Præcipuum Auctoris conſilium eſt oſtendere, Imperium Romanum a Senatu & P. R. cum principibus tantum communicatum & certis legibus adſtrictum fuiſſe, quibus neque per vim, etſi inſecuto diuturno tempore:, neque ulla alia ratione ſolvi potuerint. Quod poſterius falſum eſt, ut infra oſtendemus, cum contra lex Regia, qua poteſtati principis limites ponebantur. etiam a Jo. Friderico Gronovio & Gerardo Noodt VV. CL. CL. in ſingularibus orationibus plenius afferta ſit. Suadet vero ſimul inſtaurationem ejuſdem imperii in c. 2. ſ. ideoque hoc loco juſtas ejus cauſſas repetere voluit. Conjuncta itaque ſententia Platonis & Ariſtotelis de regno ſapientis cum opinione Holbeſii de jure potentioris in imbecilliorem, contendit, Imperium Romanum fuiſſe juſtum, quia Romani omnibus reliquis gentibus ſapientiores & potentiores fuerint. Sed cum quævis gens ſapientiſſima videatur & potentia etiam latrocinia nitantur, juſtitiæ Imperii Rom. parum præſidii repoſitum eſt in rationibus Auctoris, qui ejus originem ab unico juſtorum imperiorum fonte, legitimo civium conſenſu repetere debebat.

Digitized by Google

merabiles emiſiſſe virtutes hominum , quibus neque ſanctiores neque juſtiores , neque temperantiores in univerſa vita , neque in re militari præſtantiores unquam Græca , vel barbara civitas ulla tulit. Hinc merito Romanorum Imperio juris gentium auctoritatem tributam cenſemus: nimirum & propter ſummas virtutes victoris populi, & quia legum ſuarum auctoritatem, & linguæ uſum, & morum gravitatem, & munera omnia ſua, & civitatem Romanam, & Majeſtatem propriam nempe ſemetipſum cum ſociis ſuis, hoc eſt cum gentibus communicavit univerſis; ut in Imperio Romano ſuam ſinguli libertatem in perpetuum depoſuerint.

CAPUT II.

De Romani Imperii natura.

QUocirca Romanum Imperium definimus: ſocietatem omnium gentium (*) æqua juris ac civitatis communione contractam. Conſtat enim inſtituto Romanorum, pluribus quidem antea, poſt Antonini vero Caracalliæ conſtitutionem, omnibus, qui ſunt in orbe Romano, Romanam quoque civitatem fuiſſe tributam. Quod ſane imperium juſtis ex cauſis coaluit: quia cum terra pateat omnibus indigentibus, liceatque locum ad habitandum aut petere, aut per ſe capere, in quo naturalis ac civilis vita ducatur: fas Romulo quoque fuit ſibi ac gentibus ſecum adlectis, fundare Latino in agro civitatem, præcipuæ in Albanorum regione, in quam ille ac frater, permiſſu Numitoris Albani Regis, Coloniam deduxerunt: qualem Romam ab initio fuiſſe, Dionyſius, ſcriptor diligentiſſimus, ex veteribus monumentis oſtendit.

Fines autem Imperii ſui populus Romanus propagavit juſtis piiſque gerendis bellis, utpote non ad inferendam, ſed vel ad arcendam a ſe, atque a ſociis injuriam, vel ad opem poſcentibus præbendam, occaſione ipſa ducente, ſuſceptis. Quod fatentur legati Rhodiorum apud Livium (*a*) his verbis: *Certe quidem vos eſtis Romani qui ideo felicia veſtra bella eſſe, quia juſta ſunt, præ vobis fertis; nec tantum exitu eorum quod vincatis, quam principiis, quod non ſine cauſa ſuſcipiatis, gloriamini.*

Et tamen, etſi non omnes cauſas Imperium Romanum habuiſſet juſtas; exitu tamen redderetur juſtiſſimum, propter contributionem & communionem, quam diximus, juris ſui cum omnibus ab ſe devictis nationibus, quibus perinde ac Romanis magiſtratus capeſſere licuit & ipſum Imperium. Unde Claudianus (*b*)

Hæc (Roma) *eſt, in gremium victos quæ*
ſola recepit;
Humanumque genus communi nomine fovit
Matris non dominæ ritu; civemque vocavit,
Quem domuit, nexuque pio longinqua re-
vinxit:
Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hoſpes.

Item paullo poſt

Quod cuncti gens una ſumus.

Unde tot domitis nationibus totum mundum a Probo factum fuiſſe Romanum, ait Vopiſcus, (*c*) & Prudentius contra Symmachum. (*d*)

Hinc frenaturus rabiem Deus; undique gentes
Inclinare caput docuit ſub legibus iſdem:
Romanoſque omnes fieri, quos Rhenus, et Iſter,
Quos Tagus amphifluus; quos magnus
inundat Iberus
Corniger Heſperidum, quos interlabitur & quos
Ganges alit, tepidique lavant ſeptem hoſtia
Nili,

cum

[*] Hyperbolice Auctor Imperium Romanum ſocietatem omnium gentium appellat, tum vix decima pars orbis culti in poteſtate fuerit Romanorum. Neglectis vero ſententiis ſuperioribus, ex quibus hoc loco aſſumendum erat, Romanos etiam ab initio fuiſſe ſapientiores & potentiores reliquis gentibus, juſtitiam Imperii Romani aliunde docet, & primo quidem, quia Romanis licuerit caſas in agro Albano ponere: tum quia Pop. Rom. bella geſſerit magis ad arcendam, quam ad inferendam vim, & tandem, quia nec ſi juſtas ſemper belli cauſas habuerit, dein tamen redditum fuerit juſtiſſimum, propter jus ſuum cum devictis gentibus communicatum. Quarum rationum prima parum proficit ad rei ſummam, ſecundam æque facile negaveris ac eam Auctor aſſeverat, inprimis ſi memineris dicti Carneadis, Populo Romano, ſi juſtitia colenda ſit, ad caſas revertendum eſſe. Communicatio autem juris cum gentibus devictis lenire jugum potuit, imperium autem per ſe non reddet juſtum, niſi acceſſerit populi devicti conſenſus, ſaltem præſumptus, ex neglecta occaſione ſeſe in libertatem vindicandi.

(*a*) *Lib.* 45. *cap.* 22.

(*b*) *in Stilic. lib.* 3. *v.* 150.

(*c*) *in Probo cap.* 20.

(*d*) 54. *v.* 605.

cum quo conſonat & Auguſtinus. (*a*) Qua ratione ſicuti omnium commodo eſt inſtitutum, ita neque ab ullo everti, neque in proprii regni formulam, aut in aliud adminiſtrationis genus, ſive expreſſe, ſive tacite per temporis diuturnitatem transferri licuerit: cum neque tempus ullum, neque ulla ratio contra juſtitiam (*) dimicet & communem hominum libertatem, conditam in univerſarum fœdere nationum Imperii Romani vinculo coherentium. Quoſi ſi vel everſum, vel lacerum, vel transductum in aliam formam inveniatur, intereſt mortalium ſarcire illud, atque reſtituere collapſum, quia nihil juſtius eſt, quam continere, atque inſtaurare id, cujus diſſolutione dirimitur ſocietas nationum omnium & civile vinculum mutuæ charitatis: adeo ut jus, quod promiſcue offerebatur ſingulis, contrahatur ad paucos, qui magiſtratus, & honores, aut ad certas familias, aut ad peculiarem populum, excluſis aliis, transferant. Ceteri enim populi a communi jure libertatis adducuntur in ſervitutem, cum eis adimitur promiſcuus uſus & perfunctio magiſtratuum, quibus viciſſim ſibi parent & imperant, in quo ſumma vertitur libertatis.

CAPUT III.

De Imperio in Republica conſtituto.

PORro Imperii inſtitutio minime rempublicam ſuſtulit, neque delevit libertatem Romanam, qua populorum aliorum libertas comprehendebatur: quia Dictatoriam Auguſtus minime tulit a populo poteſtatem, (*b*) quæ patrem ſuum conjuratis objecerat; (*c*) ſed Imperatoriam (**) ſive militarem nempe armorum regimen, non evertendæ, ſed tuendæ Reipublicæ, quæ opus habuit hoc extraordinario munere in tanta vaſtitate dominationis & multitudine negotiorum, quæ ſæpe fines ordinariarum poteſtatum excedebant. Unde Cujacius (*d*) extra ordinem explicat *auctoritate Principis:* ad quam excurrendum erat tanquam ad Reipublicæ dexteram, ubi opus eſſet impreſſione militari ad compeſcendos puta motus multitudinis, & ad alia improviſa & ſubita, ſive in provinciis, ſive ipſa in urbe componenda atque ſedanda, una cum capite civilis corporis nempe Senatu, in quo mens & ratio manebat; unaque cum aliis magiſtratibus ordinariis, nempe Conſulibus, Prætoribus, cæteriſque, per quos pro ſua cujuſque portione Reſpublica gerebatur more majorum. Unde optime ac peritiſſime pro ſumma eruditione ſua Cujacius (*e*) ſcribit, regimen Reipublicæ perrexiſſe lento progreſſu a vi & poteſtate Regis ad populum, a populo ad Senatum, a Senatu ad unum non regem, ſed principem, quaſi in Rep. & Senatu primum, qui nec populi ſibi, nec Senatus jus omne vindicaret, ſed cum eo partiretur. Quamobrem Imperator erat in poteſtate Reipublicæ, Reſpublica vero ſub adminiſtratione Senatus & Imperatorum: cum Reipublicæ, Senatus conſilium, Imperator opem & arma præberet. Hinc Antoninus apud Herodianum ait: *Siquidem in illa urbe ſita eſt Imperii fortuna*; *nobis autem diſpenſatio tantum, atque adminiſtratio principatus una vobiſcum (nempe Senatoribus) poſita eſt*. Et eundem, Dion refert, exiſtimaſſe ac palam tuliſſe, omnes res omniaque negotia Senatus eſſe, &

popu-

(*a*) *in Pſal.* 58.

(*) Paullo ante tamen dixerat, Romanum Imperium etſi non omnes belli cauſſas juſtas habuerit, exitu tamen juſtiſſimum redditum eſſe propter contributionem & communionem juris ſui cum nationibus a ſe devictis, quod quare contra Romanos quoque admitti non debeat, haud apparet. Conſilium ceterum Auctoris de reſtituendo Imperio Rom. Platonis ſomniis de Republica beata, aut aliorum commentis de pace æterna, vel Monarchia univerſali merito comparaveris.

(*b*) Vellejus *lib.* 2 *pag.* 247.

(*c*) Dion *lib.* 53 *pag.* 506.

(**) Imperatoris tamen nomen Auguſto tributum multo tum plus complectebatur, quam antea nomen Dictatoris, cum Octavium cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine Principis ſub Imperium recepiſſe Tacitus auctor ſit *Annal. lib.* I. *c.* 1. & multa Veſpaſiano quoque in lege Regia tribuantur, quorum extors erat Dictator. Nomine Regis & dictatoris per *σχῆμα* politicum etiam tum Imperatores; abſtinuerunt, cum abſoluto uterentur Imperio, donec tandem nomen Imperatorium omnes Regum titulos exſuperaret. Perinde nec in ſequenti capite ſignificatus vocis princeps peti debebat a temporibus liberæ Reipublicæ, aut in §. 5. Imperantis poteſtas tam ſollicite diſtingui ab ea jubentis.

(*d*) *L. ſi cui* 92. *ff. de condit. & demonſt. lib.* 8. *reſp. Papin. L. mater* 93. *ff. eod.*

(*e*) *ad l.* 2. *§. eodem tempore ff. de O. J.*

populi, (*a*) & Tacitus: *Non regno tamen, neque Dictatura, ſed Principis nomine conſtitutam Rempubl.*

CAPUT IV.

De Principe Romanorum.

PRincipis autem nomen adeo procul erat a Rege, ut florente Rep. tribueretur ei qui præcelleret inter Senarores, quippe totius veluti Senatus caput Princeps Senatus a Cenſore appellabatur. Quo exemplo & Imperator Princeps nuncupabatur, tanquam in urbe Primus. (*b*) Quod egregie notat & ipſius Tiberii verbis diſtinguit Dion, cum refert, Principem Senatus ritu priſco vocatum Tiberium, eundumque dicere conſueviſſe, Dominum ſe eſſe ſervorum, quos habebat, Imperatorem militum; ceterorum vero Principem, hoc eſt caput civium. Talis nimirum eſt Jmperator, qualem ſe profitebatur Adrianus (*c*) in concione & in Senatu, cum palam ediceret, ſe Rempub. ita geſturum, ut ſciret, populi rem eſſe, non propriam. Hinc & Alexander Severus diſpenſationem ſe publicum re verbiſque ferebat. Diſpenſator vero ſervus erat iis, ad quem totius familiæ rationes & peculii adminiſtratio pertinebat, ut intelligamus, non arbitrium Reipublicæ, quod erat penes S. P. Q. R. ſed miniſterium tantum illius ad Imperatorem, delato Imperio; pervenire.

CAPUT V.

Quid ſit imperare.

CUjus miniſterii moderatio & poteſtatis temperamentum, imperandi quam jubendi verbo melius exprimitur: quia mitius eſt imperare, quam jubere, ut obſervare licet apud JCtos primæva, propriaque in ſignificatione præ ceteris verba locantes. Unde Paullus (*d*) ex verbo *Impero*, fideicommiſſum docet emanare, quod rogantis fere ſit; non legatum, quod eſt jubentis. (*e*) Propterea Cujacius (*f*) Principem a Domino inde diſtinguit, quod dominus jubeat, princeps imperet: quamvis apud auctores alios in verborum proprietate remiſſiores *jubere* & *imperare* confundantur. Novit vero & diligenter eorum differentiam notavit Antonius Popma (*g*) docens, *imperare* eſſe onus imponere, ut *imperavit frumentum; jubere* autem eſſe aliquid neceſſario velle, ut *bellum ex auctoritate Patrum populus juſſit*. Non negaverim tamen, majorem hoc verbum traxiſſe poteſtatem & vim ab uſu militari, cum dux exercitus ob eminentiam virtutis, & laudis, parta inſigni victoria, ingenti plauſu appellaretur Imperator etiam Imperio in republica conſtituto, quod de Blæſo memorat Tacitus; (*h*) ut hoc verbo ducibus honos militari clamore augeretur. Quod poſtea Senatuſconſulto confirmabatur. (*i*) Quem Auguſtus honorem vicies circiter a militibus acceperat. (*k*) ſed eo anno, quo quintum Conſul fuit, Imperatoris titulum in perpetuum ſuſcepit (*l*) ad explicandam extraordinariam poteſtatem armorum, in quem uſum idem titulus Cæſari fuerat, ejuſque poſteritati tributus. (*m*) Hinc poſtea hæc vox & ſummæ poteſtatis militaris exprimendæ vice fungebatur & honorandi poſt victoriam ducis, atque ipſius etiam Cæſaris celebrandi, qui toties Imperator appellabatur, quoties, re feliciter geſta, militari acclamatione hanc meruiſſet laudem, unde Imperator III. IV. V. ac deinceps pro numero victoriarum inſcribebatur. (*n*)

Cum vero Imperatoris nomen ad poteſtatem ſignificandam adhiberetur; ea voce non veniebant regia poteſtas, ut male Tillemontius, (*o*) (*) Caſaubono etiam auctore (*p*) cum

(*a*) *vide* Cauſeubon. *in not. ad* Spartian. *p.* 36.
(*b*) Lipſ. *in Tacit. p.* 6.
(*c*) Spartian. *in Adrian. cap.* 8.
(*d*) *lib.* 4. *ſent. tit.* 1.
(*e*) *vide omnino* Alciat. *l.* 7. *c.* 13.
(*f*) *ad lib.* 19. *quæſt.* Papin. *l. unum ex fam.* 67. *ff. de leg.* 2.
(*g*) *de differ. verb. lib.* 3.
(*h*) *lib.* 3. *annal.*
(*i*) Sigon. *de jur. provinc. lib.* 2. *cap.* 7.
(*k*) Caſaub. *in* Svet. *lib.* 1. *c.* 76.
(*l*) Dion *lib.* 52. *p.* 493. *& ſeq.*
(*m*) Dion *lib.* 44. *p.* 235.
(*n*) Dion *eod. lib.* 236.
(*o*) *in Auguſt. art.* 3.
(*) Tota lis cum Tillemontio in fumum abit, quia Gravina ſola imperia obſoluta regni nomine dignatur, cum Tillemontius illud etiam limitatis tribuat, e quorum numero tum omnino erat Imperium Romanum, quum poteſtas Imperatorum lege Regia circumſcriberetur, neque in rei exitu magnopere intereſſe videtur, utrum Imperator jura Majeſtatica, cum exercitum conſcriberet, pecuniam cogeret, bella ſuſciperet, pacem faceret, vi imperii explicuerit, an vi ceterorum munerum in ipſius perſona conjunctorum. (*p*) *in Jul. Caſ. c.* 76.

cum vulgo ſcriptorum ex Dione colligit; ſed militare tantum imperium, quod vi tamen & oblique, atque obſcure perveniebat eo, quo poteſtas regia palam & directo ferebatur. (*a*) Tradit quidem Dion, Imperatoris fuiſſe jus conſcribendi exercitus, belli paciſque arbitrium, pecuniarum contrahendarum facultatem, & capitalem animadverſionem. Verum non ad Imperatoriam auctoritatem hæc omnia revocat, ſed ad munera veteris populariſque Reipub. quorum ſuprema princeps in ſe transferebat, veluti crebros Conſulatus, poteſtatem Tribuniciam, Proconſulare Imperium, quibus Imperator induebat ſummam ac ſupremam civilibus etiam in negociis poteſtatem in principem tranſeuntem non jure quidem regio, quod Brutus extinxerat, neque ex Dictatura, quam Auguſtus, utpote ſibi maxime periculoſam inviſamque populo recuſavit, ſed jure ordinariorum magiſtratuum a ſe ſuſceptorum: quibus in unius perſonam vel perpetuo cumulatis, vel crebro repetitis ad exitum Regiæ poteſtatis arte hac ſubdola perveniebat is, cui tradebatur militare imperium, per quod munera, quæ vellet, ad ſe civilia trahebat; cum leges plerumque pareant armis. Ideo Dion (*b*) poſtquam conſuetos Imperatoris magiſtratus enumeraverat, ſubjicit illius facultates non ex Imperatorio jure, ſed ex illis magiſtratibus profluentes: ait enim, Imperatores ἐκ μὲν τούτων τῶν ὀνομάτων ex horum (nempe magiſtratuum) nominibus exercitus conſcribere, pecuniam cogere, bella ſuſcipere, pacem facere, & inferius καὶ ἐκ τούτων τῶν δημοκρατικῶν ὀνομάτων, πᾶσαν τὴν τῆς πολιτείας ἰσχὺν περιβεβλῆνται. *Itaque his popularibus nominibus omne induunt Reipublicæ robur*. Plurima vero eorum, quæ Imperatoribus adſcribunt hiſtorici ſine mentione magiſtratuum ſuſceptorum, ea omnia illorum ad magiſtratuum poteſtatem, non ad poteſtatem ullam Regiam Imperatoris eſſe revocanda, plurima antiquitatis monumenta teſtantur, præcipue illud Ancyranum, quo res ab Auguſto geſtæ atque a ſe ipſo in breviarium redactæ continentur, præcipue cap. 2. cujus hæc ſuperſunt:

Patriciorum numerum auxi Conſul V. juſſu populi & Senatus, Senatum ter legi, & in Conſulatu VI. cenſum Popul. Roman. Collega M. Agrippa egi.

En hæc omnia, quorum ad exemplum & alia licet conjicere, non Imperatoriæ poteſtati, ſed Conſulatibus, & poteſtati Cenſoriæ a populo & Senatu impetratæ tribuuntur. Mos item ſcriptorum eſt, ut qui cauſam mortis reo dedit, pro auctore proferant: veluti Svetonius initio vitæ *Vitellianæ* inquit *accuſavit*, *condemnavitque*, cum idem accuſator & condemnator eſſe nequeat. Sed quia cauſſa fuit, ut condemnaretur ex accuſatione ſua, propterea judicis etiam ei perſonam impoſuit, ad quod exemplum trahi poſſent plurima, quæ tribuuntur Imperatoribus, non ex auctoritate Imperatoria profecta ſed ex occaſione ab ipſis Cæſaribus oblata. Nam & Ulpianus accuſatori condemnationem tribuit, propterea quod per illius accuſationem reus a judice condemnetur. Unde ſcribit: *peregiſſe reum* (accuſator) *non alias videtur, niſi & condemnaverit*, hoc eſt, niſi effecerit ut condemnaretur.

CAPUT VI.

De origine Imperatoris.

Est igitur Imperator ſummus ac perpetuus dux exercituum Romanorum. Quam Auguſtus auctoritatem, ne per hanc viam redire occulto videretur ad Dictaturam, nunquam in perpetuum, ſed aliquando in quinquennium, ſæpius in decennium accepit, ut eam tamen tota vita continuarit, decimo quoque anno Imperio ſibi prorogato, per cauſſam rebellantium provinciarum, quas decennio pacari poſſe toties obtendebat, quoties exeunte Imperii die rogatus ac tanquam invitus erat illud iterum recepturus. Inde orta decennalia ſequentium etiam Imperatorum, qui etſi crearentur in perpetuum, tamen decimo quoque anno feſtis diebus, & ſolemnibus ludis, velut Imperii ſibi renovati lætitiam ſimul cum populo capiebant. (*c*) Provincias vero ita cum Senatu diviſit Auguſtus, ut indomitas & tumultuantes; quibus coercendis opus eſſet copiis militatibus, ipſe ſuſceperit, verbo qui-

(*a*) *vide* Sinet. *apud eundem* Caſaub. *in vita Adrian. cap.* 11. *verbo ego conv. reg. mor. militib.*

(*b*) *lib.* 53. *pag.* 508.

(*c*) Dion *lib.* 53. p. 570.

quidem quaſi majus periculum pro Republica ultro ſubiturus; re autem ut ſimul cum provinciis illis etiam exercitus ad eas provincias mittendas, & militiam univerſam, qua cives perterrefaceret, in poteſtate haberet; (*a*) pacatas vero provincias & tranquillas, unde honorificentiæ plus quam virium trahebatur, Senatui Populoque permiſit: unde & Italia in Senatus adminiſtratione permanſit: (*b*) ideoque inter Cæſareas provincias a Dione (*c*) minime recenſetur, quod inde contigit, quod nemo unquam Imperatorum, ac ne quidem triumviri ipſi de Italia, quæ domina erat omnium provinciarum, ſed pro Italia certare ſe oſtendebant, ideoque in diviſione Imperii inter Lepidum Antonium & Octavium, nulli eorum Italia fuit attributa: ſed in Senatus poteſtate manſit, nec ad eos pervenit, qui tantum pacandarum provinciarum cauſſa, quibus Italia præerat, militare Imperium retinebant. Hæc enim Dion ſcribit: (*d*) Italia ἐξαίρετρι αεὶ ποτε ἴντω τοῖς τοῖ ἱμετεν. pag. 357. (*)

CAPUT VII.

De Cæſareis Magiſtratibus & de Pontificatu Maximo.

SEd jam Imperatorem ex acie productum, perducamus ad eos magiſtratus, per quos poteſtatem omnem civilem occupavit. Quam Principes tuto ſe minime ſperabant retenturos, niſi eam religione muniiſſent, ſuſceptoque Pontificatu Maximo, arripuiſſent poteſtatem rerum divinarum, (*e*) quibus humana omnia obligantur atque volvuntur. Igitur, ut per divina in arbitrium ſuum humana omnia redigerent, Imperatores non ſolum Auguratum, & Quindecimviratum ſacrorum, que majora ſacerdotia erant, ſed Auguſti exemplo, ipſum ſuſceperunt Pontificatum Maximum. Quo jure Pontificibus aliis ac ſacerdotiis omnibus imperabant, de ſacris, ceremoniis, & ritibus, omnique Deorum cultu non Edicta proponebant modo, ſed & ferebant Leges; (*f*) ac, ſi vellent, ſimul cum aliorum Pontificum collegio multabant violatores ſacrorum, & cauſſas religionum judicabant, & obſcurum quod eſſet in jure ſacro interpretatione pandebant. A qua ne poteſtate caderent Imperatores Chriſtiani, dum vetus ſuperſtitio adhuc maneret, ad Gratianum uſque, Pontificatum Maximum, etſi animo rejectum, extrinſecus tamen hactenus, arbitror, uſurpaverunt, quatenus eis neceſſaria eſſet ſacerdotii illius auctoritas: quam ita cum nomine, & forſan cum amictu etiam Pontificatus induebant, ut ritus tamen, ceremonias & ſacrificia Pontificalia, quæ in falſorum numinum honorem vertebant, omnino repudiarent. Nam ſi auctoritatem ipſam Pontificiam abjeciſſent, & reliquiſſent aliis tantam muneris potentiam; non ſolum amiſiſſent omnes jus ſacrorum & auſpiciorum ſive civilium, ſive militarium, quibus populus & milites in fide continebantur; neque tantum ſe in ſuperſtitione nondum ſatis inclinata magna imperii portione, multaſſent; ſed & grave periculum ſibi creaſſent ab eo, qui falſorum ſacrorum auctoritate per homines veteri errore correptos res & conſilia Principis turbare potuiſſet. Quam ſacrorum poteſtatem, ſuſcepto amictu Pontificio, exprimere oportebat: ideoque haud facile a Zoſimo diſſenſerim, qui refert, poteſtatem ſimul hanc & inſigne illius prælatum fuiſſe ab Imperatoribus etiam Chriſtianis uſque ad Gratianum, qui primus, egregio pietatis exemplo, recuſato amictu Pontificio, exteriorem quoque faciem hujus ſuperſtitioſi muneris a ſe avertit; utcunque Gothofredus junior, & cum recentioribus aliis eruditorum Tillemontius contra Zoſimum pugnent: quem alia præter

(*a*) *lib.* 48 *in princ.*

(*b*) Dion *lib.* 53. Tacit. *annal.* 1. Strab. *liber ult. in fine.*

(*c*) Tillemontius *in Auguſt. art.* 4.

(*d*) *lib.* 48. *in princ.*

(*) Deſcriptionem Imperatoris, in principio hujus capitis proditam, nemo tulerit in Principe Romano. Auguſtus cum nomen Imperatoris declinat, & Imperium in quinquenuium tantum vel decennium ſuſcipit, populi auribus inſidiatur; re ipſa ſatis oſtendens, id ſe agere, non, ut nomine Senatus Imperator ſit exercitus, ſed ut Majeſtatem cum Senatu & populo Romano ſaltem diviſam & communem habeat. Si dux tantum exercitus Romani erat, provinciis turbulentis præeſſe poterat, etiamſi eæ in poteſtate manſiſſent Senatus. Quæ in fine capitis de Italia dicuntur, elegantis ſunt obſervationis.

(*e*) Dion *lib.* 53.

(*f*) Dionyſ. *lib.* 2. *p.* 132. *ſub. num.* 4.

ter argumenta, tuetur hæc potiſſimum a nobis adducta ratio exercendæ ſacræ poteſtatis, juriſque auguralis, quo ſine vinculo quonam pacto Imperator tot milites a vero cultu aberrantes ad militare ſacramentum adegiſſet, militarique diſciplina rexiſſet, quæ falſorum numinum religione nitebatur? Quin imo Religio, non ſolum, quæ dimicat armis divinitatis; ſed etiam falſa, quæ armatur viribus multitudinis, adeo pollet in rebus humanis, ut quando Princeps tuliſſet ullum ſe ſacrorum auctoritate majorem, ſi qua contentio ſacrorum cauſa erupiſſet, periculum fuiſſet, ne inter motus vulgi rerum divinarum arbitrum arbitro humanarum facile præferentis, ab ipſis militibus religione perſtrictis, & dirarum formidine correptis adduceretur in Pontificis Maximi poteſtatem. [*]

CAPUT VIII.

De Tribunitia poteſtate.

POſtquam autem Imperatores præſidio ſibi adjunxerunt auctoritatem divinam, ſuam in cuſtodiam vim etiam adhibuere popularem, aſſumta poteſtate Tribunitia, [a] in qua populus vires omnes ſuas, ac talem immunitatem collocaverat, ut qui Tribunum verbo aut re violaſſet, is tanquam ſacrilegus ac devota Diis victima impune interficeretur: propptereaque Tribunitia poteſtas ſacroſancta dicebatur, quia ſancitum erat, ut ſacer Diiſque immolandus eſſet quiſquis Tribunum offendiſſet. Quoniam autem Tribunus creandus erat e plebe, Imperator vero in Patriciorum numero cenſebatur, propterea non Tribunum ſe conſtituebat, ſed ſuſcipiebat Tribunitiam poteſtatem, ut relicto munere plebejo, muneris tamen auctoritatem aſſequeretur: quæ in Senatusconſultis impediendis per interceſſionem Tribunorum propriam, & in legibus ad populum ferendis, & in defendendis civibus verſabatur, & præſertim in vitæ famæque ſecuritate, quam omnem Princeps trahebat a poteſtate ſacroſancta Tribunorum, in qua fundabantur majeſtatis leges: quibus eo nomine rei damnabantur, quod populum in Tribuno, & Tribunum in Principe violaſſe cenſerentur: adeo ut animadverſio capitalis, qua plurimos ſibi infenſos, aut ſuſpectos Imperatores ſuſtulerunt, non e regio jure, quod Roma exulabat, ſed e poteſtate Tribunitia profluxerit, per quam jura populi univerſa Princeps exhauſerat. Ideo Tacitus [b] ait: *Id ſummi faſtigii vocabulum reperiſſe Auguſtum, ne Regis, aut Dictatoris nomen adſumeret: & tamen appellatione aliqua cetera Imperia præmineret.* Et Svetonius (c) refert, Tiberium jure Tribunitiæ poteſtatis ultum fuiſſe convicium in ſe jactum, cum inter græculos ſophiſtas Rhodi verſaretur: citato pro tribunali, atque in carcerem conviciatore conjecto. Tribunitiam porro poteſtatem, excepto Tiberio, cui tribuebatur in quinquennium, (d) Auguſtus (e) exemplo Julii Cæſaris accepit perpetuam, quam ſequentes Imperatores ſibi renovabant ſingulis annis, quibus Tribuni alii creabantur: adeo ut ex annis Tribunitiæ poteſtatis qui notantur, anni colligantur Imperii: quamvis Imperatores non a Kalend. Jan. quibus Tribuni magiſtratum inibant, ſed a die, quo poteſtatem [**] ſuſceperant annos poteſtatis ſuæ Tribunitiæ ad Claudium uſque II. Cæſarem numerarent.

CAPUT IX.

De Cenſura.

UT autem Principes famam, & ſtatum aliorum propriæ poteſtati ſubjicerent, atque

(*) Itaque jus circa ſacra quoque, eximiam Majeſtatis partem, apud Romanos exercebat Imperator. Superſunt etiamnum in Codice complures leges, quibus externus Eccleſiæ ſtatus, tum quoque paganorum cultus ordinatur, ſive reſtringendus is viſus ſit, ſive fovendus aliquantulum. Conſtantini M. Conſtitutiones ad ſacra pertinentes inter cæteras expoſuit Balduinus in *Conſtantino Magno*.

(a) Dion *lib.* 49. & *lib.* 53. *lit.* C.

(b) *lib.* 3 *ann. p.* 125.

(c) *in vita Tiberii cap.* 11.

(d) Sveton. *in Tiber. cap.* 16. Dion *lib.* 42. *pag.* 194. & *p.* 243.

(e) *idem in Auguſt. cap.* 27.

(**) Eadem ſententia Pighii, Pagii & Ezechielis Spanhemii, ſed eam luculenter refellit Vir eximius, Chriſtianus Gottlieb Schvvartzius in *Exercitatione de numeranda Tribunitia poteſtate Auguſtorum Cæſarumque Romanorum*, qua oſtendit, hanc regulam in iis tantum Imperatoribus veram eſſe, qui ex vita privata ad Imperium evecti fuerint, fallere in his, quibus data fuerit Tribunitia poteſtas, antequam Imperio admoverentur, quales fuerint Tiberius, Titus, Trajanus. Marcus, Lucius Verus, Commodus, Caraçalla & Geta.

atque in vitam & mores civium animadvertentes, quem vellent Senatorem e Senatu moverent, Equitem ex equeſtri ordine ad plebejos rejicerent, bonaque aliena cenſu agendo pro ſuo arbitrio æſtimarent; Cenſoriam poteſtatem gerebant, vel ſolo exercitio ſine ullo honore & nomine, (*a*) vel cum nomine atque honore magiſtratus, ut Domitianus, (*b*) qui Cenſuram perpetuam ſuſcepit, vel ſub nomine præfecturæ morum, ut Julius Cæſar, (*c*) aut morum legumque regiminis, ut Auguſtus, (*d*) qui patris exemplo, mutato ejus magiſtratus nomine, Cenſuræ odium invidiamque mulcebat.

CAPUT X.

De Proconſulatu.

URbanis hiſce magiſtratibus in eorum perſonam collatis Imperatores conjunxerunt ſupremum provinciarum regimen delatum a Senatu per imperium Proconſulare, quod iis tribuebatur omnibus, adeo ut non modo in provinciis unverſis eam poteſtatem naniſcerentur, quam ſinguli Proconſules in ſua, ubi rebus in civilibus poteſtatem, & in militaribus imperium habebant lege Curiata: ſed imperium quoque liberum, ac ſummum ſine provocatione, quale Cn. Pompejus bello piratico lege Gabinia impetraverat, [*e*] ubi fuiſſent Imperatores creati, a Senatu accipiebant. Quod imperium Proconſulare extra pomœrium, ſive urbe ſtatim egredientes ſublatis inſignibus expromebant in omnem orbem Romanum, proptereaque & Proconſules appellabantur: (*f*) quamvis & intra pomœrium Auguſtus idem imperium ex S. C. retinuerit. Idque imperium eſt illud militare, in quo cardo vertitur principatus: quod florente Republica perquam raro & paucis, ac præfinito tempore; Imperatoribus vero tota vita tradebatur, tanquam Conſules crearentur provinciarum omnium; cum Proconſul in certam provinciam Conſularem poteſtatem explicaret. Quo imperio cum Principes omnem Proconſulum poteſtatem adprehenderint, propterea non conſueverant ſolemniter inſcribi *Proconſules*, ne veluti certis provinciarum finibus incluſi modum imperio ſuo accipere viderentur. Quæ cauſa latuit Caſaubono valde admiranti, quod in ſuis titulis Principes illum *Proconſulis* non inſererant. Etſi non deſint inſcriptiones antiquæ [*] Imperatorum, [*g*] in quibus abſciſſe legitur *Procos.* vel *Proconſ.* Sed vel ab ignaris hæc & plerumque imperitis rerum civilium fabris adjecta fuerunt, quod intelligerent, Imperatorem agere atque haberi ubique Proconſulem: vel Proconſulare ſignificant imperium. Quo facilius mihi perſuadeo, ex omnibus Imperatorum juribus Proconſulare imperium, velut eorum fuiſſe ordinariam poteſtatem; cum nunquam illis a Senatu deeſſet, ubi ſemel a militibus Imperatores appellati ſub ductu auſpicioque ſuo P. R. exercitus accepiſſent. Tum enim eos, tanquam cognata poteſtas, Proconſulare imperium perpetuo comitabatur: utpote auctoritas militaris, quæ a Senatu ad confirmandum militum judicium, & ad expediendum munus Imperatorium tribuebatur: adeo ut in Imperio Proconſulari juris Imperatorii ſumma verſetur: quo imperio ablato, ipſe videtur ademtus Imperator; cum ſi auferantur magiſtratus urbani, nempe Tribunitia poteſtas, & Cenſura, nihil de Imperatorio munere pereat. Ideoque Tribunitia poteſtas, utpote adventitia ſimul, & ſummopere Principi neceſſaria, titulis interjicitur ſemper, ne ſua cum fraude intermiſſa videretur ab Imperatore; Proconſulare vero Imperium ſæpius omittitur, quia omnium opinione cum jure Imperatoris cohærebat, ut opus eo expreſſo non eſſet. Quod enim in diſcrimen venire nequibat, nullis titulorum erat monumentis reparandum. Ad coercendas quippe provincias per Imperium Proconſulare, Reſpublica ediderat Imperatorem. Ideo Trajanus, ut videretur ſibi deſignaſſe ſucceſſorem Neratium Priſcum, (*h*) hæc ad eum

(*a*) Dion *lib.* 53.
(*b*) *faſti conſulares.*
(*c*) Cicer. *lib.* 9. *epiſt.* 15. *ad fam.* Dion *lib.* 43. Sveton. *in Jul. cap.* 76.
(*d*) *faſti conſulares.* Sveton. *in Aug. cap.* 27.
(*e*) Plutarch. *in Pomp.*
(*f*) Dion *lib.* 53. *pag.* 508.
(*) Ex Marſigli *monumentis Danubialibus* quoque inſcriptiones duas, in quibus Proconſulis titulus nomini Imperatoris ſubjicitur, Schvvartzius exhibet. §. 13. Rationes rei alii alias reddere ſatagunt. Spanhemius inter ceteros id ideo factum putat, quia Imperatores tantum, cum extra Urbem eſſent; hoc nomen uſurpaverint.
(*g*) Vide Salmaſ. *in Marc. Antonin. cap.* 6.
(*h*) Spartian. *in Adrian. pag.* 21.

eum verba dixerit: *Commendo tibi provinciaſ, ſi quid mihi fatale contigerit*.

CAPUT XI.

De jure referendi.

AD horum magiſtratuum plenitudinem Senatus adjiciebat Imperatoribus munera quædam conſularia, quæ ſcilicet etiam quando Conſules non crearentur, communia cum Conſule habebant Imperatores, non jure quidem ſuo, ſed ex facultate tributa. Eaque ſunt poteſtas habendi Senatus, & Senatuſconſulta faciendi, & ad Senatum referendi ſemel, aut bis, aut ter, ſive de una, duobus, tribuſve rebus: quod jus primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ relationis appellabatur; nam hunc ſupra numerum conceſſum non invenitur. Quod ſatis arguit, quam procul abiret ab Imperatorio munere poteſtas regia illa, quæ pulſis Tarquiniis, ſingulis annis per populi Comitia conferebatur in Conſules, in quos jure magiſtratus tranſibant munera iſta, quorum Imperator Senatus conceſſione potiebatur: adeo ut non quemadmodum Conſules ſtatim poſt initum magiſtratum, aut aliquando poſt ipſorum deſignationem; ſed poſt jus referendi eis a Senatu oblatum totidem de rebus relationem facere poſſent Imperatores, quot ferret a Senatu tributa facultas: quæ non eodem ſemper numero ad eos perveniebat. Auguſtus enim, quoties Senatus convocaretur, jus habebat unius tantum relationis, ut refert Dion, [a] cujus ſincerum ſenſum a Xilandro everſum, optime reddidit Caſaubonus, [b][*] qui locum Dionis illum ita reſtituit: καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς ὅτου ἂν ἐθελήσῃ κατ' ἑκάστην βουλὴν. κἂν μὴ ὑπατεύων ἔδωκε. *Et ei permiſit* (nempe Auguſto Senatus) *de una re quamcumque voluiſſet, quoties Senatus haberetur, relationem facere, quamvis Conſul non eſſet*. Xilander, neglecto ἑνὸς, non ſine ſummo crimine, verterat, *de quibuſcunque vellet*, quaſi liberum Auguſto per Senatum eſſet de rebus omnibus referre in infinitum: cum id, utpote portio poteſtatis Conſularis nempe regiæ, per quam parce tribuerentur Imperatoribus, inter quos Probus (c) jus tertiæ relationis accepit, Pertinax quartæ, (d) M. Antoninus quintæ. (e)

CAPUT XII.

De Patris Patriæ appellatione.

QUO autem admoneretur Imperator, ſe Reipublicæ cauſa imperare, non ſua, eundem honorem ferebat a Senatu, quem M. Tullius conſervator urbis acceperat a Q. Catulo, nempe Patris Patriæ appellationem: qua Principi populus non tradebatur tanquam in patriam poteſtatem; ſed tanquam liberi paternæ bænevolentiæ ac beneficentiæ commendabatur: ut Imperatores quidem beneſactis eorum a populo parentum cenſerentur loco; populus vero illorum tanquam parentum officiis & laboribus frueretur. Quo ſenſu iſtitutum hunc honorem fuiſſe, cum primum Julio Cæſari, (f) deinde Auguſto deferretur, ſcribit Dion, utcunque huic eidem honori ſequentium temporum adulatio juris patrii aliquid indiderit: quod forſan in hortando atque admonendo ponebatur. Hinc Tiberius, ſive uti modeſtiæ ſimulator calliſſimus, qualis a Tacito in deterius omnia Principis illius trahente perhibetur, ſive poteſtatis, quam illuſtrium nominum appetentior, cognomentum hoc tanquam inutiliter invidioſum reſugit. Adrianus (g) diſtulit, Auguſtum imitatus, a quo ſero acceptum memorabat: tribuebatur enim, ut Appianus ſcribit, non ad amplificationem poteſtatis, ſed ad perſectum teſtimonium egregie meritorum.

CAPUT XIII.

De Senatoria Imperatoris dignitate.

PRæterea ut Princeps potiretur Senatus juribus, & ejus ordinis majeſtatem tueretur, unde & ipſe duceret ſuam; ſi creatus Imperator antea Senator non fuiſſet, ad impe-

(a) *lib. 53. in fin. p. 516.*
(b) *in Sveton. lib. 1. cap. 20.*
(*) Ex Caſauboni ſententia Dionem interpretatur Gutherius de *Off. dom. Aug. lib. 9. cap. 41.* Caſaubono illaudato. Sed poterant hæc eadem etiam pluribus in mentem venire.
(c) Vopiſcus *in Probo.*
(d) Capitolin. *in Pertinace.*
(e) *idem in M. Antonin.*
(f) Sveton. *in Jul. Caſ. c. 76. in Aug. c. 58.* Dion *lib. 44. p. 242.*
(g) *lib. 53. pag. 509.*
(h) Spartian. *in Adrian. p. 17.*

perium vocatus continuo in Senatum legebatur: propterea quod ex Imperatore ac Senatoribus unum in Republica corpus componeretur ad regimen orbis terrarum: ut profitetur Julianus. (*a*) Quam poteſtatis communionem cum Senatu ita oderat Nero, ut Vatinius, cum gratius ei blandiretur, diceret: *Odi te, Cæſar, quod Senatorius es*. Urebat nimirum ſuperbos Principes plura ſibi eſſe permiſſa tanquam Senatoribus, quæ pro ſuo jure tanquam Principes uſurpare maluiſſent. (*b*) Nam Auguſti appellatio venerationis & honoris, non poteſtatis incrementum afferebat: Octavius enim erubeſcens ſibi Romuli nomen adſerere, illud Auguſti ejus loco accepit ad ſucceſſores productum ſimul cum Cæſaris cognomento, quo ille ſucceſſionem hereditariam Julii; poſteriores vero Principes proximam ſuam Imperii ſpem notavere: Unde Cæſar tanquam deſignatus; Auguſtus tanquam ſublatus ad Imperium, Princeps dicebatur, de quo alio loco fuſius. Nunc enim opportune ſubjiciemus Senatus poteſtatem, ut doceamur quæ Princeps tanquam Senator gereret, & quam poteſtatem Senatus in Principem, utpote Senatorii corporis portionem retineret.

CAPUT XIV.

De auctoritate Senatus.

ROmulus igitur imbutus inſtitutis Græcorum e commercio finitimarum gentium, apud quas Numitoris juſſu fuerat educatus, regimen fundaturus in exulum turba & agreſtium ac bellicoſorum hominum, odio ſervitutis & ſpe augendæ libertatis ad eum confluentium; ſui Principatus exemplum non cepit a ſtolida dominatione barbarorum, atque Perſarum, quorum jura omnia e Regis voluntate fluebant; ſed a Theſei regno, qui belli tantum ſe ducem, & legum cuſtodem ferebat; cetera civibus permittebat, [*c*] & a Republica Lacedæmoniorum, quorum ſub Regibus Senatorii, ac Plebei ordinis auctoritas, & per eam civium libertas integra manebat. [*d*] Quocirca publicam poteſtatem Romulus inter Regem, Senatum, & Populum ita diſtribuit, ut nullius potentia communem everteret libertatem. Quamvis enim domi militiæque ipſe præeſſet; juſſa tamen ſua ſuſpendit a judicio Senatus (*e*) illi enim publicorum omnium negotiorum permiſit auctoritatem, plebe ipſa minime neglecta, cui, eum in univerſi populi corpus concederet; (*) magiſtratus creationem, & legiſlationis jus, & belli paciſque reliquit arbitrium. Unde Minucius apud Dionyſium (*f*) memorat, ſub Regum adminiſtratione nil actum ſine S. C. fuiſſe: adeo ut nec populi ſcita ſine S.C. rata haberentur [*g*] quamvis poſtea verſa ratio fuerit, aucta populi potentia, qui non modo lege Valeria judiciorum capitalium poteſtatem accepit, inſtituta provocatione ad populum; ſed tribunitiis contentionibus obtinuit, ut omnia Senatuſconſulta populi judicio comprobarentur.

CAPUT XV.

De Republica in Senatum translata & de Comitiis.

IMperio autem in Republica exorto, elanguerant quidem vires animique Senatorum ſibi cuique metuentium a potentia militari unius in manu collocata; non tamen ceciderunt, ſed potius invaluerunt jura Senatus, quoniam Imperatores facilius ſibi ducentes nobilium & paucorum, quam ignotæ atque infinitæ multitudinis, ſive metu, ſive gratia verſare animos; arte potentiaque ſua curarunt, ut Comitia e populo transferrentur ad Senatum; in quem una cum Comitiis tranſierunt omnia jura populi & conſequenter magiſtratuum creatio, & judicia capitalia, & ſumma legum poteſtas, & belli paciſque arbitrium: ut breviter omnis Reſpublica e campo migrarit in curiam. Quæ Comitiorum ſub Dictatura, & Triumviratu turbatorum translatio non Auguſtum, qui ea priſtino more ad populum ſibi morigerum revocaverat; [*h*] ſed Tiberium

[*a*] *l. 8. C. de dignit. ubi* Cujac.
(*b*) Plinius *in Paneg.*
(*c*) Plutarch. *in vita Cleomenis, & Ageſilai.*
(*d*) Polyb. *lib. 6.*
(*e*) Dionyſ. *lib. 2. p. 87. de Sen.*
(*) Ratio loquendi minus perſpicua. Illud vult, credo, reliquum tum populum, præter Romulum & Senatum, plebem fuiſſe.
(*f*) *lib. 7. p. 445.*
[*g*] Livius *lib. 1.*
[*h*] Dion *lib. 53. p. 511.* Svet. *lib. 2. cap. 40.* Tacit. *annal. lib. 1.*

berium habuit auctorem, qui ſibi minus putans negotii fore cum paucis, quam cum univerſis; ut deprimeret plebem, avito plebejorum odio extulit optimates, & exercitium poteſtatis civilis populo ereptum, tradidit Senatoribus: quorum voluntas, motus, atque conatus ei & apertiores erant, utpote cum de illorum numero eſſet ipſe unus, & flexibiliores propter militarem potentiam, qua facilius divites, & nobiles opibus honoribuſque ſuis metuentes, quam ignota, & improvida multitudo, comprimuntur. Unde ab eo tempore popularis quæ fuerat, verſa eſt in Rempublicam optimatum, cujus militare caput erat Imperator, civile Conſul; corpus vero integrum Senatus. Et quamvis Tiberio, niſi ab omnibus rogaretur, fas non fuiſſet mutare Rempubl. tamen quia initio populus non admodum indigne tulit, poſtea vero neglexit ac diſſimulavit, ut Tacitus teſtatur, qui ſcribit, (*a*) *populum ademtum ſibi Comitiorum jus queſtum non eſſe niſi inani rumore*; propterea quod initio quidem erat infirmum, utpote non a communi conſilio, ſed ab unius potentia procedens, poſtea tamen tacita populi voluntate, atque illius ratihabitione convaluit: præſertim quia loco ſuffragiorum, populus favorem ſuum præſtabat iis, qui a Senatu crearentur, ne deeſſe videretur populus Conſulibus creatis; ut oſtendit Tacitus, cum ait: *Vitellium, ut ſe popularem ferret, Comitia Conſulum cum Candidatis celebrantem, omnem infimæ plebis rumorem in theatro ut ſpectatorem, in circo ut fautorem affectaſſe*. (*b*) Propterea etiam Dionis tempore Comitia durabant: ne contra leges creati viderentur magiſtratus ὁσίως ἔννομα, ut ille ait. [*c*] Nam neque Spartanorum, aut Athenienſium inſtitutorum variatio ex Licurgi, aut Solonis auctoritate; ſed ex populorum comprobatione ſuſtinebatur. Et adfert item, [*d*] ideo Cæſari poſt devictum Pompejum ſumma omnia munera fuiſſe decreta, ut iis decernendis, auctoritatem eorum conferendorum populus Romanus retineret, atque ex nativa poteſtate ſua tribueret, quod præ ſe ſibi Cæſar arripuiſſet. Hinc a Tiberii tempore magiſtratus creabantur ſuffragiis Senatorum convenientium in Curiam, quo Princeps mittebat candidatos: quorum aliquot omnium ſuffragia laturos Senatui commendabat, alios ſtudiis fautoribuſque ſuis, & ſorti tradebat, ut refert Dion [*e*] Ex quibus qui impetraſſent, ne populus a Comitiis omnino videretur excluſus, in publicum a ſuis deducti neceſſariis prodeuntes, ad imaginem vetuſtatis renunciabantur. Unde tradit Svetonius in *Domitiano:* [*f*] *Domitianum Comitiorum conſularium die deſtinatum perperam a præcone non Conſulem ad populum, ſed Imperatorem pronunciatum*. Quia in adumbratione veterum Comitiorum populus auctoritatem ſuam retinebat, ejuſque jura his in imaginibus perinde in poſterum vivebant, ac doctrinæ & res perpetuo vivunt in monumentis literarum. Nam; per figuram eam veterum Comitiorum, populus conſtantem ſui juris conſervandi voluntatem ſignificabat, ut per ſuffragia Senatorum, & Principis, perque adhibitam ſpeciem vetuſti moris, ipſe populus poteſtatem civilem ſibi nunquam exutam fundere videretur in candidatos. Neque Dion [*g*] diverſitatem ullam creationis Conſulum, & magiſtratuum aliorum prodit: quia ſermonem ille non de creatione magiſtratuum inſtituerat, ſed de arbitrio, quo Tiberius, inſtituendo tempore Conſulatuum, ac numero magiſtratuum aliorum, utebatur: Unde cum retuliſſet arbitrium illius ſuper tempora Conſulatuum; poſtea tranſit ad arbitrium ejuſdem ſuper aliorum numero magiſtratuum: quos, cum in Senatu creari ſcribat, non excludit Conſules, de quibus ſupra memoraverat: eos enim tacite ſub nomine magiſtratuum, qui in Senatu petebantur, meo judicio comprehendit: cum oratio ſequens, quatenus pertinet ad Comitia, quæ agitabantur in Senatu, commode referatur etiam ad Conſules in ſuperiori orationis parte locatos. Dum enim Dion arbitrium Tiberii refert in Conſulum tempore ac numero moderando, non ad creationem ordinariorum Conſulum reſpectum habet; ſed ad ordinationem ſuffectorum: quorum aliquando unum, aut binos, aut ternos

cis

(*a*) *lib. 1. annal. pag. 11.*
(*b*) *lib. 3. hiſt. cap. 91.*
(*c*) *pag. 42.*
(*d*) Dion *lib. 42. p. 194.*
(*e*) *lib. 85. p. 634.*
(*f*) *cap. 10.* (*g*) *lib. 58. p. 633.*

cis ultrave duos menſes conſuetos arbitrio ſuo creabat, exemplo Julii Cæſaris, qui primus, teſte eodem Dione, [a] commentus eſt hujuſcemodi Conſules, ut eluderet poteſtatem ordinariorum, qui nomen anno dabant, & ſoli legitimam poteſtatem retinebant, utpote a Senatu manantem, ubi erant auſpicia, & auctoritas inſtituta more majorum; adeo ut in ſuffectos tantum tranſiret exercitium. Hinc inſignia conſularia, & ſcipiones eburnei, quæ ſymbolum erant, & argumentum Conſularis imperii, a Senatu tradebantur, perinde atque hodie a ſummis principibus tribuitur auctoramentum, quod barbari vocant inveſtituram. Quamobrem non dubitarim ex eodem Dione deducere communem Conſulum & magiſtratuum aliorum creationem: per commendationem ſcilicet, & ſuffragium Principis ac Senatorum, & deſignationem apud populum: ne Senatu, ac plebe prorſus excluſis, vitio creati Conſules haberentur, & religione vetarentur munus nefarie impetratum exercere. Unde, utcunque aliquid peculiare habuerint Comitia Conſularia quod nondum innoteſcat, omnino certe oportuit Principes non e potentia ſua militari proferre Conſulatum candidatis, ſed rite Senatus e legitima poteſtate, publicaque auctoritate, ſine qua non Conſules fuiſſent, ſed ſatellites tyrannorum. Et ſane ſi ſuo jure Princeps creabat Conſules, quid opus erat ejus teſtimonio ad futurorum Conſulum creationem? Atqui ex Spartiano [b] ſcimus, Didium Julianum Conſulatum ſibi meruiſſe teſtimonio Imperatoris. Teſtimonium vero Imperatoris, non apud Imperatorem ipſum proferendum fuit; ſed apud alium, qui auctoris loco aut judicis eſſet, nempe apud Senatum & populum; repugnat enim, eundem eſſe teſtem, qui & judex. Quam Tacitus [c] Conſulum creationem per Comitia ignorare non potuit; utcumque illam, quæ ſub Tiberio uſurparetur, obſcuram ſibi fateatur. Etenim præter Svetonii locum [d] ſuperius adductum, alium ejuſdem locum habemus in Vitellio, [e] quem Comitia Conſularia in decem ordinaſſe tradit annos. Quo in loco notandum, inter nefaria Vitellii a Svetonio poſitum fuiſſe, quod in decem annos Conſularia Comitia ordinaverit, & ſe perpetuum Conſulem ediderit. [f] Et in *Veſpaſiano* memorat [g] Comitia ſecundi Conſulatus, ut intelligamus, ſine Comitiis Imperatoris arbitrium ſatis non fuiſſe ad legitimum Conſulatum. Nec deſunt aliorum ſcriptorum teſtimonia de Comitiis Conſularibus. Nam apud Lampridium [h] invenimus in Conſulum creatione mentionem trinundinum: quæ vox eſt popularium Comitiorum. Et Vopiſcus [i] refert, *Tacitum impetrare fratri ſuo Conſulatum a Senatu non potuiſſe*. Quid autem oportebat a Senatu Conſulatum petere, ſi ab arbitrio pendebat Imperatoris? Aut quomodo Senatus negaſſet, ſi concedere jure ſuo nequiſſet? Neque obſcurum veteris moris in Comitiis Conſularibus veſtigium ſe nobis offert ex Plinii panegyrico. E quibus colligo, Imperatorem nominare conſueviſſe in Senatu, quos vellet Conſules; ſola vero Imperatoris appellatione Conſules non fuiſſe, ſed ex ſuffragiis Senatorum. Nam Lampridius, ut Alexandri reverentiam erga Senatum extollat, refert, eum Conſules, niſi ex ſententia Senatus, nunquam nominaſſe. Tandem dubitationem tollit omnem S. C. ſub Veſpaſiano conditum, quam legem Regiam appellant: ubi non excepto Conſulatu, decernitur eorum omnium candidatorum, extra ordinem rationem habendam, quos Princeps S. P. Q. R. commendaverit. Ex qua Caſaubonus [k] optime concludit, hac formula, imitatione C. Cæſaris, fuiſſe uſos ſequentes Principes, cum candidatos ſuos S. P. Q. R. commendarent: *commendo vobis illum & illum*. Majeſtatis porro ſummam etiam, exorto Imperio, in Senatu manſiſſe, hinc præ ceteris colligitur, quod Imperatores Senatui aſſurgerent; quod cum vel oblivione, vel faſtu Jul. Cæſar neglexiſſet, & Senatum ad ſe ſedentem venire ſuſtinuiſſet; in eam invidiæ flammam & arrogantiæ opinionem ſe conjecit; ut juſtam

(a) *lib. 43. pag. 236. vide eund. p. 1. pag. 378 lib. 48*
(b) *in Julian. c. 1.*
(c) *lib. 1. annal. in fin.*
(d) *in Domit. cap. 10.*
(e) *cap. 11*
(f) *in Vitell. cap. 11.*
(g) *cap. 5.*
(h) *in Alex. Severo cap. 28.*
(i) *in Tacit. cap. 9.*
(k) *Sveton. in Cæſ. c. 41.*

Digitized by Google

juſtam percuſſoribus ſuis cauſſam inſidiarum præbuerit, & excuſationem eis apud populum, eo Senatus contemtu, paraverit. [a] [*]

CAPUT XVI.

De judiciis publicis.

AB eo quoque, nempe Tiberii tempore, judicia illa omnia, quæ populi erant, præcipue perduellionis & majeſtatis; & quæcunque negotia provocationis jure ad populum ferrentur, devenerunt in Senatum, ſimul cum Comitiis popularibus, ubi antea tractabantur. Etenim Senatus & antea quidem, Polybio teſte, (b) judicia extraordinaria tenebat plurima; & poſtea ſub Imperatoribus in populi locum ſuccedens, cognitionem popularium quoque ſuſcepit negotiorum, quæ paſſim apud ſcriptores in Senatu agitata comperiuntur; præſertim apud Tacitum, [c] qui ſub Tiberio ſcribit: *publica negotia, & privatorum maxima apud Patres tractabantur, dabaturque primoribus diſſerere.* Cum autem inter Senatores, ut eorum unus, cognoſceret ac judicaret Imperator, qui etiam in omnibus judiciis calculum ſuum ferre poterat, quod, Dione, teſte, (d) Auguſto primum conceſſerat Senatus; & periculoſum eſſet ſolius præſidio legis diſcrepare a ſententia potentioris; judicia illa, quæ inſtituto Reip. liberis Senatorum ſententiis permittebantur, opinione militaris potentiæ plerumque trahebantur ad voluntatem ejus, qui legiones habebat in poteſtate, quique judicabat quidem æquo jure cum ceteris; metu vero tacite in animos immiſſo, ſententias corripiebat univerſorum. Quia vero, ut refert Svetonius, (e) Neronis tempore, atque a Probo etiam (f) conſtitutum fuit, ut ab omnibus judicibus ad Senatum appellaretur; evenit, ut Princeps judicans cum Senatoribus ipſius potentiam verentibus ejuſque ſententiam plerumque complectentibus, cauſarum fere omnium redderetur arbiter.

CAPUT XVII.

De Conſilio Imperatoris, ſive de Conſiſtorio.

ET quoniam, ſi res ad pauciores pervenerint, facilius deducuntur in poteſtatem unius, cui expeditius eſt aliquot ſuperare, quam omnes; Auguſtus etſi nihil ademerit Senatui, qui vetera & conſueta judicia ſub eo, aliiſque Principibus exercebat, & populorum legationes excipiebat, & Regibus reſponſa dabat; (g) ne tamen omnibus, ac minoribus etiam in negotiis conſulere atque induſtria ſua ducere Senatores cogeretur univerſos; & ſimul, ne præter jus faſque decernere videretur abſque auctoritate Senatus, ſine quo nihil erat legitimum; conſilium ſibi conſtituit ex duobus, vel altero Conſule, quando ipſe Conſulatum gereret; & ex magiſtratuum ſingulis, & ex primoribus Patrum XV. ſorte datis ad ſex menſes. Quo ſpectat illud Svetonii in Auguſto, (h) *ſibique inſtituit conſilia ſortiri ſemeſtria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaret.* Quinto vero adminiſtrationis publicæ ſibi delatæ decennio, a Senatu petiit XX. Senatores annuos, quos ſibi adhibebat in conſilium, ut quod eo conferretur cum ceteris quoque Senatoribus conſultum, atque in commune decretum videretur cum uni-

(a) Dion *lib.* 44. *p.* 244.

(*) Fluctuat hoc capite Auctor, & modo Rempublicam, quæ fuerit popularis, in Rempublicam Optimatum verſam fuiſſe, ait, cujus militare caput fuerit Imperator, civile Conſul, corpus vero integrum Senatus; modo poteſtatem civilem nunquam populo ademtam putans, continuoque miſcens Senatus populique poteſtatem. Debebant tamen ſejungi, quos promiſcue accipit, & diſtingui quæſtio juris & facti. Majeſtatem populo diſerte adſcribit Ulpianus in L. 1. §. 1. *D. ad Leg. Jul. Maj.* idem & Senatus ſemper conjunguntur in lege Regia. Tiberius tamen, cum periculoſum videretur, populum amplius ad Comitia convocare, Senatum pro populo conſuli maluit, & quamvis jus priſtinum populo, Cajus, ut eſt apud Svetonium, reddere tentaſſet, tamen id paullo poſt ab ipſo, aut a ſucceſſoribus ejus omiſſum, Lipſius oſtendit. Sed Senatus quoque auctoritas ſæpe acciſa, quem in poteſtate facile habere poterat Princeps per rationes Conſiſtorii, de quo mox.

(b) *lib.* 6.

(c) *lib.* 4. *annal. c.* 6.

(d) *lib.* 51. *p.* 457. *lit. B.*

(e) *in vita* Neronis. *c.* 18.

(f) Vopiſcus *in* Probo *c.* 13.

(g) Dion *lib.* 53. *p.* 511.

(h) *cap.* 34.

univerſo Senatu: cujus integra poteſtas, ab ea ſui corporis portione ſuo conſenſu in conſilium Principis, una cum Conſulibus, & Magiſtratibus coeunte præferebatur: cum ipſe Auguſtus propter ſenectutem frequens in Senatu adeſſe nequiret. (*a*) Nec tamen ſatis erat e Senatoribus, atque ex Senatorum ſententia Principem conſilium ſibi legiſſe, ut quod ibi ſtatueretur tanquam legitimum, & e poteſtate publica profectum perpetuo permaneret: quia poteſtas publica & juris ratio, non in parte Senatus, neque in culmine ipſius, nempe in Imperatore, ſed in univerſo cœtu legitime coacto conſidebat. Ideo Auguſtus decretis ſuis perpetuam firmitatem comparaturus impetravit, (*b*) ut generali S. C. poteſtas judicialis, & publica Senatus univerſi transferretur in conſilium illud Principis: quod ab eo tempore S. C. condendi facultatem accepit, quam Princeps ſibi apud populum tuebatur auctoritate Magiſtratuum eo convenientium qui poteſtatem ſuam in commune adducebant, ſuumque jus cum ceteris conſiliariis & cum ipſo Principe communicabant: atque huc revocanda ſunt Pomponii verba in *l. 2. ff. de orig. juris* §. 2. *Conſtituto Principe datum ei jus eſſe, ut quod conſtituiſſet ratum eſſet.* Hoc enim de fonte, nempe de conceſſione Senatus jura ſua Principi tribuentis, & e præſentia comprobantium Magiſtratuum, non e poteſtate ulla regia duxerunt Imperatores legitimam judiciorum & legum condendarum facultatem, e populo primum ad Senatum translatam, & e Senatu ad conſilium Principis; poſterioribus temporibus Conſiſtorium appellatum; quod ubi Princeps eſſet, ibi conſiſterent Magiſtratus majores & primores Patrum, qui propterea, & Conſiſtoriani comites vocabantur: inter quos, quia de publico privatoque jure ſtatuebatur, adſumebantur & juriſperiti: qui propterea circa latus Principis agere a Papiniano (*c*) & ab Ulpiano (*d*) circa Principem occupari dicebantur. Quod conſilium ſemel a Senatu Auguſto traditum Tiberius & ſequentes Principes valde retinere ſatagerunt; ne illo dimiſſo, legitimam amitterent auctoritatem. Imo illud ſecum perpetuo duxerunt, ut Senatum integrum, cujus poteſtas etiam Conſiſtorio hærebat, apud ſe habere viderentur. Hinc Spartianus ait, (*e*) tempore Adriani jam tranſiiſſe in morem, ut *cum Princeps cauſſas cognoſceret, & Senatores & equites Romanos in conſilium vocaret, & ſententiam ex omnium deliberatione proferret.* (*f*) Et rurſus eundem Adrianum refert *cauſſas Romæ, atque in provinciis frequenter audiviſſe, adhibitis conſilio ſuo conſulibus, atque Prætoribus, & optimis Magiſtratibus.* Idemque (*g*) ſcribit, adſciviſſe ſibi Adrianum in conſilium JCtos: quos tamen Senatus probaſſet omnis. Alexandrum autem Severum, tradit Lampridius, (*h*) vocaſſe ſibi in conſilium ad ſeptuaginta, quantum, ut ea forſan ætate inoleverat, S. C. condendo eſſet opus ad juſtum Senatorum numerum. (*i*) Cum autem Imperator perpetuo ſecum duceret jura Senatus, collata in ſe tanquam Senatorum uno & Senatus Principe, atque in Senatoribus aliis, inque Magiſtratibus, qui eum comitabantur, & eadem jura in univerſo Senatu integra manerent; evenit, ut Princeps cum ſuis conſiliariis, atque Magiſtratibus; item & Senatus urbis univerſus publicam poteſtatem præ ſe in ſolidum exprimerent, quamvis diviſis portionibus & perſonis & locis eam exercerent: perinde ao plures heredes, quorum ſinguli quidem certam hereditatis portionem certaſque actiones ſibi diviſas, exercent, unuſquiſque tamen hereditatem univerſam & jus hereditarium omne in ſolidum ſuſtinet. Siquidem tam hereditas, quam imperium inter incorporalia veniunt; & utraque in jure conſiſtunt: ac ſicuti de hereditate Papinianus ait, ita & Imperium etiam ſine ullo corpore juris intellectum habet.

CAPUT XVIII.

De Communione Senatus & Principis.

UNDE Princeps cum comitatu ſuo eandem, ac parem, atque, ut cum vulgo

(*a*) Xiphilin. *in* Auguſt. *pag* 217.
(*b*) Dion *lib* 56. *ann.* 766. *p.* 588. Zonar. *in Aug* *Tillem. t.* 1. *p.* 48.
(*c*) *l. juriſperitos ff. de excuſat.*
(*d*) *l. verum* 11. § *ex furto ff. de minor.*
(*e*) *in Adriano cap.* 8.
(*f*) *cap* 22. *in Adrian.*
(*g*) *cap.* 18.
(*h*) *in Alexandro cap.* 15.
(*i*) Cujac. *in Novell.* 20.

vulgo Doctorum loquar, cumulativam (*) cum Senatu poteſtatem habebat: quia Conſiſtorium Principis non jure, ſed perſonis, locisque ab univerſo Senatu diſtinguebatur. Ideo appellationes, quæ perferrentur ad Principem, & ad Senatum perveniſſe putabantur. Nam regulariter neque a Senatu ad Principem provocatur. (*a*) Quamvis præter ordinem aliquando, turbato judiciorum jure, ſub Cajo a Senatu ad Principem fuiſſe appellatum, obſervet Lipſius (*b*) ex Dione. (*c*) Quod oratione ſua expreſſit Adrianus (*d*) ſequentium forte Imperatorum ambitionem, aut licentiam; & aſſentationem repreſſurus eorum, qui a Principe ad Senatum per eam cauſſam provocare tentarent, quod in Conſiſtorium Cæſaris flos Senatorum & Magiſtratuum una cum ipſo Principe conveniret. Ac ne quid diſcriminis inter Principis judicium quis & Senatus ſuſpicetur, refert Tacitus, [*e*] ſub ejuſdem pecuniæ amittendæ periculo recipi provocationes ad Senatum, quo recipiebantur appellationes directæ ad Principem; ne temere, atque trahendæ ſententiæ cauſſa litigatores ad appellationis auxilium confugerent: ſcribit enim: *Auxitque Patrum honorem, ſtatuendo, ut qui a privatis judicibus ad Senatum provocaviſſent, ejuſdem pecuniæ periculum facerent, cujus ii qui Imperatorem appellavere*. Neque ſupremam, atque communem cum Imperatore Senatus auctoritatem depreſſit [**] Novella ſua LXII. Juſtinianus: quia de Novella plurimi aut negligentiores aut craſſiores colligunt, ſententiam Senatus a Principis confirmatione indiſtincte pendere. Verbum etenim *confirmare* quod ibi legitur [Græco enim exemplo caremus] non ſemper *adprobare*, ſed aliquando *ſimul firmare* ſignificat, [*f*] hoc eſt, unius calculum calculis aliorum adjicere, qui ſi ab aliorum ſententiis diſcrepet, non propterea judicium vacillabit, utcunque calculus ille ante dimiſſum judicum conſilium ſit expectandus. Quin neque hujus argumentum Novellæ ab his recte ac germano ſuo ſenſu proponitur: ſiquidem non de provocatione ad Senatum hic agitur, ſed de provocatione ad ipſum Principem. Qui etiam in cauſſis ad ſe adductis ſententiam poſcit Senatus univerſi, ſententia Principis confirmandam, ut patet, additum potius, quam detractum fuiſſe hac Novella poteſtati Senatus: quem univerſum Juſtinianus conſultum voluit, etiam cum ipſe Princeps appellatur. Quam nobis interpretationem præſtat auctoritate ſua Cujacius, [*g*] qui conſtitutionem hanc accipit de appellantibus, non ad Senatum, ſed ad ipſum Principem. Regna porro, quæ in orbe Romano ſunt, & quidem civiliora, uti regnum Galliæ, ſibi exemplum ceperunt a Romana Rep. quæ unice novit imperium cum libertate contexere. De qua Gallici Regiminis inſtitutione, Regiſque cum Senatu æqualitate, Cujacius ita teſtatur: [*h*] *Hodie moribus noſtris dum appellatur ad Senatum, appellari videtur ad Principem*. Eſt enim Princeps ex Romanorum & regnorum

(*) Poteſtatem populi per Senatum cum Principe communicatam fuiſſe, Noodtius quoque docet *oratione de lege Regia & Obſervationum l. I. c.* 3. quamvis negari nequeat, ſæpiſſime contigiſſe, ut Senatus auctoritas in ſolis ſe exſereret nominibus, titulis & inſignibus. Civiles tamen Principes Senatus etiam faſtigio ſæpe ſtuduerunt. Exemplum Hadriani a Senatu ad Principem appellari nolentis apud Auctorem eſt. Sed nec ad Senatum frequenter adeo appellatum fuit, poſteaquam Præfecto Prætorio, Magiſtratui plane Imperatorio, datum eſt hoc privilegium, ut ab eo appellari non poſſet *L. un.* §. 1. *D. de offic. praf. Prae.*

(*a*) *l.* 1. *ff. a quibus appell. non licet.*

(*b*) *lib* 14. *ann.* Tacit *p.* 321.

(*c*) *lib.* 58.

(*d*) *l.* 1. §. 1. *ff. a quib. appell. non licet.*

(*e*) *lib. ann.* 14. *c.* 28.

(**) Si integræ frontis eſt Procopius *in arcana hiſt. c.* 14. Senatum omnimodo parvi fecit Juſtinianus, cujus verba in *Novell.* 62. *Ut ex divina ſententia ejus Senatus calculus confirmetur*, interpretationem Auctoris & Cujacii admittere non videntur, etiamſi Senatus ibi vice Principis cognoſcat. In Gallia quoque quantum mutata res ab iis temporibus, quibus Cujacius floruit, palam eſt, etſi vel ſic verum ſit, quando Senatus appellatur, Principem appellari, quia Senatus Principis nomine jus dicit. Ultimum jus, quod Senatus exercuit, fuit facultas Prætores tres conſtituendi, quæ ad tempora uſque Leonis duravit, qui in *Novella ſua* 47. id demum abrogavit & omnia penitus a Principis cura pendere voluit.

(*f*) *l.* 3 §. *ejuſdem* 1. *ff. de teſtibus*, *ibi* alias veluti conſentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem; *vide* Natal. *ab* Alexandro *hiſtor. Eccleſ. Sec.* 4. *p* 1. *fol.* 157. *ubi hæc adducit epiſtola Synodicæ Epiſcoporum Arianorum verba*. Num in Roma ſub Novato, & Sabellio, & Valentino hæreticis factum conſilium ab orientalibus confirmatum eſt.

(*g*) *in Novell* 62.

(*h*) *ead. Novell.* 62.

ad id exemplum conditorum moribus pars Senatus, qualem ſe profitetur Julianus: (*a*) & contra Senatus pars Principis, qualis agnoſcitur ab Arcadio & Honorio [*b*] his verbis: *Senatorum etiam (nam & ipſi pars noſtri corporis ſunt.)* Ex quibus Cujacius colligit, [*c*] non oportere a Principe Senatus decreta confirmari. Cur? Num forte quia Princeps vocaverit Senatum in partem ſuæ civilis poteſtatis? minime: nullam enim jure ſuo Princeps habebat, ſed jure magiſtratuum ſuſceptorum, aut ipſius communione Senatus de quo velut ex fonte publici juris Imperator poteſtatem partim, oblata occaſione, hauriebat, partim perenniter ducebat; ut ideo Princeps pars Senatus, & Senatus pars Principis cenſeantur, quod ſimul ex Senatoribus, & Principe Senatorum uno eorumque capite univerſus Senatus ejuſque corpus componeretur integrum. Nam in Senatum præter cognatam veteremque majeſtatem a Tiberii ævo conceſſerat majeſtas etiam populi: quæ utrinque prodiens in perſona Imperatoris per Tribunitiam poteſtatem & Senatorium principatum ita exprimebatur, ut derivaretur quidem in Cæſarem; ab radice tamen ſua, nempe ab Senatu nunquam avelleretur.

CAPUT XIX.

De diſcrimine inter Imperium & Regnum.

ID enim interſuit P. R. Imperatorem creare, non Regem, quod Imperator deducitur; Rex vero abducit a populo ſuſceptam ſibi majeſtatem. Cum enim Rex creatur, [qualis creabatur apud barbaros, quorum vile ſervitium Romani averſabantur,] in eum omnis populi poteſtas, & voluntas publica recta confertur: eſt enim, uti Rex Perſarum, αὐτοκρατὴς καὶ ἀνυπεύθυνος, ut principem illum jus faſque quandoque perturbantem, vitamque aliorum & bona rapientem, ſi populus tollere conetur, cogatur civilem evertere ſtatum, & publicam commutare voluntatem, novamque inde fundare Rempub. Quo ne cives adigerentur, ſi Rex Regni everteret leges publicas, eum, uti moris olim erat Perſarum, jurare cogebant in leges; ut cujus poteſtas a populo coerceri amplius nequibat, ſine Regni everſione, auctoritate jurisjurandi, atque ultione divina contineretur. [*d*] Quod & de Regibus noſtratibus teſtatur Cujacius. [*e*] At Romanum Imperatorem ſumentem ſibi, minime vero abſumentem S. P. Q. R. majeſtatem; ſi abuteretur Imperio, licebat ſemperque licuit, niſi violentia militari muniretur, nulla variatione ſtatus civilis, nullaque mutatione Reipub. vel Imperio exuere; vel vita. Qua tories auctoritate uſum Senatum inferius prodemus e memoria rerum geſtarum. Ideo Imperatore creando, eum ad jurandum in leges non adigebant, [*f*] quia publica poteſtate in populo & Senatu adhuc permanente, violentiam avertere licebat illius. Regnum nimirum Remp. totam exhaurit, & cum ea majeſtatem univerſam transfert in perſonam unius, aut ſucceſſorum: quo vel ſolo, vel cum poſteritate, ſi Regnum ſit hereditarium, populi ſeditione ſublato, ſolvitur poteſtas publica, quæ in eorum perſona coaluerat; niſi civile regimen ex integro nova populi voluntate reſtituatur. Imperium contra eſt cumulus magiſtratuum e Republica penes Senatum populumque locata continenter in Principem confluentium; ut ſublato Imperatore, vel Imperio, jura magiſtratuum eorum refluant ad Remp. neque Imperatore damnato a proprio ſtatu diſcedentem, neque Imperio illo extraordinario evulſo pereuntem, ſed in Senatu & in ordinariis magiſtratibus perpetuo permanentem. Non bene igitur Dion aſſequebatur ſenſum dominatoris populi, quando mirabatur Populum Romanum, cum Regiam poteſtatem per tot magiſtratus Imperatori contuliſſet, exultare tamen quod Regem non ferret. Nimirum quamvis Senator eſſet Dion, græciſſabat tamen, neque tam ſerio, ac populus Romanus, diſcrimen expendebat inter Regem & regia pote-

(*a*) *l. 8. C. de dignit.*
(*b*) *l. quiſque ff. ad l. Jul. majeſt.*
(*c*) *dicta Novell. 69.*
(*d*) *vide* Grot. *de jur. belli & pacis lib. 1. c. 3. XVI.*
(*e*) *ad l. 3. enarr. C. de teſtam. & quemad. teſt. ordinentur.*
(*f*) Cujac. *ad d. leg. ex* Plinii *Paneg.*

poteſtate prædìtum magiſtratum, ſive civilem, quales erant Conſules, qui cum regia etiam poteſtate creabantur, quippe qui & in Regum loco ſucceſſerant. Unde ſicuti Conſules, ita & Imperator, pars erant Reipub. univerſæ: cujus ſub poteſtate ſimul cum ceteris magiſtratibus continebantur. (*)

CAPUT XX.

De legislatione Senatus.

TRanslatis quoque Comitiis ad Patres, tranſiit in Senatum jus condendarum legum, quod fuerat penes populum univerſum: (a) quo in jure ſumma vertitur majeſtatis: quæ ob ſuperiorem rationem, & diſcrimen Regnum inter & Imperium neque a Senatu abſceſſit, neque a populo, cujus imago a Senatu reddebatur. Nam, utcumque legislatio cum Principe ipſiuſque Conſiſtorio ex S. C. a nobis memorato communicaretur; ramen ob impreſſum in animis antiquæ Reip. ſtudium atque religionem; Principum placita, quæ ab univerſi Senatus auctoritate procederent more majorum; legis quidem habebant vigorem, [b] ut Juriſconſultus docet, non tamen continuo ac ſtatim, ſed poſtquam tempore invaluiſſent atque inoleviſſent uſu & conſenſu civiratis: qui & ſententiis judicum tribuit juris auctoritatem. [c] Unde Cujacius [d] obſervavit, Paullum ſæpe improbaſſe decreta Principum, ſcibens: *Nec decreta Principum jus faciunt, niſi quæ invaluerint. Nam quod cognoſcens decrevit Princeps, ſcio legem eſſe, ſed cum hoc modo; ſi invaluerint.* Macrinus autem Imperator, [e] qui peritus erat juris, reſcripta omnia veterum Imperatorum tollere ſtatuerat, quod non ab univerſa Republica ſcilicet, ſed ab unius voluntate manarent. Volebat autem, ut jure, non reſcriptis ageretur: *nefas eſſe*, dicens, *leges videri Commodi, & Caracallæ, & hominum imperitorum voluntates*. [**]

CAPUT XXI.

De Conſtitutionibus Principum.

COmmunicata nimirum populi, ac Senatus cum Principe, non vero in Principem translata univerſa poteſtate, leges a Principe latæ, ſive conſtitutiones, non à Principe tanquam ex Regia perſona prodibant, ſed tanquam ab oraculo Reipublicæ atque ipſius voce Senatus, quem antequam quidquam in perpetuum, ac pro univerſali lege ſtatueret, oratione conſulebat, apud Patres habita, eadem ratione, qua populum univerſum rogabat laturus legem Tribunus plebis, cujus poteſtatem ſibi adjunctam Principes roganda lege non apud populum, ut Tribunus exercebat, ſed apud Patres, qui jura omnia populi, & Rempublicam retinebant univerſam. Cujuſmodi conſtitutiones, quarum habemus plura veſtigia in libris Pandectarum, [f] figura & more apud Senatum condiræ vetuſtatis imitatione migrabant in legem, ſive in S. C. in quod populi juribus translatis ad Patres, transfuſæ fuerunt vires legis: quæ antea Patrum auctorirate, ac populi ſuffragiis, magiſtratu rogante, condebantur.

(*) Sumit hoc loco Regis vocabulum Gravina pro Rege abſoluto, cum tamen apud ipſos etiam Romanos hoc nomine Reges limitibus circumſcripti venirent. Ecce enim primi Reges Romanorum, Romulus & reliqui, minime abſoluti erant, ſed leges ex voluntate populi ferre cogebantur. Confunduntur dein jura quoque regni hereditarii cum juribus regni abſoluti, & minus recte procedunt binæ differentiæ, quas dein inter Regnum & Imperium conſtituit, nimirum primo, tyranno in regno ſublato tolli formam Reipublicæ, non tolli, ſi tyrannus perimatur in Imperio, & tum Reges in leges jurare, non jurare Imperatorem, cum neutrum Regno aut Imperio proprium ſit, & Regnum ab Imperio ſolo verborum ſono diſtet.

(a) Sigon. *de judic. lib. 2. c. 26. in fin.*

(b) *l. 1. ff. de conſtit. princip.*

(c) *l. ſi de interpretat. ff. de legibus.*

(d) *lib. 29 qu.* Papin. *l. in ration. 11. §. quæſitum ff. ad l. Falcid.*

(e) Capitolin. *in Macrin. cap. 13.*

(**) Legislatio quoque Senatus magis in ſpeciem valebat quam re. Id enim agebant Principes, ut cum paucos facilius in poteſtate retinere poſſent, quam plures, populum per Senatum legibus obſtringeret, unde Senatusconſulta ad Orationes Principum fiebant. Invaleſcentibus Conſtitutionibus Principum, Senatusconſulta quoque fieri deſierunt, donec Leo in *Novella ſua* 78. Senatui omnem penitus poteſtatem adimeret.

(f) *L. item veniunt §. pridie ff. de petit. heredit. l. Oratione ff. de ritu nupt. & alibi.*

CAPUT XXII.

Juramenta in acta Principum.

NEc fugiebat Imperatores eorum placita, ſicut & alia, quæ non habebant jure magiſtratus, haud ſecum ab origine ſua ferre, ſed ab auctoritate Senatus perpetuam accipere firmitatem. Ideo ne vel auctoribus mortuis a Senatu abrogarentur, vel iis adhuc viventibus tantiſper ſuſpenderentur, donec S. C. accederet, in futura Principum acta, cenſente Senatu, [a] jurabatur. Quod a Triumvirorum tempore inolevit, qui & in actis Cæſaris interemti [*] jurarunt, & poſteritati tradiderunt, ut idem quoque juramentum præſtaretur omnibus a Republica non damnatis Imperatoribus. [b] Quod juramentum cum initio reſpuiſſet, Tiberius [c] poſtea ut acta ſua muniret, libenter a Senatoribus accepit univerſis: [d] adeo ut non ex Imperatorio jure, ſed ex voluntate Senatus, per jurisjurandi religionem continuata, Principum juſſa tranſierint in legitimam poteſtatem. Quod forſan latebat in animis eorum, quos amare carpit Juſtinianus, ſive ſub ejus perſona Tribonianus [e] indignatus, quod ſupremum in legum interpretatione judicium opinione ſua Imperatori adimerent, cui uni condendarum legum poteſtas permitteretur: quaſi ſapientes illi, qui ſenſus gerebant adhuc Græcanica in urbe Romanos, ſi animum libere promſiſſent ſuum dediſſent, Triboniano, quod ultro ſibi ſumit, ſupremum nempe jus legum condendarum ſolo in Imperatore conſtituiſſe, nec perenniter ad eum fluxiſſe a conſu atque communione Senatus.

CAPUT XXIII.

De Lege Regia.

QUamobrem Tribonianus doctiſſimus una & mendaciſſimus, [**] ut aliquo colore ſuffunderet impudentiam adulationemque illam ſuam, qua Imperium Romanum in Regnum, invita Republica convertere conabatur, nactus occaſionem turbandi juris publici obruendæque antiquitatis ab emendatione juris privatorum, quorum in negotiis tota fere Tribonianea digeſtio verſatur, per commotionem, atque conſuſionem illam, in quam adducere oportuit leges, antequam illius arbitrio reſtitutæ, aut interpolatæ populis redderentur; legem extulit neſcio quam Regiam, quaſi natam ex inſtitutis Romanorum, quibus antea vel ignorabatur prorſus, vel vera ſub ſpecie, nempe ſub facie veteris Reipublicæ atque ſub libertatis imagine offerebatur. Quod veluti ſalutare ſidus legentium aciem perſtricturum, & legiſlationis ſuæ præſidium, ac Principi novum imperandi jus comparaturum præfixit in veſtibulo librorum; ut amatores juris ipſomet initio hamum vorarent, veterumque Juriſconſultorum ita doctrinam haurirent, ut fraudem ſimul novorum legis latorum ad recentis Regni uſum imbiberent. Quamobrem ita loquitur ex perſona Juſtiniani: [f] *Cum enim lege antiqua, quæ Regia nuncupabatur, omne jus omniſq; poteſtas populi Romani in Imperatoriam translata ſit poteſtatem;*

(a) Tacit. *lib.* 1. *c.* 72.

[*] Unde patet, hoc jusjurandum primo tantum ad Acta Imperatorum defunctorum pertinuiſſe, donec etiam ad Acta futura porrigeretur. Nimium autem ſpatium inter tempora Tiberii & Juſtiniani intereſt, quam ut ab illis ad hæc argumentum ducere liceat. Juſtiniani enim ævo Imperium dudum potentiam Senatus Principum artibus labefactatam abſorpſerat, eodemque tacito populi conſenſu in Principem tranſierat.

(b) Dion *lib.* 47. *p.* 337.

(c) Tacit. *lib.* 1. *cap.* 72.

(d) Dion *lib.* 48. *p.* 632.

(e) *L. ult. C. de legibus.*

(**) Mendacii abſolvi poterit Tribonianus, ſi animadvertamus, alios quoque auctores veteres ita, ut ipſe diſſerit, locutos eſſe. Cæſari ſane omnia Divina ſimul atque humana Senatusconſulto decreta eſſe; Auguſtum autem morum legumque regimen perpetuum recepiſſe, Svetonius in vita eorum auctor eſt, quem cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine Principis ſub Imperium recepiſſe, Tacitus auctor eſt *Annal. lib.* 1. *cap.* 1. Veſpaſiano quoque in lege Regia poteſtatem dari videmus, ut quæcunque ex uſu Reipublicæ, majeſtate divinarum, humanarum, publicarum, privatarumque rerum eſſe cenſuiſſet, ei agere jus poteſtaſque eſſet: Quia adulatus videtur, præterii Senecam, qui de *clem. lib.* 1. *cap.* 8. *v.* 11. ad nutum Neronis nationes funditus excidi, ait & ipſius arbitrio tribuit, quos transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi: quos Reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oporteat, quæ ruant urbes, quæ oriantur.

(f) *in præfat.* 1. *Digeſt.* §. 7.

tem; *nos vero ſanctionem noſtram non dividimus in alias, & alias conditorum partes, ſed totam noſtram eſſe volumus: quid poſſit antiquitas noſtris legibus abrogare?* Quod reperitur in *C. l. 1. ff. eod.* §. 7. *de vet. jur. enucl. & Inſtit. de jure nat. gent.* §. 6. Cujus Regni novitatem Tribonianus, utcunque nullius frontis, tamen ita diſſimulare non audebat in recenti adhuc memoria vetuſtatis, ut eam lectoribus non reliquerit expoſitam, adjectis verbis [*a*] *in præſenti*: Ex qua diſcimus, antea tantæ ad poteſtatis faſtigium Principes minime aſcendiſſe. Adeo ut interpretibus, præſertim Accurſianis, & Bartolinis Romanam Rempubl. & Imperium extra Juſtinianeos Codices nunquam explorantibus luſus verborum videatur diſcrimen inter Regem & Imperatorem, quem illi non varietate juris, ſed amplitudine ditionis diſtinguunt a Regibus; quod ſcilicet Reges dominantur ſuis quiſque populis, Imperatores autem Romani orbis nationibus univerſi, quaſi P. R. ſub Imperatoris nomine ſibi Regem impoſuerit, quando ei, & in eum per legem Regiam jus omne ſuum & poteſtatem contulit. Quem Tribonianus laqueum imperitis tendere potuit, non vero eruditis optime gnaris jurium populi apud quem a primæva uſque inſtitutione Reipublicæ ſi tribunitiæ ſeditiones civilia fœdera non turbarent, minime licebat ulla de re agere cum populo, niſi præiret S. C. & Patres auctores fierent. [*b*] Quomodo igitur tranſierit ad Principem populi poteſtas in condendis legibus, niſi conditione ſub eadem, qua erat apud populum, nempe ſi legibus condendis Senatus prævertiſſet auctoritas? Unde etiam ſi legem Regiam perſuſorie & ſine ullo examine accipiamus, & populi omne jus in Principem translatum demus; integram tamen legum condendarum auctoritatem in Senatu conſervabimus.

CAPUT XXIV.

De vero Legis Regiæ ſenſu.

VErum quoniam neque Cæſaris æmulatio cum Pompejo, neque perfidia Triumvirorum, neque violentia legionum, & inſolentia Prætorianorum cohortium, ſed unice abuſio pravaque intelligentia legis iſtius Regiæ Rempubl. perdidit, ideo revocabimus eam ad ſuam lucem, quam Tribonianus contra fidem monumentorum veterum obumbravit, viam inde Principi ſuo muniturus ad Regnum; & Imperio Romano generoſitatem ſuam æquitatemque priſtinam, & populorum benevolentiam cultumque reddemus, ademta invidia regiæ dominationis, a pulſis Tarquiniis ex urbe perpetuo exulantibus. Nemo profecto negaverit, Romanos in Græciam transductos cum cælo & animos una mutaſſe, fractoſque abjectione atque adulatione Græcorum, pertuliſſe nomina ὑπάτων & βασιλέων *ſupremorum* & *regum* pro *Conſulum* & *Imperatorum*; quibus lacerabantur aures animique Latinorum, a mutatione nominum mutationem rerum prudenter metuentium ac ſuſpicantium, ne cum regiis appellationibus regia dominatio in Imperium latenter ſerperet. Sicuti potiſſimum contigiſſe videmus S. C. quod Ulpiani tempore, [*c*] niſi quid nobis, Ulpiani nomine, Tribonianus obtrudit, legis Regiæ vocabulo vulgabatur, propter poteſtates Conſulares, Senatorias, & Populares, quæ Imperatori creato tribuebantur. Et quidem regiis inde facultatibus Imperator induebatur; ut propterea Senatuſconſultum illud legis viribus a Comitiorum translatione munitum Regia lex appellaretur: at Rex minime conſtituebatur, quia poteſtates illas Princeps non avellebat radicitus a Senatu, neque in ſuam ſolius perſonam transferebat; ſed cum eo habebat, veluti cum corpore univerſo, communes. Et tamen quia earum poteſtatum complexio legis Regiæ nomine ferebatur, facile Triboniano fuit, auctoritate legis & nominis illius, Regni opinionem Imperio comparare ab iis præſertim, ut diximus, qui non aliunde, quam a libris e Triboniana ſtrage ſuperſtitibus Reipublicæ Romanæ cognitionem & ſtudium antiquitatis exordiuntur.

Et tamen, quod miremur, quæ lex Triboniano murus eſt æneus, & cardo regiæ pote-

(*a*) *d. l. ult. C. de legibus.*
(*b*) Dionyſ. *loc. cit.* Livius *lib.* 2.

(*c*) *L. quod principi ff. de leg.*

poteſtatis , meminiſſe tantum ſatis habuit illius, particulam (*) vero inter leges poſteris tranſmittendam inſeruit nullam . Cur ? niſi ut exaggeranda verbis ea lege , quam nobis una cum ceteris brevi morituris ſubtrahebat , ita involveret mentes hominum , ut plus juris in eam legem ex Triboniani teſtimonio conferrent opinione ſua , quam re ipſa contineretur . Quamobrem ii , qui S. C. illud , quod Legis Regiæ nomine vere profertur , vel ignorarunt , vel pro lege Regia non agnoverunt quia talem poteſtatem , qualem Tribonianus jactat , ibi non inveniebant ; aut cum Cujacio in hanc etiam fraudem inducto natam contenderunt in urbe ſub priſcis Regibus , & poſt ad Cæſares revocatam , (*a*) quaſi regnum non Rempubl. a Rege , ut oſtendimus , adminiſtrandam Romulus inſtituiſſet ; aut putarunt , Auguſto primum , & deinceps ceteris Regiam poteſtatem fuiſſe collatam per legem Regiam , cujus nomen tantum ad nos pervenerit : quaſi adeo fuerit excors & fraudum imperitus artifex Tribonianus , ut qui tot alias minoris momenti conſervarit , legem Principis ſui tutelarem perire ſiverit ; vel [quod opinionem refellit utrorumque ,] quaſi opus fuerit Imperatoribus ſingulis per ſuſcipiendos magiſtratus , perque tot ambages obrepere ad poteſtatem Regiam , ſi per publicam legem ad eam recta via tetendiſſent ; ut neceſſe ſit , hunc errorem vel inter imperitos habitare , vel locum invenire tantum inter adulatores , qui etiam liberalia ſtudia, quibus excellunt , in ſervitutem ſecum trahere conſueverunt . Cum igitur legis Regiæ monumentum non interciderit , age videamus , qua fide Tribonianus eam Regno ſuo prætenderit , & qua calliditate homines ab inquiſitione atque lectione illius ad novam fabulam , nempe ad ſententiam , ab ſe inde mala fide collectam , atque ad poſteros fraudulenter tranſmiſſam averterit .

CONTEXTUS

LEGIS REGIÆ.

FOEDUSVE. CUM. QUIBUS. VOLET. FACERE. LICEAT. ITA. VTI. LICUIT. DIVO. AUG.
TI. JULIO. CÆSARI. AUG. TIBERIOQUE. CLAUDIO. CÆSARI. AUG. GERMANICO.
UTIQUE. EI. SENATUM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. REMITTERE. SENATUS.
CONSULTA. PER. RELATIONEM. DISCESSIONEMQUE. FACERE. LICEAT.
ITA. UTI. LICUIT. DIVO. AUG. TI. JULIO. CÆSARI. AUG. TI. CLAUDIO. CÆSARI.
AUG. GERMANICO.
UTIQUE. CUM. EX. VOLUNTATE. AUCTORITATEVE. JUSSU. MANDATUVE. EJUS.
PRÆSENTEVE. EO. SENATUS. HABEBITUR, OMNIUM. RERUM. JUS. PERINDE.
HABEATUR. SERVETUR. AC. SI. E LEGE. SENATUS. EDICTUS. ESSET. HABERETURQUE.
UTIQUE. QUOS. MAGISTRATUM POTESTATEM. IMPERIUM. CURATIONEMVE.
CUJUS. REI. PETENTES. SENATUI. POPULOQUE. ROMANO. COMMENDAVERIT.
QUIBUSQUE. SUFFRAGATIONEM. SUAM. DEDERIT. PROMISERIT. EORUM.
COMITIS. QUIBUSQUE. EXTRA. ORDINEM. RATIO. HABEATUR,
UTIQUE. EI. FINES. POMERII. PROFERRE. PROMOVERE. CUM. EX. REPUBLICA.
CENSEBIT. ESSE. LICEAT. ITA UTI. LICUIT. TI. CLAUDIO. CÆSARI. AUG.
GERMANICO,

UTI-

(*) Imo Juſtiniani ævo jam adeo auctum erat faſtigium Principatus , ut majeſtati Principis injurioſum videretur , repetere legem , qua olim poteſtas ejus accidebatur , tanta autem rerum ſimul veterum in Senatu & populo Romano ignorantia , ut nec ullius uſus eſſet , apponere particulam legis , uſu dudum abolitæ .

(*a*) Cujac. *Inſt. lib.* 1. *de jur. nat. gent.* §.

UTIQUE. QUÆCUNQUE. EX. USU. REIPUBLICÆ. MAJESTATE. DIVINARUM.
HUMANARUM. PUBLICARUM. PRIVATARUMQUE. RERUM. ESSE. CENSEBIT. EI. AGERE. JUS POTESTASQUE. SIT. ITA. UTI. DIVO. AUG. TIBERIOQUE. JULIO. CÆSARI. AUG. TIBERIOQUE. CLAUDIO. CÆSARI. AUG. GERMANICO FUIT,
UTIQUE. QUIBUS LEGIBUS. PLEBEIVE. SCITIS SCRIPTUM. FUIT. NE. DIVUS. AUG.
TIBERIUSVE. JULIUS. CÆSAR. AUG. TIBERIUSQUE. CLAUDIUS. CÆSAR. AUG.
GERMANICUS. TENERENTUR. IIS. LEGIBUS. PLEBISQUE. SCITIS. IMP. CÆSAR.
VESPASIANUS. SOLUTUS. SIT. QUÆQUE. EX. QUAQUE. LEGE. ROGATIONE.
DIVUM. AUG. TIBERIUMVE. JULIUM. CÆSAREM. AUG. TIBERIUMVE. CLAUDIUM. CÆSAREM. AUG. GERMANICUM. FACERE OPORTUIT. EA. OMNIA. IMP. CÆSARI. VESPASIANO. AUG. FACERE. LICEAT
UTIQUE. QUÆCUNQUE. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. ACTA. GESTA.
DECRETA. IMPERATA. AB. IMPERATORE. CÆSARE. VESPASIANO. AUG.
JUSSU. MANDATUVE. EJUS. A. QUOQUE. SUNT. EA. PERINDE. JUSSA. RATAQ.
SINT. AC. SI. POPULI. PLEBISVE. JUSSU. ACTA. ESSENT.

SANCTIO.

SI. QUIS. HUJUSCE. LEGIS. ERGO. ADVERSUS. LECES. ROGATIONES. PLEBISVE. SCITA.
SENATUSVE. CONSULTA. FECIT. FECERIT. SIVE. QUOD. EUM. EX. LEGE. ROGATIONEVE.
PLEBISCITOVE. FACERE. OPORTEBIT. NON. FECERIT. HUJUS. LEGIS. ERGO ID. EI. NE. FRAUDI. ESTO. NEVE. QUIT. OB. EAM. REM. POPULO. DARE. DEBETO.
NEVE. CUI. DE. EA. RE. ACTIO. NEVE. JUDICATIO. ESTO. NEVE. QUIS. DE. EA. RE. APUD. SE. AGI. SINITO.

CAPUT XXV.

Animadverſiones in Legem Regiam.

EN legem produximus, quæ ſupereſt, integram, & ſimul cum facultatibus auctores & modos earum conferendarum: Dic modo ſodes, quid in Imperatorem his verbis conferetur, quod non a populo proficiſcatur, & ad eundem ſublato Imperatore non revocetur? An his collocatis poteſtatibus popularia jura exhaurirentur? An opus erat eaſdem facultates iterum tradere novis Cæſaribus per legis Regiæ repetitionem, ſi ea lege in perpetuum a populo ad ceteros creandos Principes abſceſſerant? Quid contuliſſet Tiberio, Claudio, Veſpaſiano populus, qui jam inde ab Auguſto jus omne ſuum in perpetuum exuiſſet? Cur porro Caligula & Nero hac in lege prætereuntur, quorum alterius acta Senatus reſciderat, (*a*) alterius memoriam uti hoſtis patriæ damnaverat quaſi minime compotes harum facultatum, ſi jure ſuo legitima juſſa juſtaſque leges edidiſſent? Nam Galbæ, Othonis, & Vitellii præteritionem nihil moror; qui ſeditionum inter fluctus brevi tempore de Imperio dimicarunt potius, quam imperarunt, & in ipſa Imperii contentione Imperium amiſerunt, e quibus etiam Galba fuerat a Senatu hoſtis judicatus. [*b*] Aut qui licuiſſet Senatui acta illorum reſcindere, quorum poteſtas non amplius manaret a S. P. Q. R. jure omni ſuo ſpoliato; ſed a lege Regia, quæ jus omne publicum per Auguſti perſonam ad ceteros tranſduxerat Imperatores? Quid? Firmitas actuum & ratio legitimæ poteſtatis peteretur ne a principibus de auctoritate populari, ſi populi majeſtas exaruiſſet? Nonne enim poſtremo hujus legis capite habemus, ideo juſſa, quæ ab Imperatore ante hoc S. C. edita erant, perpetuo conſiſtere, quia populus ipſe juſſerit ea juſta rataque eſſe; perinde ac ſi populi plebiſque juſſu acta eſſent? Quomodo convaleſcerent ſingulorum Principum acta ex poteſtate populari poſt novam ipſius populi volun-

(*a*) Dion. *lib.60. p.667. idem lib. 63. p 727.* Sveton. *in Nerone.* [*b*] Plutarch. *in vita Galb. p.1055.*

voluntatem collectam; ſi jam Auguſtus creandique inde Principes, perinde ac futuri Reges, lege Regia omnem populo poteſtatem ac voluntatem eripuerunt? Tandem vel hanc habemus legem Regiam, vel aliam pleniorem. Si aliam: cedo: quam? Hiſtoricos & ſcriptores ſi excuſſerimus ſingulos, ne veſtigium quidem, aut nomen invenerimus facti, quo nullum fuiſſet in omni Romanorum memoria memorabilius, Reipublicæ nimirum in Regnum non violenter & ad tempus, ſed publica lege contra inſtituta majorum perpetuo tranſeuntis. Quorſum præterea oportebat Principem omnibus populi facultatibus indutum, eas iterum a populo facultates particulatim accipere: prout feciſſe hujus teſtimonio fragmenti palam evincitur? Quid rivos ſectabatur, qui fontem ipſum jam abſorbuerat? Aut quid opus erat Imperatoribus capeſſere Tribunitiam poteſtatem ſingulis annis; ſi cum populi majeſtate jam illa perierat, & multo amplius Princeps e regio jure, quam a Tribunatu ferebat? Quantula enim portio fuiſſet poteſtatis, & majeſtatis Regiæ Majeſtas Tribunorum, & interceſſio, ſive S. C. impediendorum facultas, quæ ab eo magiſtratu præſtabatur? Cur toties Conſulatus ſuſcipiebat Princeps, ſi plus regiæ poteſtatis ad eum lege Regia pervenerat, quam e Conſulatu ipſo adduceretur? Sin bona fide agere velimus, & ſine fraudatione, atque cum eruditis pleriſque hoc fragmentum unice pro Lege Regia recipiemus; non aliunde quam Regia de Lege argumentum trahemus illuſtrius ad regiam poteſtatem evertendam, & majeſtatem priſtinam adhuc ſub Imperio in Senatu, & populo continendam. Qua de poteſtate, ac majeſtate plures particulæ nominatim conferuntur in Imperatores ſingulos, eas nova lege ſuſcepturos: quia neque cum Imperio militari commiſcebantur, neque egrediebantur ſingulas Imperatorum perſonas: exemplo Imperii meri, quod cum lege detur, neque cum juriſdictione magiſtratus confunditur, neque a magiſtratibus illud accipientibus cum aliis communicatur.

Quorum ſimilia ex lege Regia contra regiam poteſtatem argumenta ducebat olim Nicolaus Laurentii F. Romani Tribunatus inſtaurator, qui prolato in concione fragmento iſto, P. R. gloriam extollebat, atque clamabat: *En teſtimonium, ac monumentum juris veſtri, Quirites, qui ſuæ Imperatoribus largitores eſtis poteſtatis*. [a] Quo ille aliiſque argumentis e publico jure ac veterum auctoritate petitis, publice palamque contendebat, nunquam, ne ſuo quidem tempore, Imperium, utcunque ab exteris nationibus adminiſtratum, a populo Romano atque a Capitolio diſceſſiſſe; cujus ſententiæ ſocium habuit primum eruditionis latinæ reparatorem Franciſcum Petrarcham, qui eam profitetur in epiſtola qua Romanum populum ad liberatorem ſuum e vinculis, quibus detinebatur, ope atque auctoritate publica, precibuſque totius populi liberandum hortatur. [b] At quin [excipient aliqui] ea, quæ certa lege tribuuntur, etſi non veniant jure magiſtratus, [c] ad eoſdem tamen, per ſe, magiſtratus tranſeunt, atque ipſa lege deferuntur ſine nova populi voluntate: veluti datio tutoris non competit quidem Prætoribus jure magiſtratus, ſed ex lege Attilia, (d) cum ante legem illam eo jure Prætores non potirentur; Et tamen ejus legis poteſtate jus dandorum tutorum, creatis omnibus Prætoribus, abſque novis populi actibus accedebat. Quidni igitur & lex Regia ſemel lata poteſtatem, atque majeſtatem perpetuo detractam populo ad futuros Principes per ſe tranſmiſerit univerſos? Hos quo a nobis amoveamus, ſatis erit rogare, ut oculis utantur, animadvertentes, non perpetuam hanc eſſe legem, qua jura iſta Imperatoribus tribuuntur, ſed temporariam, & temporarias ex ea procedere poteſtates, non Imperatorio muneri, ſed certis propriiſque Imperatorum nominibus, traditas, morte illorum ad venam earum populum redituras, novaque voluntate ipſius populi, novus ad Principes proferendas: cum lege Attilia nullo tempore circumſcripta Præ-

(a) *Vita Nicolai Laurentii F. populari ejus ævi lingua conſcripta hæc habes:* Poſtea en quanta erat magnificentia Senatus (dixit) qui auctoritatem Imperio tribuebat. *Sequitur hiſtoricus;* inde ſcriptum recitari juſſit pactionum, & auctoritatis, quam populus Romanus Veſpaſiano Imperatori concedebat, *& deinceps pag.* 24.

(b) *in lib. epiſt ſine tit. epiſt* 4.

(c) *L.* 1. *ff. de offic. ejus, cui mandata eſt juriſd.*

(d) *Inſtit. de Attilian. tut.*

Prætores non propriis nominibus, ſed appellatione magiſtratus ad jus dandorum tutorum perpetuo vocentur. An enim haberemus has facultates in Veſpaſiani perſona, nova legiſlatione renovatas, ſi ab Auguſti tempore ex perpetua poteſtate legis in ceteros tranſiiſſent Imperatores? quorum in ſingulorum perſonis, ne dum in Tiberio & Claudio in lege memoratis, idem decretum, niſi merſiſſet ætas, conditum tabuliſque inciſum inveniremus.

CAPUT XXVI.

Ad Legem quod Principi Pandectarum de Conſtitution. Principum.

NE vero plus minuſve hoc e S.C. falſis interpretationibus eruatur, quam ibi continetur, illud brevi explicatione percurremus, exordientes a lege: *Quod Principi 1. ff. de conſtit. Princip.* Ait lex: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem: cum lege Regia, quæ de Imperio Principis lata eſt, populus ei, & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat.* Ex hac regiæ poteſtatis aſſertores interpretationem petunt ſuperioris S.C. cum potius illo ex S.C. Ulpiani ſenſum inde hanc in legem tranſductum expendere deberent. Siquidem Ulpianus, cui lex iſta, neſcio an bona fide, a Triboniano adſcribitur, hic retulit nobis S.C. ſententiam de legum latione non ſatis explicatam, neque plus diligenter, quam res ibi nata poſceret; ſed perfuſorie, ac per verborum compendium, vocabulis nempe generalibus, & plenioribus, quæ ſolemus arripere, cum celeritati magis quam diſtinctioni ſtudemus. Qualiter affectus Ulpianus facultatem legis condendæ collatam in Principem, expreſſit illis verbis *omne imperium & poteſtatem* legis nimirum condendæ, qui ſenſus ſupra deſcendens, [*] tacite in orationem reliquam penetravit. Nam Ulpianus familiariſſimus Principis debuit ambitioſis, u-

beribuſque vocabulis ornare atque ſine modo ullo extollere poteſtatem illius. Nec tamen aſſentatione ſua ſuſtulerit, aut obruerit veritatem: nam optime illius oratio, & S. C. conveniunt: cum liceat, abſque calumnia verborum, ita Ulpianum exponere: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem, quia lege Regia, quæ de imperio Principis lata eſt ſive S.C. quod fert legis Regiæ nomen, P.R. ei, & in eum* [qui pleonaſmus eſt non inelegans] *contulit omne ſuum Imperium & poteſtatem, in legibus ſcilicet condendis.* [**] Quod additamentum, & relatio imperii & poteſtatis ad ſolam legum lationem, offertur ab ipſo argumento hujus legis, quod ad ſe rapit ſequentem orationem, quæ quamvis generaliter concepta ſit, natura tamen ſua contrahitur ad rem propoſitam, nempe ad legis condendæ facultatem: nam ſi poteſtatem infinitam Principis ex Ulpiani verbis colligamus, directo illum opponemus ſuperiori S. C. ſive ipſi Regiæ Legi, qua non infinita, ſed certis modis, ac diſtinctis capitibus poteſtas Principi confertur, ne hic repetamus, quod ſupra oſtendimus, opus minime futurum fuiſſe Imperatoribus tot magiſtratibus gerendis, ſi ex hoc Ulpiani loco evinceretur populi poteſtatem Principi fuiſſe non communicatam tantum, ſed & univerſam in eum, exuto jam populo, translatam, ut contendunt Goveanus, [a] & illius auctoritate Coccejus, aliique, [b] qui ne otioſam ſinant particulam illam legis *in eum*, exiſtimant, Ulpianum per illa verba *ei contulit*, ſignificaſſe voluntatem populi erga Principem; per additionem autem *in eum*, innuiſſe diſceſſum univerſæ poteſtatis a populo ad Principem; in quo non cumulativam, ſed etiam privatam, ut vulgo loquuntur, poteſtatem collocant: molem tantam in tam lubrico extruentes, orbemque Romanum una & jus omne publicum ſurſum, ac deorſum leviſſima conjectura vertentes. Qui ſi noluerunt illa verba *ei, & in eum* habere, ut a me habentur, pro concinna brevique repe-

(*) Seu finibus eorum, de quibus ſupra actum erat, circumſcribendus.

(**) Quæ interpretatio commentitia videtur. Nam verba Ulpiani generaliter patent. Poſt tempora quoque Ulpiani lex Regia plenior lata eſſe poteſt, ad quam digitum intendat Ulpianus. Porro ſi Principi datum jus leges ferendi, data eidem quoque ſumma poteſtas. Nomen Legis Regio, quæ in Græco ſermone jam utuntur Joannes Evang. *cap* 19. *v.* 15 & Petrus 1. *Ep.* 1. *v.* 21. facile etiam apud Latine loquentes invaleſcere potuit tempore Ulpiani, cum, Græcam urbem eſſe, jam Juvenalis queratur.

(*a*) *variar. lect. lib.* 2. *cap.* 30.

(*b*) *ad leg. Princep. ff. de conſtit. Princip.*

repetitione ſenſus ejuſdem: quin amplectebantur explicationem Cujacii [*a*] verba *in eum* conferentis in ipſum Principem; At quis [inquit Coccejus] quis unquam audivit a populo Principi poteſtatem in ipſum dari Principem? imo vero recte & in ipſum. Siquidem potuiſſet populus ita tribuere Imperatori poteſtatem ſuam, ut Conſuli vel magiſtratibus aliis tribuebat, qui populi judicio tenebantur: cui ſubjiciebatur etiam Dictator: nam & Papirium Curſorem, cum Dictator eſſet, provocationi ad populum ceſſiſſe legimus. Cæſari autem ita contulit, ut ei etiam remiſerit poteſtatem, quam populus habebat in ipſum Cæſarem: per quam populi remiſſionem Principi diem apud populum dicere non licuiſſet, dum eum populus Principem eſſe pateretur. Quid præterea eos prohibuit Duareni explicationem [*b*] arripere, qui relativum accipit pro reciproco, ac docet, *eum* hic ſignificaſſe *ſe*: quaſi dixerit Ulpianus populum contuliſſe *ei*, ſive Principi poteſtatem *in eum*, hoc eſt *in ſe*, nempe in ipſum populum, nedum poteſtatem, quam habebat populus in provincias. Sed non patitur Coccejus pronomen in eadem oratione varie acceptum, ut ſit modo relativum in ſua propria ſignificatione, modo reciprocum: quaſi non ita ſitum, itidemque etiam acceptum inveniatur in *lege quæ filium ult. ff. ut legat. ſive fideicom.* illis verbis, referendis una hic & explicandis; *fideique ejus* [nempe heredis] *commiſit* [nempe teſtatrix] *ut quidquid ad eum* [hoc eſt heredem] *ex hereditate ejus* [hoc eſt ſui teſtatricis.] En *ejus* eadem in oratione vice relativi fungitur, cum refertur ad heredem, & reciproci, cum refertur ad teſtatricem. Tandem quidvis aliud potius moliri oportebat Porſenas iſtos, qui Regem P. R. reddere conantur invito, quam ad hæc abſurda ruere; cum in monumentis veteribus invenientes Senatum ſupremam poteſtatem, ac ſummum Imperium exercentem, id non legitimæ S. P. Q. R. auctoritati adſcribant, ſed patientiæ Imperatoris tolerantis invaſores ſuæ poteſtatis; quaſi lupus, qui petulantiam agnorum benigne tulerit.

Verum quid tantopere laboramus in lege incerti ſenſus incertæque auctoritatis: quam legem plurimi Ulpiano adſictam autumant a Triboniano, ut Regiæ poteſtati, quam Principi ſuo parturiebat, gravioris Juriſconſulti & longioris temporis fidem conciliaret? Quid volutamus epitomen, aut perſuſorie, aut mala fide concinnatam, ſi verba iſta & germanus legis Regiæ contextus hoc S. C. nobis a Capitolino monumento proferuntur, cujus e ſenſu commenta & compendia quælibet explicare debemus? Eo autem S. C. quid Cæſaribus tribuatur, jam ſupra ſatis demonſtravimus; reliquum eſt, ut obſcuriora verborum illius illuſtremus. Ait lex:

TIBERIO JULIO CÆSARI AUGUSTO TIBERIOQUE CLAUDIO CÆSARI AUGUSTO GERMANICO.

Per *Tiberium Julium Cæſarem Auguſtum* ſignificatur in lege Tiberius Nero Octaviani Auguſti filius, Julii Cæſaris Dictatoris nepos qui poſt Octavium imperavit; quique Julius quoque Cæſar appellabatur, ut obſervavit Gutherus ex faſtis Capitolinis. (*c*) Omiſſo autem Caligula, tanquam hoſte patriæ, damnatique nominis cive, (*d*) ſubjicit lex Claudium, quem Germanici cognomentum quod hic legitur, adſumſiſſe, memorat Svetonius. (*e*)

Item lex ait: UTI QUOS MAGISTRATUS, &c. En luculentiſſimum teſtimonium popularis poteſtatis ſub Imperio adhuc vigentis, offerentiſque ſe in creatione magiſtratuum: quibus tribuendis omnis legitima vis commendationis Imperatoriæ non ex Imperatorio jure manabat, ſed ex iſto capite, unde jus ſuum Principis commendatio trahebat. Quo capite per illa verba *extra ordinem*, permittit populus candidatis a Principe commendatis honorum petitionem, etiamſi lege vetentur contendere ad honores, puta, quod juſta ætate careant, aut juſtum intervallum inter unam alteramque petitionem non excurrerit, aut præſentes Romæ non profiterentur. (*f*) Nam neque abſentium, neque ſuperiorum, quos memoravimus, habenda ratio erat per leges publicas, quarum venia iis, quos

(*a*) *obſervat.* 15. *cap.* 30.
(*b*) *lib.* 2. *d ſp. cap.* 19.
(*c*) Coccej. *ad l.* 1. *ff. de conſt. Princ.* Guther. *de offic. domus Auguſt. lib.* 1. *cap.* 31.
(*d*) Dion *lib.* 60. *pag.* 667.
(*e*) *in Claud. lib.* 3. *cap.* 2.
(*f*) *lex agrar.* Rull. *apud* Sigon. *de leg. curiat. p.* 19.

Digitized by Google

quos Princeps commendaverit, vel quibus honores promiſerit, conceditur a populo: cujus neque hac in re, neque in aliis capitibus, quibus alias facultates concedit, ullæ fuiſſent partes, ſi condendo Imperio, regnorum inſtituendorum ritu, poteſtatem & majeſtatem ſibi abdicaſſet, eamque univerſam in munus Imperatorium contuliſſet. Ad magiſtratus autem, Principis commendatione, cum ætatis venia creatos, referendus eſt Ulpiani locus, (*a*) cujus hæc ſunt verba: *Princeps enim, qui magiſtratum dedit, omnia gerere decrevit*; Dediſſe dicitur Princeps magiſtratus, quos candidati minores XXV. annis, de quibus hic agit Ulpianus, a populo, Principis commendatione, per hoc legis Regiæ caput impetraverit.

Pergit lex: Utique Quibus Legibus Plebeive Scitis.

CAPUT XXVII.

An Princeps ſolutus Legibus intelligatur?

HOc privilegium Auguſto tributum Dion refert, (*b*) ac ſenſum ſimul explicat illius, docetque, Imperatores eo liberari a neceſſitate legum *τῆς τῶν νόμων ἀνάγκης* ſive a pœnis, quibus lex, nempe communis voluntas, tranſit in neceſſitatem, ne ſcilicet cum deliquerit Princeps, puniatur, ut Græci legum doctores interpretantur *ἤγουν ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται*; cum haudquaquam eximatur Princeps a vinculis honeſtatis, quæ leges perpetuo comitatur, quæque tantam a natura ducit auctoritatem, ut Imperatores (*c*) pronunciaverint, *majus Imperio eſſe ſubmittere legibus principatum*; & Alexander (*d*) ſanctiſſime ſcripſerit, *nihil tam proprium Imperii eſſe, quam legibus vivere*; *utcunque lex Imperii*, qua S. C. hoc meo & plurium judicio indicatur *ſolemnibus juris Imperatorem ſolverit*. Unde neque a communi gentium fœdere, neque a nexibus humanæ ſocietatis eximitur Princeps, neque legibus illis, quibus ſuſceptum a ſe regimen incumbit. Imperantium, ſiquidem nulli licuerit, perfractis publicis legibus evertere id, cujus cauſa imperat. Omni enim privilegio ſtatim excidet, quiſque accepta poteſtate abutatur contra Rempublicam, quæ communis ſalutis communiſque honoris cauſa Principem peperit & honoravit: exheredationem namque meretur, quiſquis filiorum parentem oppreſſerit. Quod nobis ſuggerunt Severus & Antoninus, (*e*) cum fatentur, ſe quamvis legibus ſolutos, vivere tamen legibus, nempe cauſa legum: quarum tuendarum gratia vivit Imperator; cum vocem legibus non ſexto, ſed tertio caſu poſitam autumem; præcipue, quia ex auctoritate legum Principum pendet auctoritas; propter quam rationem Imperator ſe legibus alligatum profitetur. (*f*) Hoc autem capite, quo plurimum extollitur Imperator, minime tamen deprimitur, ſed potius ſuſtinetur auctoritas populi, tum quia populus, dum concedit, palam ſe fert publicæ poteſtatis auctorem; ut privilegio Princeps jure fruatur, donec ſibi per populum & Senatum gerere Remp. licuerit; tum quia ex S. C. verbis non omnibus, ſed certis legibus ſolvitur; nempe iis, quibus condendis adjectum fuerat, ne Principes tenerentur: atque ita Dionis locum, ubi Princeps dicitur ſolutus legibus, Cujacius interpretatur, (*g*) nec enim vitiatur ſenſus orationis; nam enunciatio hæc *ſolus eſt legibus*, illi etiam recte congruit, qui non omnibus, ſed ſolemnibus juris, (*h*) uti ſunt ſolemnia manumiſſionis, (*i*) & aliquibus legibus fuerit ſolutus: uti ſolutus erat Princeps lege Papia Poppæa, ſive legibus conjugalibus & caducariis, quæ etiam per eminentiam appellabantur leges; ad quas ſcripſerat Ulpianus, cujus locum ad eas ſolas leges pertinentem, ut monet inſcriptio leg. princeps ff. de legibus, Tribonianus ad leges protulit univerſas; ut auctoritate Ulpiani Principem ab omnibus legibus ſolutum eſſe perſuaderet illis, qui magis verbis ejus ducuntur, quam totius teſtimonio antiquitatis, cum qua conſonat & ipſa Triboniani compoſitio legum: cujus pluribus ex locis ſuæ ille fraudis coarguitur. Nam non modo e Dione (*k*) diſcimus, Auguſtum ſupra juſtam portionem Liviæ reli-

[*a*] *L. quidam 57. §. de re judic.*
(*b*) *lib 53. pag. 509 & 516.*
(*c*) *L. digna vox 4. C. de legib.*
(*d*) *L. 3. C. de teſtam. & quemadmod. teſt. aper.*
(*e*) *Inſtit. quib. mod. teſt. infir. & ult.*
(*f*) *d. l. 4. C. de legibus.*
(*g*) *obſ. 15. cap. 30.*
[*h*] *L. 3. C. de teſtam.*
(*i*) *L. apud eum ff de manumiſſ.*
(*k*) *L. 56. p. 590.* Cujac. *obſ. 15. cap. 30.*

ctorum, petiiſſe a Senatu veniam legis Voconiæ, quam certe veniam non petiiſſet, ſi leges omnes habebat in ſua poteſtate, aut ſi earum poteſtate non habebatur; ſed docemur etiam ex libris juris, teneri principes lege Falcidia & lege Glicia de inoff. teſtam. (*a*) & teſtamentariis pluribus (*b*) aliiſque omnibus, in quibus nominatim non erat exceptum, ne tenerentur: ut ex legis Regiæ capite iſto colligitur. Nam quamvis contemtarum legum Principes pœnam non ſubirent, niſi quando a Senatu capite damnati cum vita Imperium & privilegia ipſius amitterent; verecundia tamen dum imperarent & pudore obligabantur (*c*) & opinione civium tacito eos judicio plectentium: Paullo ſiquidem (*d*) judice, is, *qui leges facit, pari majeſtate legibus debet obtemperare*. Porro ut reliqua S. C. hujus expediamus, habere Senatum licebat magiſtratibus majoribus, ideoque etiam Prætoribus, ſi urbe aberant, qui majori cum imperio eſſent. Quod jus etiam Principi tribuitur, & tribuendum erat ex lege; cum non veniret a munere Imperatoris. Unde lege opus habuit, ut poſſet cogere Senatum, quando Conſulatum non gereret. Senatusconſultum autem per diſceſſionem fiebat, cum Senatores in ſententiam alicujus non verbis, ſed pedibus tacite conveniebant, diſcedentes a ſuo quiſque loco ad eum, cujus ſententiam probabant. (*e*) Quod item in hoc capite legitur *remittere Senatum*, ſignificat rem in poſterum diem Principis auctoritate differre. (*f*) Additur de proferendo pomœrio, quod non Cæſaribus tantum, ſed omnibus iis concedebatur, qui fines Imperii Romani ſuis victoriis propagaſſet. (*g*) (*).

CAPUT XXVIII.

De auctoritate Senatus, & poteſtatis civilis in militarem ex jure Gentium.

SAtis adhuc oſtendimus, poteſtatem civilem ad Imperatorem creatum non ab ipſa creatione manare, ſed a S. P. Q. R. voluntate ſuam ei majeſtatem contribuentis, partim tradendis magiſtratibus, partim repetendis legis hujus Regiæ capitibus. Nunc duriora tentabimus, atque contendemus, ne quidem Imperium illud militare ſola voluntate militum in Imperatoris perſona conſtitiſſe ſine S. C. quo totius Reipublicæ conſenſus proferebatur. Quod tam ex jure gentium, quam ex jure Romano comprobabimus. Siquidem jure gentium exercitus pars eſt civitatis, cui miniſtrat, cujuſque poteſtate continetur; cum ad uſum Reip. milites conſcribantur, ducique ad Reip. conſervationem aut propagationem creato committantur. Quamobrem non poteſt a corpore militari præferri jus univerſæ civitatis; niſi civitas ipſa ſe duci eorum tradiderit: nec milites civilem ullam particulam juris nanciſcuntur, niſi civium numero cenſeantur: non raro enim ex exteris milites conducuntur, aut leguntur e ſociis. Et qui cives militiæ nomina dederunt, publico civitatis jure ſeorſum a ceteris civibus, & procul a corpore univerſo minime potiuntur: cum non a ſuo ſingulorum jure, ſed a communione totius corporis civilium rerum gerendarum poteſtatem cives accipiant: nec Reſp. tranſeat in

(*a*) *L. 4. C. ad l. Falcid.* Papin. *l. Imperator ff. de inoffic. teſtam.* Cujac. *d. obſ.* 15. *cap.* 30. & *lib.* 16. *cap.* 35.
(*b*) *L. 3. C. de teſtam. & quemadm.*
(*c*) *vide* Cujac. *enarr. C. l. 3. de teſtam. & quemad.*
(*d*) *lib. 4. ſent.*
(*e*) Gell. *lib.* 3. *cap.* 18.
(*f*) Gall. *lib.* 14. *cap.* 17.
(*g*) Tacit. *lib.* 12. *hiſt. cap.* 23.
(*) Non poteſt de poteſtate Principis diſſeri ut de ente metaphyſico, ſemper invicem retinentibus Principe & Populo, mixtiſque quæſtionibus juris & facti. Ipſi Imperatores dum id agunt, ut ſoli præſint rerum ſummæ, populo ſæpe ſpecie & coloribus adſcititiis illudunt, & eodem tempore legibus ſe ſolutos & alligatos profitentur. Ex quo reſcriptis quoque & Decretis & Edictis Principum jus novum conſtitui cœpit, nemo dubitet, Principes ſupra leges fuiſſe. Quod de temporibus Juſtiniani multo magis verum eſt, qui non ipſa tantum complurima conſtituit, ſed & innumeris veterum Principum Reſcriptis vim legis univerſalis dedit. Interpretatio Auctoris, qua vocem, legibus, in tertio caſu accipit, nimis arguta videtur. Legem Gliciam jam ſupra e numero legum eliminavimus, etſi certum ſit, teneri Principem querela inofficioſi teſtamenti *L. 8. §. 2. J. de inoffic. teſtam.* Quamvis autem leges ex ſenſu Paulli & Ulpiani ad ſolas leges Papias Poppæas referri debeant: minus tamen ſuccenſeodum eſt Triboniano, de Principe omnibus legibus ſoluto id affirmanti in dudum laxatis Imperii finibus.

in caſtra, ſed hæreat, inſideatque perpetuo in civitate, ubi radicibus ſuis, nempe legibus, inſtitutis, & ritibus, continetur; Civitas autem vivit in corpore integro civium in ſuos ordines deſcriptorum, & ad exercitium publici juris rite convenientium. Ideo Antonius, ut edicto ſuo adverſariorum auctoritatem everteret, exprobrabat Quiritibus; quod caſtra Pompeji Senatum appellarent. Quia igitur jus belli, quo ducis potiſſimum creatio continetur, manet in Republica ſimul cum ceteris juribus majeſtatis, quorum nihil a militibus in bellum abducitur, niſi quantum eis ab ipſa, cui militant, Rep. mandetur; abſurdum fuerit militare Imperium conſenſu militum tranſire in aliquem ſine auctoritate illius Reip. cui bellum geritur, & a qua cingulo induuntur; ne famuli jura uſurpent ſibi dominorum, neve pars a corpore avulſa munere fungatur totius corporis. Quamobrem jure gentium neque civilis, neque militaris rei tradendæ poteſtatem habent milites, ſed exercitium tantum illius a Repub. mandatum: cum facultas ipſa rei militaris mandandæ portio ſit ipſius civilis poteſtatis, minime cum corpore militari abeuntis, ſed in Republica vel Regno perpetuo permanentis.

CAPUT XXIX.

De Auctoritate Senatus, & poteſtatis civilis in militarem ex jure Romano.

NUnc ex veteribus Romanorum inſtitutis palam faciemus, militare Imperium nonniſi lege, vel S. C. mandari potuiſſe, adeo ut miles voluntatem tantum ſuam Imperatori tribuerit, Senatus vero & populus legitimam auctoritatem. Cum enim omnia inſtituta veterum publica, unde prodit ratio civilis, ita firmiter hæreant, ut rerum variatione difficulter convellantur, tum ea præcipue, quæ a religione in animos hominum demittuntur. Unde urbis parentes Romulus, Numa, Regeſque alii, quorum prudentiſſima initia felicitatem peperere poſterorum, ne leges & inſtituta; quibus futuram Imperii magnitudinem moliebantur, ullo unquam tempore dilaberentur; neve fundamenta Reip. abriperentur motu curſuque perpetuo ac vario rerum humanarum; ea ritibus implicuere ſacris, & veteris illius ſuperſtitionis auctoritate ita munierunt; ut Remp. populus non tam a magiſtratibus, quam a commentitiis illis Numinibus, quibus virtutis eventus aſſignabantur ſuſtineri, atque augeri exiſtimaret: dum legibus jubendis, & creandis magiſtratibus, conſilia, quæ caperet a propria prudentia, tribueret Diis; quos per augures de cœlo ſervantes, conſulebant captis auſpiciis, quibus veluti nunciis divinæ voluntatis res a populo geſtæ comprobabantur: ut magiſtratibus, & legibus a Deo repetitis, cives non humana tantum, ſed divina etiam & æterna ultione ſubjicerentur.

CAPUT XXX.

De auſpiciis & lege curiata.

QUa de cauſa comitiis centuriatis, & curiatis, quibus leges ferebantur, & creabantur magiſtratus, quibuſque Reipublicæ majora negotia tractabantur, ita jus auſpiciorum attexuerunt, ut nihil apud Romanos juſtum haberetur, aut legitimum, niſi fuiſſet auſpicatum; [a] & quidquid numine auſpicioque careret, inauſpicatum, ſive injuſtum, nefaſque diceretur. Quamobrem Cæſar, qui Rempublicam violenter occupaverat, ne religione amitteret, quod armis arripuerat, comitiis, & auſpiciis utcunque ſimulatis, injuſtam ſibi dominationem confirmabat: nam, ſine illorum umbra, ne colorem quidem juſti obtineret Imperii, unde Lucanus [b].

Fingit ſolemnia campus,
Et non admiſſæ dirimit ſuffragia plebis,
Decantatque tribus, & vana verſat in urna,
Nec cœlum ſervare licet: tonat augure ſurdo,
Et lætæ jurantur aves bubone ſiniſtro.

Non mandabatur igitur Imperium, niſi lege Curiata, quia curiatis comitiis, ſive veris, ſive per triginta lictores triginta Curias referentes, adumbratis, inerat jus auſpiciorum, quibus creandus erat Imperator; nempe is, qui ductu auſpicioque ſuo regere debebat exercitum & bellum adminiſtrare: [c] unde illo auſpicato, comitiis

[a] Dionyſ. libro primo pagina 81. numero 35.

[b] lib. 3. v. 392. (c) Cic. de orator. lib. 2.

mitiis curiatis, auſpiciorum cauſa, retentis, creabatur, & ita creatus in Capitolio accipiebat auſpicia, ſub quibus milites duceret, (*a*) veluti Jovis Capitolini, & Martis Quirini miniſter. Nam, niſi ex urbe auſpicia duxiſſet in caſtra, nihil auſpicato gerere potuiſſet, ideoque inutilem poteſtatem inter milites jactaſſe.

Qui ritus auſpiciorum, auſpiciiſque nexa civilia inſtituta exorto Imperio minime interire potuerunt, quia ſimul cum imagine veteris Reipublicæ religionis nexu tenebantur. Quam religionem ſimulare ſaltem & adumbrare cogebatur quiſquis utcunque impius dominator: niſi convellenda religione ruere ipſe voluiſſet. Unde diu etiam poſt Chriſtianorum Imperium, ſimulacra veteris ſuperſtitionis, civilium inſtitutorum cauſa, permanſerunt. Cum autem Comitiorum omnium jus una cum jure auſpiciorum iis adjuncto tranſierit in Senatum; poteſtas legis curiatæ conceſſit in S. C. ſine quo nemo juſtus erat Imperator, quamvis a militibus appellatus; quia milites & poteſtate civili carebant; & jure auſpiciorum, quibus ſublatis, civilis aut militaris nulla conſiſtit auctoritas. Quæ auſpiciorum, publicæque auctoritatis religio, mandando Imperio, adeo inſidebat animis Romanorum; ut quamvis C. Marcius rem Romanam in Hiſpania, Scipionum clade prolapſam, inopinato reſtituerit; eum tamen a militibus ducem, ſine Senatus auctoritate creatum, nullo modo tulerint, indignantes, quod ſine auctoritate Patrum, ſe *Proprætorem* inſcripſerit, nulloque modo permittentes, ut *Proprætori* ei reſcriberetur. *Rem enim*, ut ſcribit Livius, (*b*) *mali exempli putabant, Imperatores legi ab exercitibus, & ſolemne auſpicatorum Comitiorum in caſtra, & provincias procul ab legibus magiſtratibuſque ad militarem temeritatem transferre*: prudenter prorſus, nam niſi Senatus auctoritas militem continuiſſet; ne coaleſcere quidem potuiſſet Reſpublica illa militaris, quæ, quo pluribus pollebat viribus, ad perdomandas nationes, eo validioribus nexibus indigebat ad coercendos, ac moderandos ex uſu Reip. nationum domitores: quos in poteſtate ſua nunquam habuiſſet, neque ab ipſius urbis direptione avertiſſet, ſi militum in voluntate jus Imperii condidiſſet, non in legibus publicis, ritibuſque ſacris; quorum auctoritate Imperium antea quidem a populo univerſo lege Curiata, (*c*) poſtea vero a Patribus ex S. C. mandabatur. Quamobrem in Senatu conditam auctoritatem omnem publicam, ibique ab initio a Romulo auſpicato conſtitutum profitetur Otho (*d*) apud Tacitum, his verbis:

Quid vos pulcherrimam hanc urbem domibus, & tectis, & congeſtu lapidum ſtare creditis? Mutæ iſta & inanima intercidere, ac reparari promiſcue poſſunt, æternitas rerum, & pax gentium, & mea cum veſtra ſalus, incolumitate Senatus firmatur. Hinc auſpicato a parente & conditore urbis noſtra inſtitutum, & a Regibus uſque ad Principes continuum & immortale, ſicut a majoribus accepimus, tradamus. (*)

CA-

(*a*) Livius *lib.* 4. Cic. *de leg. Agrar.* Sigon. *de leg. Curiat. cap.* 5.

(*b*) *lib.* 26. *cap.* 2.

(*c*) Sigon. *de lege Curiat. c.* 11. *l.* 1. §. *qui mandatam ff. de offi eius, cui mand. eſt juriſdict.*

(*d*) *lib* 1. *p.* 447.

(*) Ultra progreſſus Auctor contenderat, Imperium Imperatoribus a ſolis militibus conferri non potuiſſe, primo, in capita viceſimo octavo, ex ratione juris gentium, quia milites ſint tantum pars Reipublicæ, iique proinde non poſſint pertarre jus univerſæ civitetis, tum capita ſequenti, quia Romæ nominatim auctoritas legitima a Senatu & Populo tribui debuerit, militibus autem nihil niſi honos obſequii Senatui debiti relictus ſit. Subjicit hoc capite, id porro vel ideo non potuiſſe; quia Imperatoribus auſpiciis opus fuerit ad rite ſuſcipiendum Imperium, legitima eutem auſpicia fieri nequierint niſi precedente Senatusconſulto. Sed ut jure gentium nihil impedit, quo minus ſumma poteſtas a potiſſima Reipublicæ parte deferatur, eamque partem conſtituant milites, ſic Romæ in rerum id uſu eveniebat, ut occupata Republica milites & in tuendo & in deferendo Imperio; auctoritate Senatui prævalerent. Argumentum, quod ab auſpiciis petitur, minus validum eſt, cum euſpicia præcedentibus Senatuſconſultis adhibita fuiſſe & Auctor agnoſcat, & aliunde conſtet. Sed hæc Senatus aucteritas tum dieis cauſa adhibebatur. Illud cæterum memorabile, Conſtantinum interdicta, ſub pœna capitis, auſpicina privata, publica eam a Senatu & magiſtratibus exerceri ſiviſſe in *L.* 1. *C. Th. de maleſic. & mathem.* quam præter Gothofredum illuſtrat Relandus in *Faſtis Conſularibus*, *p.* 309.

CAPUT XXXI.

Quale fuerit Imperium Cæſarum.

NOn enim aliam (*) tulit naturam Imperium Cæſarum ab Imperiis, quæ ante Cæſarum creationem, cum res poſceret extra ordinem, vel privato, vel magiſtratui decernerentur: quale fuit Imperium, quod a populo Auguſtus omnium Cæſarum auctor & parens, primo ad quinquennium, ne in ſuſcipionem Regni cum aliis triumviris veniret; (a) poſtea decimo quoque anno pacandis provinciis accipiebat, quodque per eandem cauſam ſibi tota vita continuatum patefecit poſteris: qui ne plus quam Auguſtus ſibi viderentur adrogare, retentis ludis decennalibus, Imperii repetitionem per temporum intervalla ſimulabant, ut ſupra ſignificavimus. Cujus Imperii exempla jamdiu ante Reſp. dederat plurima; tum in ipſius Octaviani perſona, quem utpote admodum adoleſcentem legibus a populo ſolutum Senatus, ex ſententia Ciceronis, Proprætore miſit, & Imperatorem creavit adverſus Antonium; tum in perſona Cn. Pompeji ad bellum Senatorianum & Piraticum, & rei frumentariæ cauſa Proconſulis; (b) itemque Caji Cæſaris ad Gallicum, & P. Scipionis ad Hiſpanicum, & aliorum ſive magiſtratuum, ſive privatorum; quibus magiſtratus adjungebatur, quia Imperii jure poteſtatem tantum accipiebant in milites ſacramento ſibi obnoxios; (c) jure vero magiſtratus, & appellatione ſive Proconſulis, ſive Proprætoris poteſtatem accipiebant in ipſos provinciales & Provincias, per quas, aut in quas ducerent exercitus, ad militare Imperium facilius expediendum. Cum autem olim militaris, & Proconſularis Imperii tantum portio, æque ad tempus certis civibus mandaretur; Cæſaribus inſtitutis tribuebatur univerſa, & infinita per Imperatoris nomen & Imperium Proconſulare, quod ut ut recentioribus temporibus in Imperatorem, tacito populi conſenſu forſan tranſierit, quippe quia ſine illo minime poterant Imperatores explicare Imperium illud militare ac bellum ubique adminiſtrare, cogendis Provincialibus, conſcribendiſque militibus, & pecuniis ad ſtipendia imperandis; initio tamen non nominibus tantum, ſed etiam temporibus actibuſque diſtinguebatur, nec ſimul cum Imperio militari Proconſulare tradebatur; ne ſi conſunderentur, obſoleſceret Senatus auctoritas: quæ binis deferendis Imperiis repetita, & multiplicandis actibus multiplicata crebrius emergebat. Quamobrem Dion (d) refert, eas poteſtates omnes, quas Imperatores accipiebant, quamvis ſuis temporibus conferrentur ſimul, tamen ſingulas antea certa lege fuiſſe mandatas: adeo ut prius quidem pluribus vicibus; poſtea vero ſemel Senatus efferretur auctoritas in poteſtatibus tribuendis, iiſque titulorum diverſitate ſecernendis, ne aut coiiſſe ſimul, aut tanquam civilia militaribus hæſiſſent, & magiſtratus eum Principatu coaluiſſent imperitis rerum civilium, quæ ſeorſum per ſe conſiſtebant, in Imperatorium titulum transfuſa viderentur.

CAPUT XXXII.

De Imperatorum creatione.

QUæ Imperatorum creatio etſi S. C. & Patrum auctoritate compleretur; apud hiſtoricos tamen haud raro invenitur tributa militibus; non quia jus aliquod ab eis conferretur, ſed quia Patrum auctoritas eo plerumque vertebatur, quo militum voluntas tenderet: adeo ut Imperatoris creatione milites voluntatem ſuam, vel appellando, vel purpura eum induendo ſignificarent; Patres vero, quem acclamatione ſua exercitus petebat, Imperatorem inſtituerent: quando potentiori exercitu, qui a Patribus ſtaret, militum votis repugnare nequirent, ut omnium Imperatorum creationem, cujus initium proceſſerit a militibus, ita debeamus acci-

(*) Imo, quis credat, Imperatorum, occupata Republica non aliam, quam libera ea fuiſſe poteſtatem, cum iis tot egregia jura ipſa lege Regia conceſſa, legamus. *Porro* quæ de ſingulis dignitatibus, Imperatoribus, ſingulis legibus Senatuſve conſultis delatis, dicuntur talia ſunt, ut ipſe Gravina agnoſcat, locum iis dari non poſſe, niſi in ſolis Imperii incunabulis.

(a) Dion *lib.* 48. *p.* 379.

(b) Dion *lib.* 39 *p* 96.

(c) Sigon. *de lege Curiat. t.* 6.

(d) *lib.* 53. *pag.* 509.

accipere, quemadmodum Neronis creationem deſcribit Tacitus (*a*) his verbis *Illatuſque caſtris Nero, & congruentia tempori præfatus, promiſſo donativo, ad exemplum paternæ largitionis, Imperator conſalutatur, Sententiam militum ſecuta Patrum conſulta*. Et quoniam vulgo, ac ſemper ad Imperatorem juſtum ac legitimum futurum accedebat S. C. propterea hiſtorici de more tranſeunt in medio poſita, ſatiſque habent voluntatem referre militum, neque Senatus operam fere commemorant, niſi quando novus Imperator initium & culmen fortis ſuæ a Patribus unice acciperet. Nam neque hiſtoricorum eſt adhibere cautiones Juriſconſultorum, neque ſi quis Catholicum Epiſcopum a Sacerdotum collegio creatum noſtris temporibus referret, propterea Pontificis Romani auctoritatem, quam reticuiſſet, excluſiſſe cenſeretur; nam quid ineptius, quam quoties uſuvenit id repetere, ſine quo minime res geſta conſiſteret? Quid frigidius, quam illa inculcare, quæ propter eorum neceſſitatem, atque uſum animis omnium præſumuntur? Hinc Tacitus, poſtquam Veſpaſianum ad Imperium ſublatum oſtendit, breviter adjicit: *Senatum ei cuncta Principibus ſolita decreviſſe*: Facultates nempe iſtas, & munera civilia, & militaris imperii confirmationem, qua militum voluntas adprobabatur: ut palam ex hoc evincatur, eadem in ſingulis Imperatorum creationibus fuiſſe repetita; prætermiſſa vero eſſe tum ab eo, tum ab hiſtoricis aliis ſæpe, quia vulgo paterent: nec nominatim Senatus partes fuiſſe commemorandas, niſi cum non auctoritatem tantum, ſed & opem, conſiliumque ſuum Patres præſtitiſſent; aut appellati a militibus Imperatores non ante quod a militibus offerebatur accepiſſent, niſi poſtquam intellexiſſent Senatus voluntatem; cum aut contendere armis nequirent, aut legum auctoritatem violenter partam non minus turpem ſibi, quam periculoſam exiſtimarent.

(*a*) *annal. lib.* 12. *cap.* 69.
(*b*) *lib.* 1. *hiſt.*
(*c*) Vopiſc. *in Aurelian. c.* 40.
(*d*) Sveton. *in Galb. c.* 10.

CAPUT XXXIII.

De Senatus auctoritate in creatione Imperatoris.

QUa opinione qui pervolvet hiſtorias paſſim creandis Imperatoribus, intuebitur Senatus poteſtatem explicatam, non tantum per ſeriem priorum inde ab Auguſto exorſam; ſed etiam poſteriorum, quorum creationem ad ſe milites traherere cœperunt, poſt detectum in legendo Galba illud, quod Tacitus appellat (*b*) *Imperii arcanum*; *poſſe Principem alibi quam Romæ fieri*: hoc eſt poſtquam agnoverat exercitus vires ſuas, atque comperierat, quem exercitus ducem legiſſet, ei Senatum oportere legitimam conferre poteſtatem; ni vane ſperarent Patres jure ſe ac legibus potentiam & violentiam ſuperaturos. Unde prudenter monuit Tacitus Imperator, non eſſe committendam injuriæ militum auctoritatem Senatus, ideoque militum ante judicium explorandum; alioquin, ut ille animadvertebat, niſi fieret a militibus, quod a patribus diceretur, & electi periculum fuiſſet, & eligentis invidia. (*c*)

Cum autem jus Imperatoris creandi eſſet unice penes Senatum; Galba, cui primo in provincia milites imperium obtulerunt; antequam a Senatu probaretur, legatum S. P. Q. R. ſe profitebatur, (*d*) neque Cæſaris appellationem ſuſcepit, niſi poſtquam ex nunciis urbe cum S. C. miſſis omnes in verba ſua juraſſe cognovit. (*e*) Et Otho, Galba interemto, imperium quod violenter arripuerat, impetrare voluit a Senatu, a quo & ſacramentum & Cæſaris atque Auguſti appellationem accepit. [*f*] Item Vitellio refert Tacitus tributa omnia fuiſſe initio Principatus, quæ tempore intermiſſo aliis principibus, decernebantur. *In Senatu* (inquit) *cuncta longis aliorum principatibus compoſita, ſtatim decernuntur*. (*g*) Verum neque Otho dignus eſt, unde proferatur exemplum, neque Vitellius, qui a militibus in Germania Imperator conſalutatus, incer-

(*e*) Dion *lib.* 63 *p.* 727 Plutarch *in vita Galb p.* 1055.
(*f*) Plutarch. *in vita Galbæ in fin.*
(*g*) *hiſtor. lib.* 2. 55.

incerto jure fluctuans, Auguſti nomen diſtulit, Cæſaris in perpetuum recuſavit; (a) adeo ut ſeditionum potius tumultuarii duces hi fuerint, quam Imperatores P. R. Quamobrem trium horum principatum *Imperium incertum*, & *vagum* appellat Svetonius; (b) ideoque, ut ſupra indicavimus, lex Regia nomina eorum haudquaquam recepit. Quo unice argumento contra omnes vicerim ſincerum illud ac germanum eſſe monumentum; tantum abeſt, ut inde ulla ſuſpicio aut nota falſitatis oriatur. Veſpaſiani creationem S. C. munitam idem nobis monumentum fundando illius Imperio conditum offert, præter hiſtoricorum Taciti (c) & Svetonii (d) teſtimonia. Titum vero & Domitianum filios in ipſa patris creatione jam Senatus Cæſares appellaverat: (e) quæ appellatio, ut mox oſtendemus, pignus erat publicæ voluntatis, ac ſpes Imperii ſponſioque illius, cujus fiebant compotes Auguſto extincto, niſi expreſſe Senatus a priſtina voluntate deceſſiſſent. Nam Cæſareum nomen primo hereditatem Julii Octaviano delatam ſignificavit, poſtea deſignationem ad Imperium, ad cujus ſpem per eam appellationem vocabatur a Senatu Imperatoris naturalis filius, vel adoptivus; ut in Auguſti familiam adſcitus & patris potentiam nactus favorem prætorianorum, & paternam ſibi factionem adjungeret; eaque via poſt patris mortem perveniret ad Imperium, & impetraret Auguſti nomen, quo plena & perfecta dignitas atque poteſtas Imperatoria exprimebatur, cum per Cæſaris nomen tantum exordium & ſpes adumbraretur illius. Quamobrem cœpit poſtea Cæſarum dignitas, ut pote Imperatoriæ familiæ nota, tribui ab ipſis Imperatoribus, quorum arbitrio deprimebatur, aut extollebatur poteſtas Cæſarum: qui ſub patris tyrocinio in munere Imperatorio exercebantur, ejuſque viribus ita munibantur, ut, Imperatore mortuo, cogeretur Senatus, aut civile bellum, aut imperium, ſive nati, ſive adoptivi ſubire Cæſaris. Porro Heliogabali tempore Cæſaris appellandi ſolius Senatus erat poteſtas: Lampridius enim (f) ſcribit, Heliogabalum, quem pœnituerat adoptaſſe Alexandrum, Senatui mandaſſe, ut Cæſaris nomen illi abrogaret.

Nervam, legionibus poſcentibus, Patrum omnium plauſu ad Imperium ſublatum ſcimus. (g) In Trajanum a Nerva patre Imperii conſortem adſcitum, Senatus adoptione probata, & Cæſaris ei cognomento tributo, una cum populo univerſo conſenſerat, eo plauſo atque utilitate orbis terrarum, ut ſi tot aliis nominibus nullis, tamen unice ob Imperium Trajano pariundum, Imperium Nerva meruiſſet. (h) Adrianus etſi ſtatim a Trajani morte Imperium a militibus oblatum Antiochiæ in Syria ſuſcepiſſet; continuo tamen illud a Senatu poſtulavit per literas, quibus veniam a patribus petens, excuſavit militarem feſtinationem ac motus exercituum, quibus ſe ducem negare, ſalva Rep. minime quiverit. (i) Antonino Pio Senatus judicium ſuum jam ab eo uſque tempore tribuerat, quo a patre Adriano adoptatus in curia Proconſulare Imperium, & Tribunitiam poteſtatem ex S.C. cum patre participavit: (k) quibus titulis tantum Imperatori congruentibus Imperator fuerat a Senatu deſignatus. M. Aurelius, qui adoptatus (l) & Cæſar appellatus, & in ſocietatem Tribunitiæ poteſtatis adſcitus ab Antonino Pio fuerat; poſt illius mortem a Senatu non probatus tantum, ſed & coactus accepit imperium: utpote Platonis diſcipulus, nec verbo, ſed re philoſophus ad ſupremam poteſtatem, tanquam ad ſcopulum propriæ tranquillitatis votiſque atque precibus populorum, non ſua ſed illorum cauſa unice acceſſurus. Is Imperator omnia philoſophiæ præcepta, quæ propriis reddiderat exemplis, fœde conturbavit, extollendo filio ſuo Commodo gladiatore ſceleſtiſſimo, quem adhuc puerum Cæſarem appellatum, & ante juſtam æta-

(a) Sveton. *in Vitell. cap.* 8. Plutarch. *in vita Galbæ* Tacit. *hiſt. c.*62.
(b) *Init. vita Veſpaſian.*
(c) *lib* 4. *hiſt. cap.*3.
(d) *In Veſpaſ.*
(e) Dion *lib* 66. *p.* 744.
(f) *In vita Heliog. cap.* 13.

(g) Dion *lib.* 67. *pag.* 769. Aurel. Vict. *epit. in Nerva.*
(h) Dion *lib.*69. *p.*770. & 771. Plin *in Paneg.*
(i) Dion *lib.*69. *p.*788. Spart. *in Adrian. c.*6.
(k) Capitolin. *in vita Adrian. cap.*4. Dion. *lib.*69. *p.* 796. & *ſeq.*
(l) Capitolin. *in Antonin. cap.*5. & 6. & 7.

ium damno publico ſolutum legibus, ad ſummos magiſtratus erexit, indeque ad conſortium Tribunitiæ poteſtatis, ac denique ad ipſum Imperium, (*a*) non militum opera, ſed ſummarum opinione virtutum, quibus ſibi Marcus adeo Senatus, & populi animos obligaverat atque ſubegerat, ut facile illi fuerit, Senatu haud invito, Rempublicam imprudentiſſime filio tradere diripiendam.

Pertinax a Læto Præfecto Prætorio, & ab electo cubiculario deductus in caſtra, militum animos exploraturus, in Curiam inde conceſſit, non tam accepturus, quam recuſaturus Imperium; quod demum non auctoritate rantum, ſed precibus etiam Senatorum admiſit. (*b*) Adeo ut plurimi cum Patribus gratularentur, quod Pertinacis Imperio Commodianam factionem demum evaſiſſent, & Pertinax, apud Herodianum, (*c*) graviſſima oratione a Senatu habita, ei tantæ dignitatis faſtigium acceptum tulerit *τῆς τυχούσης παρ' ὑμῶν τιμῆς obtigentis mihi a vobis honoris*. Didius Julianus partum pecunia Imperium, ne fruſtra emiſſet a Prætorianis, ut ſibi rectius conſuleret, auctores quæſivit idoneos, nempe Patres, quibus oratione in Senatu habita, Principatum debere voluit, ut ſcribit Spartianus in ejus vita (*d*) his verbis: *Veſpere in Senatum venit, totumque ſe Senatui permiſit; factoque S. C. Imperator eſt appellatus*.

Severum, quem cogente Juliano, prius hoſtem (*e*) judicaverunt, poſtea vero ejuſdem voluntate ad Imperii participationem vocaverant; eodem S. C. Patres Imperatorem appellaverunt, quo Didio Juliano, contra quem plurimi Severum occulte ſuſcitabant, vitam & Imperium ademerunt.

Caracalla parente vivo & Imperator deſignatus fuerat, (*f*) & Auguſtus appellatus, & jam ante ſimul cum patre Tribunitiam poteſtatem acceperat. Et quoniam alii primum Tribunitiæ illius poteſtatis annum teſtimonio hiſtoriarum exordiuntur a menſe Aprili A. a C. N. CXCVIII. alii auctoritate inſcriptionum a menſe Junio; ideo acutiſſimus Noriſius putat, modo initium fuiſſe ductum a tempore, quo ei Tribunitia poteſtas, patris voluntate, deſtinabatur; (*) modo a tempore legitimo, nempe a die, quo eam rite tulerat a Senatu, a quo die, qui conſultius loquuntur, tales poteſtates auſpicantur: (*g*) Siquidem Dion, (*h*) irrita ſignificat omnia Imperatoria cognomenta, quibus uſurpandis, aut a militibus accipiendis, Patrum decretum Principes antevertiſſent. Hinc ille annos, quibus Severus imperavit, a S. C. die numerat, non a tempore acclamationis militaris, (*i*) ut recte Tillemontius obſervavit. (*k*) Macrinus quamvis in magna rerum fluctuatione adminiſtrandum ſuſcepiſſet Imperium oblatum a militibus, quibus occiſo in caſtris Caracalla, Dux non ſine magno ab hoſtibus periculo defuerat; non eſt auſus tamen profiteri ſe Imperatorem, antequam literis ad Senatum miſſis, ſibi & Diadumeno filio a Senatu Imperium impetraſſet. (*l*) *Detulerunt* (ſcripſit ille iis in literis a Capitolino relatis) (*m*) *ad me Imperium* (ſcilicet milites) *cujus ego tutelam recepi: tenebo regimen ſi & vobis placuerit, quod militibus placuit*. Quamobrem ingenti gaudio Senatus ei Auguſti nomen & omnia Imperatoria jura decrevit. (*n*)

Heliogabalum fœdiſſimum illud, & vulgare ſcortum, qui nondum conſulto Senatu, ſola voluntate militum ſe Imperatorem & Auguſtum inſcripſerat, adeo indigne tulit S. P. Q. R. ut mortui memoriam ſtatim damnarit, (*o*) ac ſolo metu ad tempus eum agnoverit, quoad ab iiſdem tolleretur, per quos non legitima creatione,

(*a*) Capitolin. *in Anton c.*16. & 17. Lamprid. *in Commod. cap.* 1. & 2.

(*b*) Capitol. *in Pertinac. c.*4. & 5. Dion *lib.*72. *p* 830.

(*c*) *lib.*2. *cap.*10.

(*d*) *Capite tertio*. Dion *lib.*73. *pag.* 836.

(*e*) Spartian. *in Julian. c.*5. & 6 Herodian. *lib.*2. *c.*41.

[*f*] Spartian. *in Sever. c.* 16.

(*) Forſitan ei tanquam Cæſari hæc poteſtas delata & dein initio Imperii repetita eſt, ſic, ut alii annos Tribunitiæ poteſtatis a tempore, quo Cæſar dictus eſt, computaverint aliis annos ſubducentibus Imperii. Librum de *Tribunitia Imperatorum poteſtate bifariam dinumerata* meditatus eſt Nicolaus Toinardus, , ſed qui lucem non vidit. Conferendi Valſechius in *diſſert.* de *Eliogabali Tr. pot.* & Chriſtianus Gottlieb Schvvarzius de eodem argumento.

[*g*] Tillemontius *in Sever. nota* 19. & *articul.* 14.

(*h*) *Lib.*79. *pag.* 907.

(*i*) Dion *libro ſeptuageſimo quarto pag.* 839.

[*k*] Tillemontius *in vita Sever. nota ſeptima*.

[*l*] Capitolin. *in vita Macrin. c* 7.

(*m*) *Cap* 6 & Herodian. *lib.*5. *c.*2.

[*n*] Herodian. *lib.*5. *p.*161.

(*o*) Lamprid. *in vita Alexand. c.*7.

Digitized by Google

tione, ſed rapina imperium occuparat. Unde Dion (*a*) pro novo illius ſcelere affert, quod cognomenta Imperatoria, contemto Senatu, & patriis inſtitutis, contra jus faſque præſumſiſſet. Quo unice loco proſtraverim omnes legum & antiquitatis imperitos, qui jus Imperatoris creandi a Senatu avertunt ad milites.

Alexander Severus Cæſar, Patrum decreto, dum Heliogabalus viveret, renunciatus, (*b*) & poſt illius mortem acclamatione militari deductus in Senatum; ibi cum Auguſti nomine novo exemplo eodem die Pontificatum Max. Tribunitiam poteſtatem, & Conſulare imperium ſe accepiſſe gloriatur, eoque nomine gratum ſe univerſo Senatorum ordini futurum profitetur.

Maximinus (*c*) parricida, cæſo Alexandro, primus a militaribus, abſque Senatus decreto, Auguſtus appellatus, etſi perfidioſe ac violenter arripuiſſet imperium; tamen ut indignum facinus, auctoritate legitima, prætexeret, per literas militum voluntatem ſignificavit Patribus, (*d*) qui metu perculſi, eam comprobarunt: (*e*) donec in libertatem redeuntes, ac ſpem ab Africano exercitu capientes, immanem illum Thracem hoſtem judicarunt, Imperium ab eo in Gordianum ſeniorem & filium, (*f*) quibus ſeſe Africanus exercitus tradiderat; iiſdem mortuis ad Maximum & Balbinum, indeque ad Gordianum alium juniorem transferentes, quem Balbino & Maximo vivente, Senatus Cæſarem appellaverat. (*g*)

Maximino ſceleratior ſicarius Philippus Arabs, qui fidei ſuæ traditum Gordianum imperio exuit & vita, (*h*) exercitibus ad ſe tranſductis, miſit ſtatim ad Senatum literas, quibus ut ab eo militaris acclamatio probaretur, Gordianum morbo periiſſe mentiebatur, cui mendacio Patres fidem habentes, aut habere ſimulantes, metu atrocioris facinoris, Auguſtos ei honores decreverunt. (*i*)

A Philippo ad Valerianum plurimæ Cæſarum vitæ intercurrunt, quæ in Latinorum hiſtoria Auguſta deſiderantur, & aliis ex ſcriptoribus a Caſaubono ſupplentur, (*k*) quorum aliquibus vix lambere contigit Auguſtam poteſtatem, vixque ſpatium patuit ad Patrum conſenſum impetrandum; aliquibus vero ſuorum factorum omnium teſtimonium deeſt hiſtoriarum; quarum lux non adeo tamen elanguit, ut per novem circiter annos illos, quibus imperium plurium Cæſarum varia fortuna fluctuavit, non emineat in Imperatorum creatione Senatus auctoritas, eaque ſine ulla miſtione acclamationis militaris: qua unice Senatui poteſtate a Zonara creatus fertur (*l*) Imperator Marcus, & Severus Hoſtilianus, quorum adhuc memoria ſolius Zonaræ beneficio vivit. Gallo item, & Hoſtiliano Perpennæ a Senatu delatum fuiſſe imperium, tradit Aurelius Victor. (*m*)

Decii adeo monumenta perierunt, ut potius impia ſua facta a ſacra, quam civilia ex profana hiſtoria prodantur. Unde non mirum, ſi tanta in imperii brevitate, ac tumultuatione Reipublicæ, quæ rite proceſſerint, lateant poſteris. Quantopere vero ei tribuerint PP. oſtenderunt, cum L. Priſcum ſub illo invadentem Imperium hoſtem pronunciarunt; (*n*) ut ei nullo modo Senatus auctoritas deeſſe potuerit. Neque Decius rerum humanarum peritiſſimus tot bellis implicatus deſeruiſſet provincias, & Romam ſeſe contuliſſet; niſi ſententiam Senatus impetraturus, commotaſque ſeditiones auctoritate Reipublicæ in ſuum imperium ſuæque ſobolis ſpem conſentientis compoſiturus.

Valerianum virtute ſimul & calamitate memorabilem, inſigni perfidia in Saporis Perſarum Regis poteſtatem deductum, non tam milites, quam conſenſus mortalium univerſorum, & omnium ordinum, & conſequenter Senatus potiſſimum

E 2 lege-

(*a*) *lib.79. p.907. & 909.*

(*b*) Herodian. *lib.5. cap. 18. vide* Lamprid. *in Heliogab.*

(*c*) Capitolin. *in Maximin. cap.* 8. Aurel. Vict. *in Maximin.*

(*d*) Zonar. *annal. tom.2. in Maximin.*

(*e*) Aurel. Vict. *in Maximin.*

(*f*) Capitolin. *in Maximin. cap.* 15. *&* in Gordian. *cap.* 10.

(*g*) Capitolin. *in Gordian.* 3. *cap.*22.

(*h*) Capitolin. *in Gordian.* 3. *cap.* 29. *&* 30. Aurel. Vict. *in Philipp.*

(*i*) Capitolin. *in Gordian. cap.*31.

(*k*) *In notis varior. ad ſer. hiſt. Aug. poſt.* Gordian. 3.

(*l*) *Annal.* 3. *in* Gordian. 3.

(*m*) *de Cæſar. num.* 31. *item auctor hiſtoric. miſcell. hoc loco.*

(*n*) Aurel. Vict. *in Decio num.*25.

legerat Imperatorem; (*a*) cui ſuæ voluntatis et antea quidem pignus tradiderant Patres, ſuſcitanda in illius perſona cenſura jamdiu intermortua; (*b*) et poſtea fœnus perſolverunt, cum Gallienum filium illius Cæſarem appellarunt, (*c*) patrique conſortem Imperii dederunt (*d*) ut omnia eis contuliſſe Senatum ſatis liqueat, utcunque Valeriani tempora ſint obſcuriora.

Quid loquar de tumultuariis aliquot Imperatoribus, et Ducibus iis provincialium exercituum, qui ſub Gallieno in commotione illa civili, ſuorum cujuſque militum ſtudiis ad ſe Imperium rapiebant? quibus uti plena vis ad ſuperandum apud Senatum Gallieni potentiam, ita jus omne defuit ad imperandum; adeo ut a Scriptoribus XXX. tyrannorum numero habeantur, donec ad Claudium ventum eſt hujus nominis alterum, quem ante militum ſententiam, communibus ſuffragiis Imperium ſuſcepiſſe, tradit Zoſimus, his verbis:

Κλαύδιος τὴν τῶν ὅλων ἡγεμονίαν παραλαμβάνει, καὶ πρότερον τῆς κοινῆς ψήφου ταύτην δέους αὐτῷ. *Claudius ſummum Imperium occupavit ſibi ante communibus conceſſum ſufragiis.* Cum Zoſimo non obſcure convenit Trebellius Pollio, (*f*) a quo et Senatus univerſi plauſus in illius Imperio comprobando referuntur. Quintilius illius frater Imperator a militibus, et a Senatu Auguſtus appellatus ab Eutropio, (*g*) et a Zonara traditur. (*h*)

Ab hoc paucis diebus ad Aurelianum commigravit Imperium, non conſenſu militum tantum, ſed hominum univerſorum: ut cum Romam ille ſtatim Imperator appellatus petierit, nullo modo ei deeſſe potuerint conſueti honores a Senatu prodeuntes; nec neceſſe fuerit, ut anxie ab hiſtoricis memorarentur, propter electionem illius omnium concordia ordinum initam. (*i*)

Aureliano in necem Reipublicæ Mneſtei liberti ſui fraude interemto, (*k*) milites, qui tot ſub eo victoriis claruerant, obſequio etiam erga Patres, et memorabili pudore, præquam antea, excelluerunt. Ultro enim ſex menſium (*l*) illuſtri contentione ter Senatui remiſerunt judicium de legendo Imperatore, quod Senatus permittere conſueverat exercitibus, ut ejus libentius ducerentur auſpiciis: cui ſe propria voluntate tradidiſſent. Nam Svetonius (*m*) refert ſub Tiberio, militum aliquorum ſeditionem eſſe ortam, qui detrectarent Principem non ab ſe datum.

Poſt Aureliani porro interitum, tot a Romuli morte ſeculis, revixit inter milites antiqua illa modeſtia plebis, quæ Patribus Regis creationem, ab eis ſibi conceſſam, reddiderat, (*n*) iidemque milites Senatus jus in edendo militiæ Principe, inque regendo orbe terrarum, pietate pleniſſimis literis, (*o*) ad Patres miſſis, teſtatum reliquerunt, quarum hæc verba deſcripſimus: *Hunc* (Aurelianum) *inter Deos referte Sancti & Domini P.C. & de vobis aliquem, ſed dignum veſtro judicio, Principem mittite.* Quamobrem Patres Tacitum primæ ſententiæ Senatorem, (*p*) virum priſca integritate invitum et reluctantem, lubentibus et prudentibus legionibus obtulerunt: et cum Romæ, tum ad exteros populos, Patres publicis literis exultarunt, quod plenum et integrum creandi Principis arbitrium, potentia militari prius extenuatum, ad fontem ſuum, Taciti creatione, refluxerint: (*q*) ac patres redierint ad exercitium e us juris quod ſemper habuerunt. *Gratias* (ſcribebat Senator Claudius) (*r*) *Gratias exercitui Romano, & vere Romano: reddidit nobis, quam ſemper habuimus poteſtatem.*

Florianus Taciti frater, quia contra Romanorum inſtituta, mortuo fratre, Imperium præ ſe, tanquam hereditarium, ſumſerat, nunquam Cæſarum numero eſt habitus. (*s*) Quamobrem proximus a Tacito Probus occurrit, qui repentino motu a militibus

(*a*) *Veter. hiſt. fragm. inter hiſt. varior. apud* Trebell. Poll. *in vita Valer.* Zoſimus.
(*b*) Trebell. Poll. *in vita Valer.*
(*c*) Eutrop. Aurel. Vict.
(*d*) Vict. *in Gallien.*
(*e*) Zoſim. *lib.* 1.
(*f*) *In vita Claud.* (*g*) *Lib.* 9.
(*h*) *In Claud tom.* 2.
(*i*) Zoſimus *lib.* 1. Zonar. *in Aurelian.* Vopiſc. *ibid.*
(*k*) Vopiſc. *in Aurelian. cap* 36.
(*l*) *Idem in princip. vit Tacit.*
(*m*) *In Tiber. lib.* 3. *cap.* 25.
(*n*) Livius.
(*o*) *Apud* Vopiſc. *in Aurelian. cap* 41.
(*p*) *Idem ibidem.*
(*q*) Vopiſc. *in Florian.*
(*r*) *In epiſtola ejuſdem apud* Vopiſc. *in Florian. cap* 6.
(*s*) Vopiſc. *in Florian.* & Aurel Vict.

Auguſtus appellatus, non ante tamen Imperium ſuſcepit, quam illud a Patribus officioſiſſimis impetraſſet literis, quibus ab eo Senatus pro arbitro, ac principe rerum humanarum agnoſcitur, per hæc verba: [*a*] *Recte atque ordine P. C. proximo ſuperiore anno factum eſt, ut veſtra clementia orbi terrarum Principem daret, & quidem de vobis, qui & eſtis mundi Principes, & ſemper fuiſtis, & in veſtris poſteris e itis. Atque utinam id Florianus expectare voluiſſet nec velut hereditarium vindicaſſet Imperium, vel illum, vel alium quempiam majeſtas veſtra feciſſet. Nunc quoniam ille Imperium arripuit, nobis a militibus delatum eſt nomen Auguſtum, vindicatum, quin etiam in illum a prudentioribus militibus, quod fuerat uſurpatum. Queſo ut de meis meritis faciatis quidquid juſſerit veſtra clementia.*

CAPUT XXXIV.

De militum jure in creatione Imperatoris.

HActenus pervolvimus ſeriem Imperatorum, quorum vel omnis a Senatu creatio proceſſerit, vel ab eo poſt militaria ſuffragia teſtimonio hiſtoricorum legitimam & civilem traxerit auctoritatem. Quæ auctoritas minime deeſſe potuit ſequentibus creationibus: quantumvis a veteribus, ſuppreſſa mentione Senatus, militibus aſſignentur, idque non quia nullum S. C. eas comitaretur; ſed quia tam certum erat & impetrabile, tamque neceſſarium & ſolemne, ut omnium opinione præſumeretur. Ab eo enim tempore, ſicuti militaris potentia electionem omnem ſummi Ducis ad ſe trahebat; ita ne jus Patrum inerme cum armata violentia dimicaret, Senatus, qui niſi ſponte ceſſiſſet ac libere, turpiter atque ſerviliter ſuccubuiſſet, poteſtatem civilem nunquam negavit iis, quos potentia militaris ad Imperium extulerat: ut eis confirmandis auctoritatem retineret illam, quam eiſdem rejiciendis prorſus amiſiſſet. Quod unum poſt varia & exitialia experimenta remedium invenerunt bellorum civilium, quibus ſua cum clade Senatores implicabantur, ante Gallienum, qui primos eos prohibuit a caſtris: (*b*) quæ antea cum ſequerentur (*c*) vitare nunquam poterant odia partium, ſi creando ſummo Duce, auctoritate ſua ſtudia dividentes, unam præ alia militarium factionum attollerent, eoque Senatum converterent univerſum, ancipitem diu futurum, dum de Imperio agitaretur, ſub obnoxio ne ſibi eſſet, an ſub offenſo Principe cadendum.

CAPUT XXXV.

De remotione Senatorum a militia.

QUAM fuiſſe cauſam putaverim, cur adeo patienter tulerint Patres ademtam ſibi a Gallieno militiam, neque fategerint amplius repetere a militibus creandi Principis arbitrium ſæpius præreptum, & aliquando Taciti, & Probi creatione ſibi pleniſſime redditum. A quo tempore tradit Victor (*d*) ad ætatem uſque ſuam, ita militarem potentiam convaluiſſe, ut Imperium Senatui, creandique jus Principis abſtulerint, quieſcentibus Senatoribus. (*) Quibus ſi ſpes proſperi ſucceſſus affulſiſſet, nunquam defuiſſet animus repetendi juris ſui.

CAPUT XXXVI.

De jure civitatis in exercitum.

QUOD utcunque a militibus interciperetur, ac turbaretur; nunquam tamen avellebatur a ſede capiteque imperii Republica, quæ a Senatu præferebatur. Non enim Reſpublica exercitui, ſed exercitus Reipublicæ miniſtrat; neque Reſpublica propter exercitum, ſed exercitus propter Rempublicam inſtituitur: ut Plato docet in libro de regno, ubi cum omnes artes & facultates, tum præcipue militarem civilis poteſtatis miniſterio addicit, his verbis;

Ec.

(*a*) Vopiſc. *in Probo cap.* 11.
(*b*) Vict. *in Probo*.
(*c*) Tacit. *hiſt.* 2. *cap.* 52. (*) *in Probo*.

(*) Tunc priſtino juri ſuo renunciaſſe Senatus, & ſumma Reipublicæ ad milites perveniſſe videri poterat; poſt mortem Aureliani tamen odio præſentium, ut loquitur Vopiſcus, judicium de novo Imperatore ad Senatum rediit, miſſis ab exercitu literis, quibus a Senatu petebant, ut ex ordine ſuo Principem eligerent. Sed ſibi diffidens Senatus; probeque ſciens, lectos a ſe Principes militibus non placere, rem aliquoties ad milites retulerat, a quibus Tacitus quoque, quem tandem Senatus legerat, ſexto poſt menſe interemtus eſt.

Ξε. τὸν ἂν ποτε, καὶ ἐπιχειρήσομεν ὑπὸ δεινῆς, καὶ μεγάλης τέχνης ξυμπάσης τῆς πολεμικῆς δυνάμεως ἀποφαίνεσθαι, πλήνγε δὴ τὴν ὄντως οὖσαν βασιλικήν; Σω. οὐδεμίαν ἄλλην. Σε. οὐκ ἄρα πολιτικὴν θήσομεν ὑπηρετικήν γε οὖσαν, τὴν τῶν ϛρατηγῶν, ἐπιστήμην. (*a*) Ideo perire Senatui nunquam poterat jus Imperii ſive creandi, ſive regendi, ſine diſſolutione civilis poteſtatis vivæ populi Romani perpetuo hærentis incumbentiſque in immortali corpore, atque in urbe principe rerum humanarum, quæ jus æternum retinebat Imperii: ut in milites & Imperatores tantum exercitium tranſierit illius, ita futurum legitimum, ſi orbis terræ conſilio & Senatus auctoritate comprobaretur. Etenim & ipſi milites, ſi quando non expectato decreto Senatus, ſummum ſibi Ducem creaſſent; ſuum factum non jure, ſed neceſſitate conſueverant excuſare, ut tradit Lamprid. in *Alex, cap.*1. his verbis: *Milites jam conſueverant ſibi Imperatores, & tumultuario judicio facere, & item facile mutare, aſſerentes nonnunquam ad defenſionem ſe idcirco feciſſe, quod neſciiſſent Senatum Principem appellaſſe.* En Igitur ipſi milites farentur in Imperatoris creatione potiores patrum, quam militum fuiſſe partes. Atque ideo cum Senatus Alexandrum Severum vellet imperare, omnia ſimul ei contulit imperatoria, ne ſi qui differrent, milites ignorantiam creationis ſimulantes, veluti negligente Senatu, & uſu Reipubl. poſcente, crearent alium. Ideo Claudius Capellianus apud Vopiſcum ita reſtitutum Senatui jus a militibus gloriatur: *Nos* (nempe Senatores, ex quibus erat unus) *Nos Principes facimus, noſtri ordinis ſunt poteſtates. Gratias exercitui Romano, & vere Romano: reddidit nobis quam ſemper habuimus poteſtatem.* Et paullo poſt: *Imperatores damus, Principes facimus; poſſumus & prohibere, qui cœpimus facere.*

Cum enim jura publici regiminis ipſius civitatis conſtitutione contineantur, & civitas verſari nequeat in exercitu corpore vago & incerto, parteque illius miniſtro, quem unius diei clades ipſo cum duce aliquando deleverit: ne nimis in lubrico ſalus publica verſetur, & corpus civile periculis, vel injuriis militaribus objiciatur; lex ipſa naturæ, ac ratio conſervationis humanæ, quæ civitatem, & militiam peperit, ad Senatum, & Rempublicam, perpetuo retrahit copiarum, & Imperatoris ipſius ſupremum regimen atque creationem: ut ſi vel Imperator cum exercitu ab hoſtibus profligetur; vel civitas ab Imperatore ſuo & violentia militari diſſolvatur: emergat civilis poteſtas, exurgatque Senatus auctoritas, qua vel novus mittatur exercitus, vel Princeps perduellionis damnetur, & violentia militaris a Republica deflectatur, atque ita civitas vel hoſtibus, vel civilibus injuriis quaſſata reparetur. Ideo nemo Imperatorum negligere poterat S. C. niſi expreſſe tyrannidem profiteretur: cum enim jura civitatis non in exercitu, ſed in Republica & Senatu conderentur, ſine auctoritate Reipublicæ ac decreto Senatus non Imperator a militibus, ſed tyrannus & hoſtis patriæ creabatur. Ideo variant ſcriptores in recenſendis temporibus Imperii, aliqui annos numerent a creatione militari; alii vero, iique peritiores publici juris, a decreto Senatus, ut obſervat apud Svetonium Caſaubonus. (*b*) Quamobrem apud Tacitum (*c*) Otho Imperator ſuum alterius Imperio præferebat, quod a ſe ſtaret Senatus, cujus voce univerſa Reſpublica loqueretur, perque Patrum decretum legitimam conferret poteſtatem, ut patet ex his Othonis verbis: *Nationes aliquas occupavit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet. Senatus nobiſcum eſt. Sic fit, ut hinc Reſpublica, inde hoſtes Reipublicæ conſtiterint.* Quod igitur ex naturæ, ac gentium legibus venit, ut juri publico ſedes perpetua tradatur, ac majeſtas vel in una, vel in pluribus, ſibi ſucceſſuris familiis, per hereditarii regni conſtitutionem, aut ſi de aliis rebus publicis agatur, in certis ordinibus civium nunquam perituris, indeque certis eorum conſiliis collocetur; id etiam procedit ex inſtitutis Romanorum, qui militare quidem exercitum, quod poteſt abſque interitu Reipublicæ decedere a perſona morientis Principis, uni perpetuo tribuerunt, quem appellarunt Imperatorem; jus autem illius tribuendi ejuſdemque moderandi, ſcatebramque majeſtatis, quam oportet eſſe perennem, non in brevi & ancipiti unius hominis vita, volucrique ac

(*a*) Plato *de regno pag.* 131. (*b*) *In Calig. cap.* 59.

(*c*) *Lib.* 1. *hiſt. cap.* 84.

Digitized by Google

ac lubrico rerum ſtatu depoſuerunt; ſed retinuerunt apud certum & invariabile corpus, eamque cum æternitate, quam ſibi deſpondebant Senatus & Reſpublica, contexuerunt: ut Romanus principatus Romanumque Imperium ſocietas fuerit & communio majeſtatis illius quam continuam & nativam Senatus habebat. Unde non mirum, ſi etiam exorto Imperio, Senatus jure ſuo munera illa gereret omnia, quibus potiebatur, florente Republica, præter judiciorum popularium & comitiorum poteſtatem Tiberii tempore in ſe translatam; ceteraque communia cum Principe ſimul exerceret, & in Principem ipſum, ſi Rempublicam Senatui creditam everſum iret, capitis etiam ſupplicio animadverteret, adeoque Senatui publica poteſtas hærebat, ut quamvis eam Triumviri extorto quoque Senatus conſenſu arripuiſſent; tamen rebus ab ſe geſtis, ut ſecuritatem & firmitatem haberent, Senatus auctoritatem adjiciendam curarunt: ut refert Dion. (*a*)

CAPUT XXXVII.

De perpetua poteſtate Senatus in Imperatorem.

EX quo intelligimus jure publico Imperatorem fuiſſe in poteſtate Senatus utcunque violentia militaris, quæ nutu Principis regebatur Senatum plerumque ac Rempubl. univerſam libidini objiceret Imperatoris. Cui enim vel leviter hiſtorias pertractanti non ſe obtulerunt exempla damnatorum ex S.C. Principum?

Caligulam ſane infamia notare decreverant Patres, ni Claudius, qui Tribunitia intercedendi poteſtate Cæſaribus conſueta potiebatur; obſtitiſſet, aut potius diſtuliſſet; ſiquidem infamem poſteris fuiſſe Caji memoriam, tum ex lege Regia didicimus, tum ex Dione (*b*) cognoſcimus, qui abſuiſſe refert Caji nomen a numero Imperatorum, quorum Senatus in juramentis & votis meminiſſe conſueverat. Quin & ipſe Claudius amovendas noctu ejus ſtatuas, (*c*) & conſtitutiones ipſius abolendas curavit: Senatus nimirum voluntatem amplexus. Neronem, adhuc viventem, Senatus hoſtem patriæ judicavit, & latentem ad ſupplicium depoſcebat, ut puniretur more majorum, nempe, ut detractis veſtibus cervix ejus furcæ insereretur, corpuſque de ſaxo dejiciendum per urbem tractum ad necem cæderetur. (*d*) Galbam a Senatu, impellente Othone, hoſtem fuiſſe judicatum, ſupra ex Plutarcho docuimus, (*e*) ejuſdemque memoriam Veſpaſiani tempore Senatu ad libertatem redeunte fuiſſe a Patribus, qui eum inviti damnaverant, reſtitutam, ex Tacito cognoſcimus. (*f*) Othonis, & Vitellii nomen exulavit e corpore legis Regiæ per Senatum conditæ, cum neuter eorum, ut jam animadvertimus, inter Imperatores ibi deſcriptos inveniatur: ex quo intelligimus, Patres Othonem, ut Vitellio, Vitellium, ut Veſpaſiano blandirentur, hoſtem judicaſſe. Pari Domitianum ignominia Senatus affecit, cujus conjuratis occiſi nomen ac memoriam damnavit, (*g*) imagines detrahi delerique, ac ſtatuas ubique conquiſitas fundi metallicas evertique marmoreas juſſit: adeo ut nonniſi unam ſuo tempore Domitiani ſtatuam extare Procopius tradat. (*h*) Avidium Caſſium Senatus hoſtem appellavit. (*i*) Similibus pœnis in Commodum, a conjuratis item interſectum, Senatus animadvertit: qui proiiciendum etiam in Tyberim cadaver decreverat, (*k*) atque ubi a Pertinace Imperatore tum creato accepit jam eſſe conditum, ira exarſit adverſus eum, qui hoſtem patriæ honore affeciſſet, parumque abfuit, quin ex S. C. cadaver effoderetur. (*l*) Jam vero ſuo loco indicavimus, qua Senatus poteſtate fuerit uſus adverſus Julianum ac Severum: quorum hunc Juliani: illum Severi metu hoſtem judicavit, ut & Peſcennium Nigrum, (*m*) & Albinum: (*n*) adeo ut nemo victorum, niſi auctoritate Senatus ageret, jure ſuum æmulum ſuſtuliſſe ac tyranni notam effugiſſe videretur. Cara-

(*a*) *Lib.*8. *cap.*377.
(*b*) Dion. *lib.*60 *pag.*667. (*c*) *idem ibid.*
(*d*) Eutrop & Sveton. *in Nerone cap.*49.
(*e*) Plutarch. *in vit. Galb. p.*1055.
(*f*) *Lib* 4. *hiſt. cap.*40.
(*g*) Svetonius *in Domit. cap* 23.
(*h*) *hiſt. arcan. pag.*37. *edit. Lugdunens. in fol. an.* 1623.
(*i*) Vulcat. Gall. *in Avid. Caſſ. capite* 7.
(*k*) Dion *lib.*37. *pag.*830. Herodian. *lib.* 1.
(*l*) Lamprid. *in vita Commod. in fine cap.*18.
(*m*) Spartian. *in Sever. cap* 9.
(*n*) Capitolin *in Albin. cap.* 9.

Caracallam metum militum, quos liberalitate ſua devinxerat, Senatus quidem hoſtem publicum non judicavit, ſed indignis probris, ac fœdis execrationibus memoriam, & nomen laceravit illius: (*a*) cui ut honorem apud poſteros detraheret: prohibitis Circenſibus die natali ſuo inſtitutis, argenteas illius omnes, aureaſque ſtatuas fundi juſſit, ut illis liqueſcentibus, ejus, quem potiſſimum oderant, inſigniora monumenta perirent. (*b*)

Cumque non jus, ſed furor dominaretur militum, qui Macrino extincto impuriſſimum cinædum exrulerant; inviti Senatores contra Macrini memoriam, auctoritatem ſuam direxerunt: (*c*) quam poſtea lubentes averterunt in Heliogabalum ab ipſis militibus fœdiſſime diſcerptum, & in Tyberim projectum: cujus flagitioſi adoleſcentis Senatores, ſublato imperio fœminarum, quæ per eum dominabantur, inſcriptiones omnes, abrogato etiam ei Antonini nomine, quod propudioſis factis polluerat, delendas decreverunt. (*d*)

Maximinum & viventem, & mortuum, Senatus adeo execrabatur, ut nunquam validius Patres poteſtatem ſuam expreſſerint, quam ejus tumultus tempore, quo adverſus hoſtem patriæ, qualem eum judicaverant, quos ſupra memoravimus, crearunt Auguſtos.

Æmilianum, quem Senatus, forte ſuperante legem, Auguſtum appellavit, jam antea, urgente Gallo, declaraverat hoſtem. *e*)

Gallieni tempore, quamvis ejus ſocordia pluribus a ducibus ſui cujuſque exercitus acclamatione, Auguſti nomen ſibi trahentibus, dilaceraretur Imperium: tamen firmum in Gallieno, & in ſolidum conſtitit, quia Senatus auctoritate fundabatur. Et qui Auguſtam poteſtatem ſibi ſolo militari ſuffragio carpſerant, tyrannorum exitum, nomenque meruerunt.

Poſtquam vero Senatus a Gallieno, ut memoravimus, militia excluſus, auctoritatem ſuam comprobanda potius, quam tractanda Imperatoris creatione retinuit, commiſſamque ſibi ex inſtituto Reipublicæ civilem poteſtatem flectere cogebatur ad voluntatem potentiorum; ut exordia, ita & exitus neglexit Imperatorum, quibus deinceps, neque attollendis, neque deprimendis admodum ſtuduit, ne militaribus factionibus involveretur: præcipue poſt Carini mortem, a tempore Diocleriani, ſub quo, ſuccumbente viribus ratione, ad militiam omnia fluxerunt, adeo ut Senatus non duceret amplius, ut debebat, armatam potentiam, ſed ſequeretur: quia Imperatores, fractis viribus populi & civitatis, acciti ſque ſibi commilitonum opibus, & facultatibus provincialium, nihili pendebant pro tyrannis haberi, dum tyrannide potirentur impune; neque admodum laborabant eſſe juſti, dum injuſtitiæ periculum avertiſſent. Ideo Reipublicæ forma, quæ defluxerat e moribus, impreſſa manſit in legibus; & publica jura populi Romani latuerunt in ritibus, (*) & S. C. ex inſtituto prodeuntibus: quæ, quamvis ad voluntatem potentiorum conderentur: nativam tamen auctoritatem nunquam amiſerunt: quia violentia non eſt cauſa efficax extinguendæ civilis facultatis, & permutandæ Reipublicæ. Quæ ſi ſuorum inſtitutorum faciem pandat, in mutis quantumvis, & inertibus ritibus; juſtum ſemper, apertumque habet reditum ad priſtinum uſum, cujus jus, atque voluntatem nunquam dimiſiſſe cenſetur. Titulos enim, ritus, & ſolemnitates conſervandis a prava conſuetudine juribus, conditores legum invenerunt. Quamobrem nunquam Senatui periit jus creandi regendique Imperatoris, quamvis illius juris exercitium non Patrum, ſed militum a voluntate penderet. Quod ad ceteras Patrum, & populi facultates ac jura porritur, quæ nunquam interiiſſe putantur, quamvis non tam ex Senatus, quam ex Imperatoris arbitrio adhiberentur: & conſequenter via ſemper Senatui patuit ad priſtinam ſui juris libertatem, ſibi violenter diu ereptam. Quam ad libertem jure ſuo rediit novo Imperatore creando, cum a Græcis Cæſaribus opprimeretur.

CA-

(*a*) Capitolin. *in Macrin. cap.* 2.
(*b*) Dion. *lib.* 78. *pag.* 896.
(*c*) Lamprid. *in Heliogab. cap.* 3.
(*d*) Lamprid. *in Heliogab. cap.* 18.
(*e*) Aurel. Vict. io *Æmil.*
(*) Jam igitur hoc loco poteſtas Senatus omnis in ritibus poſita eſt & Senatuſconſultis. Rituum vero nil niſi vana in capiendis auſpiciis cærimonia erat. Senatuſconſulta autem etſi ea Gratiani adhuc, Valentiniani & Theodoſii temporibus in uſu fuiſſe noverimus ex *L. un. C. de Senatuſconſultis*, tamen ad nutum Imperantium facta, ipſe Gravina agnoſcit.

CAPUT XXXVIII.

De Reliquis Senatus juribus, & de Conſulari poteſtate.

NUnc cetera jura Patribus ante, ac poſt exortum Imperium quæſita memoremus. Quæ quamvis turbata, & intercepta violenter, nunquam tamen intercidere potuerunt; quia, uti ante oſtendimus, gentium lege, ac jure ipſo humanæ ſocietatis, publicoque inſtituto urbis Romæ, militaria civilibus addicuntur. Quibus expeditis progrediemur inde ad conſularem poteſtatem: in qua regia jura, quæ perpetua in uno fuerant, annuo tempore a duobus exercenda coaluerunt. Ex quo evincemus, poteſtatem ſummam civilem, qua jus regium continetur, in populo, Senatu, & Conſulibus conſtitiſſe, perque munera illorum, variante Republica, permeaſſe; ad Imperatorem vero creatum tantum tranſiiſſe in perpetuum jus militare civili obnoxium: [*] quod antea certis temporum, locorumque modis tradebatur, quamvis & poſtea Cæſaribus tribueretur in perpetuum, diuturnitas tamen addita imperio Cæſarum, naturam non mutavit illius, neque illud exemit a poteſtate civili: quia productio temporis vertere non poteſt rationem humanam, humanæque ſocietatis variare legem; quæ propter publicam tranquillitatem, cui fruendæ civitas conſtituitur, militaria ſubjicit civilibus, ad quorum uſum militaria comparantur. Quilibet enim auctor operi, quod ſuo uſui peperit, jure naturæ dominatur. Auctor autem Imperii Senatus populuſque fuit, qui & arma prius inſtituit ad uſum civitatis, & armatis ducem perpetuum dedit ad tutelam urbis & provinciarum, atque non ad privatam ipſius Imperatoris dominationem, ſed ad conſervationem Romanæ Reipublicæ communionemque perpetuam generis humani: quam legibus & Senatuſconſultis inſtitutam, ac S. P. Q. R. auctoritate contractam, Imperator militari potentia tuebatur. Quam Senatus poteſtatem libro de *originibus* primo diſtinctius retulimus, & ſuperius hoc eodem etiam libro innuimus. Unde ad hujuſce operis continuationem atque ordinem, ſatis hic erit, redigere in memoriam Senatus majeſtatem, etſi varii populi motibus modo labentem, modo reſurgentem; tamen ante Cæſarum creationem in eo conſtitiſſe, ut omnis publicorum proventuum adminiſtratio, negotiaque legationum, ſive mittendarum ad exteros, ſive ab exteris venientium recipiendarum, reſponſaque danda legatis, item & provinciarum diſtributio, earumque prorogatio, & rerum geſtarum judicia, quibus facta militaria Conſulum, & Imperatorum, eventuſque præliorum, aut extollebantur decretis, ſupplicationibus, orationibus, & triumphis, aut iis negatis extenuabantur, ad Senatus auctoritatem, tanquam ad communem publici judicii, civiliſque ſapientiæ, atque incorruptæ fidei fontem rite referantur. Quoniam autem Romanæ Reipublicæ inſtitutis populus publicorum judicorum, belli, paciſque, legumque ſive jubendarum, ſive abrogandarum arbiter conſtituebatur; & imperante Tiberio, ut ſupra memoravimus, per tranſlationem popularium comitiorum; jura omnia popularia tranſierunt ad Patres; evenit, ut ab eo tempore omnis adminiſtratio civilis, cui militaria ſubeſſe oſtendimus, & conſequenter omnis poteſtas regia, quæ olim in Senatum & populum tribuebatur, inter ſolos Patres, vocato tantum ad vetuſtatis imaginem populo, verſaretur. Quam poteſtatem agnoſcens infenſus Galbæ Germanus Romanorum exercitus, recuſavit adigi ſacramento, niſi in nomen Senatus. (*a*)

Quæ omnia & antiqua & nova Senatus jura, Tiberius agnoſcens, ita Patres apud Svetonium (*b*) alloquitur: *Dixi & nunc, & ſæpe alias, P. C. bonum, & ſalutarem Principem, quem vos tanta, & tam libera poteſtate ornaſtis.* (Enjus & creationem Principis penes Senatum) *Senatui ſervire debere; & univerſis civibus ſæpe & plerumque etiam ſingulis: neque dixiſſe me pœnitet, & bonos, & æquos, & faventes vos habui dominos, & adhuc habeo.* Hinc Nero, ut aliquando non

[*] Potius civile Imperium exſpiraſſe penitus per derelictionem cenſendum eſt, poſtquam ad tuendum jus ſuum incumbere Senatus deſiit, quod, ut præſumptio ſapientiæ in ampliſſimo ordine ſuadet, non antea fecit, quam poſtquam compluribus exemplis didiciſſet, Rempublicam ſalvam eſſe non poſſe.

(*a*) Svetonius *in vita Galbæ cap. 17.*

[*b*] *cap. 29. in vita Tiber.*

vi, ſed jure ageret, effigiem Cn. Domitio patri; conſularia inſignia Aſcanio Labeoni tutori, olim ſuo a Senatu petiit. (*a*)

Neque nos, qui ſuſcepto argumento urgemur, plenius partes Senatus in adminiſtranda Republica expreſſerimus, quam ex Tiberii ſenſu idem Svetonius, qui ſubjicit, Tiberium conſervaſſe Senatus & magiſtratuum majeſtatem priſtinam & poteſtatem; deque magnis una & parvis, privatorum & publicorum negotiorum ad Senatum retuliſſe, veluti de vectigalibus, & monopoliis, de operibus aut extruendis, aut reficiendis; de propagandis imperiis, mandandiſque bellis extraordinariis; deque reſponſis ad Regum literas edendis. Et, quod magis miremur, etiam de iis, quorum curam in ſolum Principem lex militiæ tranſtulerat, Senatum decernere jubebat: Nempe de exauctorando milite; de legionum & auxiliorum deſcriptione: coegitque præfectum alæ de vi & rapinis reum in Senatu ſententiam dicere; neque indigne tulit, ut quædam Senatus contra ejus ſententiam ſtatueret, increpuitque Conſulares exercitibus præpoſitos, quod de rebus geſtis Senatui non ſcriberent. [*b*] Imo interemto juvene Agrippa per Tribunum militum, qui Tiberii nomine miſſum ſe ferebat; Tiberius negavit, adjecitque redditurum eum Senatui rationem. (*c*) Publica judicia Senatus adeo erant propria, ut Domitianus [*d*] auctor fuerit Tribunis plebis, ut Ædilem ſordidum, peritis a Senatu judicibus, accuſarent: & ipſe his ſupplicibus verbis, ſimul cum Patribus ſententiam diceret, cum reo aliquam pœnæ remiſſionem precaretur: *Permittite, P. C. a pietate veſtra impetrari,* [*quod ſcio me difficulter impetraturum*] *ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam & parcetis oculis veſtris, & intelligent me omnes Senatui interfuiſſe.* [*e*] Imo multa, quæ Scriptores tribuunt Imperatoribus, ea tanquam ſuaſoribus, non tanquam ſolis auctoribus unice aſſignantur. Quod colligitur ex eo, quod cum ſcribant Imperatores aliquos prohibuiſſe Senatorem occidi; tamen id non directo, ſed per ſententiam Senatus inſtituiſſe apparet ex Volcatio Gallicano in *vita Avidii Caſſii capitul.* 8. his verbis: *Eo ipſo tempore, quo rogavit* [nempe Senatum] *ne quis Senator temporibus ſuis capitali ſupplicio afficeretur*. Quæ Romanorum inſtituta non jure, ſed per violentiam abrumpebantur ab iis Cæſaribus, qui tandem proprio capite Reipublicæ, quam læſerant, ulciſcebantur injurias: & majeſtatem Senatus, quam fregerunt; morte ſua reſtituebant: adeo ut qui vim a Republica vellent abſtinere, & ſecuritatem imperii ſibi pararent; ſuſcepta ſibi militia, Rempubl, quod fecit, Plinio teſte, (*f*) Trajanus, Senatui reliquerint adminiſtrandam: unde Adrianus integrum Senatui detulit judicium de Imperio ſibi tradendo, quamvis a militibus oblato, ut ſupra tradidimus, execrabaturque Principes, qui Senatu minus quam ipſe detuliſſet. [*g*] Supremam hanc etiam Senatus auctoritatem verebatur & Adrianus, quando, literis ad Senatum de Imperio ſuo ſcriptis; hæc expreſſit: *Veſtrum eſt æſtimare quid velitis: nam ego uſque ad Senatus judicium incertus, & varius fluctuabo*. Cujus item Imperatoris, qui poſtea plures offenderat, acta, parum abfuit, quin Senatus abrogaret eo mortuo, eidemque Divi appellationem negaret; niſi precibus ſuis Patres flexiſſet Antoninus; ut intelligamus, Senatum fuiſſe fontem perennem publicæ poteſtatis. [*h*] Et Clodius Albinus delata ſibi a Commodo imperatoria inſignia cum Imperii participatione recuſavit, quod id munus non a Senatu veniret Imperii auctore legitimo, unde his verbis concluſit ſuam ad milites concionem: *Quare, Commilitones, ego Cæſareum nomen, quod mihi Commodus detulit, nolo: dii faxint, ut ne alii quidem velint. Senatus imperet, Senatus provincias dividat, Senatus nos Conſules faciat, &c.* [*i*]

Item & Probus, cujus particulam orationis dudum retulimus: qui Patribus non modo Imperii ſibi deferendi delibe-ratio-

(*a*) Tacit. *annal. lib.* 13. *cap.* 10.
(*b*) Sveton. *in vita Galbæ cap.* 30.
(*c*) Sveton. *in Tiber cap.* 21.
(*d*) Sveton. *in vita Domit. cap.* 8.
(*e*) Sveton. *in Domit. cap.* 11.
(*f*) *cum in Paneg. quem lib.* 8. *epiſt.* 14.
( ) Spartian. *in vita Adrian. cap.* 8.
(*h*) Spartian. *in Adrian. cap.* 27.
(*i*) *Cap. in Alb.* 13.

rationem tradidit; ſed & jura omnia reſtituit, quæ aliquorum violentia Principum partim turbaverat, partim abſtulerat: voluitque, ut ad Patres e ſummis quibuſque judiciis appellaretur, & a Senatu Proconſules crearentur, ab eodemque legati Conſulibus darentur, & Præſides cum prætoria poteſtate in Provincias mitterentur; [a] item ut quidquid Imperator decerneret, S.C. ſtabiliretur; [b] ita ut ſummam omnem ad Senatum, tanquam ad caput publici regiminis, ex naturalis & civilis juris norma retraxerit.

Hinc tota Juriſconſultorum ætate, quæ ad Conſtantinum uſque pertinet, eodem loco Senatum haberi videmus, & Principem, a quo Paullus minime Patres diſtinguens, ait: [c] *Quod Principis aut Senatus juſſu opus* [nempe publicum] *factum fuerit, in hoc judicium* [nempe aquæ pluviæ arcendæ] *non venit*. Hinc ſub Imperio nihilominus, quam antea cenſebat, ſive pro ſumma poteſtate conſtituebat Senatus, [d] a quo propterea, ut alibi retulimus, non licebat appellare ad Principem, utpote Senatu minime majorem. [e] Propterea Claudius, ut initio principatus, lege, non vi agere videretur, neminem exulum, niſi ex Senatus auctoritate, reduxit: atque non ante Præfectum Prætorio, Tribunoſque militum ſecum in curiam introduxit, quam veniam impetraſſet a Senatu, a quo etiam res a ſuis procuratoribus judicatas comprobari voluit. [f] Commeatus præterea Senatus dare conſueverat, quod ad ſe traxiſſe, ſive beneficii ſui feciſſe Claudium, Svetonius refert, ſed ex S.C. hanc ei poteſtatem acceſſiſſe, refert Dion. [g] Et ſtatuas benemerentibus Imperatores a Senatu poſcebant. [h] Quamobrem vetandi aquam ex flumine publico ducere jus erat Senatui pariter atque Principi; (i) ut & relegandi, [k] & improbandi conditiones inſtitutionum, [l] item famæ aliquem reſtituendi, criminum publicæ abolendorum; paſſim *tit. ad S.C. Tertull.* [m] heredis faciendi: quæ non magiſtratus poteſtas eſt, cum Prætor non heredem, ſed bonorum tantum faciat poſſeſſorem; [n] ſed ejus, qui poteſtatem habeat legis condendæ, qualis eſt Senatus, (o) & Princeps. Siquidem privatus non ſuo jure in teſtamento heredem facit, ſed poteſtate accepta ex lege XII. tabul. ea, quæ voluit, ut quemadmodum paterfamil. de re ſua legaſſet, ita jus eſſet. Senatus item poteſtas erat in publicis gratulationibus, reis vincula laxare, atque abolere crimina; [p] Civitatibus imponere cognomina, [q] indignis hereditatem auferre, [r] hoſtes judicare, (s) immunitates & privilegia concedere, (t) permittere petentibus in agro ſuo nundinas, (u) quas Claudius Imperator a Conſ. impetraverat, (x) matrimoniorum veniam Senatus ipſi Auguſto concedebat: unde Tacitus (y) refert, Senatum nuptiarum facultatem inter patruum & fratris filiam, nempe inter Claudium & Agrippinam, novo exemplo conceſſiſſe. Et hoſtis patriæ publicus inſidiator, qui contra Principem conjuraſſet, a Senatu declarabatur: qualis per Senatum judicatus fuit Avidius Caſſius, qui ſub M. Antonio Imperium invaſerat. (z)

Et mortuo violento dominatore, a Senatu acta omnia illius reſcindebantur, ſtatuæ evertebantur, memoriæ rerum ab eo geſtarum irritabantur, ut poſt Commodi mortem evenit; cujus etiam nova menſium appellatio, Senatus auctoritate, ceſſavit,

(a) Vopiſc. *in vita Probi c.* 13. *ubi* Salmaſ.
(b) Salmaſ. *ibid.*
(c) *L. quod Principis ff. de aqua & aqua pluvia arcenda.*
(d) *L.* 3. *C qui manumitt. non poſſ. L.* 4. *ff. de accuſ. L.* 2. *in princ. ff. de heredit. petit. l.* 1. *§.* 1. *ff de fugit. l.* 1. *C. de compenſ. L.* 64. *in princ. ff. eod. L.* 52 *in princ. ff. de donat. inter. vir. & uxor. L. unic. §* 1. *ff. de libert. univerſ. l.* 7. *§.* 1. *ff. de oper. publ. l unic. C. de Senatu, & l.* 8. *C. de leg.*
(e) *L.* 1. *ff a quibus appell. non licet.*
(f) Sveton. *in Claud. cap* 12.
(g) Sveton. *in Claud. cap.* 24. *ubi* Caſaub.
(h) Capitolin. *in Marc. c.* 3.
(i) *L. quo minus* 2. *ff de flum.*
[k] *L. relegatus c.* 4. *§.* 1. *ff de interd. & releg.*
[l] *L. filius* 15. *ff. de condit. inſtit. l. captatorius* 70. *ff. de hered. inſtit.*
(m) *L.* 1. *§.* 10 *ff de poſtulat.*
(n) *L.* 12. & 13. *ff. de bon. poſſeſſ.*
(o) *L. non ambigitur ff. de leg.*
(p) *L. ſi ſervus* 2. *ff de cuſt. reor.*
(q) Dion *lib.* 54. *p.* 537. *E.*
(r) *L. cum quidam* 12. *ff. de his, quib. ut ign.*
(s) *L. amiſſione §* 1. *ff. de capit. deminut.*
(t) *L. non tantum* 17. *§.* 3. *ff. de excuſat.*
(u) Plin. *lib.* 5. *epiſt.* 4. *ad Valer.*
(x) Briſſon. *lib.* 1. *antiq. cap.* 15.
(y) *lib.* 12. *pag.* 242.
(z) Capitolin. *in Anton. cap.* 24.

prioribus nominibus reſtitutis. (*a*) Denique incedentibus per antiquitatem, nihil crebrius occurret, quam Senatus majeſtas circumfuſa ſupremæ ac Regiæ poteſtatis exemplis ac juribus cum Principe quidem communibus; ſed auctoritate præſtantioribus. Nam Senatus eam poteſtatem nativam præferebat & e corpore ſuo perpetuo manantem; Princeps vero eandem habebat ſibi a Senatu communicatam & translatitiam, uti Senatus portio ac majeſtatis ſummæ participatio. Quæ Principis poteſtas corruebat ſimul cum actis ejuſdem, quandoque a Patribus reſcindendis, ea ſc. poteſtate aburebatur. Cui ne periculo Principum conſtitutiones paterent, orationes ab iis habitæ, ſententiæque in Senatu dictæ S. C. confirmabantur, ut Juriſconſultorum monumenta teſtantur: apud quos S. C. & Principum orationes promiſcue accipiuntur. (*b*) Quod rerum arbitrium ad Conſtantinum uſque in Senatu manſiſſe inde liquet, quod Senatus Conſtantino primas imperandi partes, poſtpoſito Maximino, tribuerit. (*c*)

CAPUT XXXIX.

De falſa imperii translatione ad Græcos.

NEque Regiam Senatus Poteſtatem, poſtea Conſtantinus aut fregit, aut urbe avulſam Bizantium adportavit. Quinimo, longe aliter ac vulgo temere fertur, & priſtina ille Senatus jura, Maxentii nimirum crudelitate turbata, Patribus reddidit, ut narrat nobis vetus orator, (*d*) & ſedes Imperii, publicique juris auctoritas etiam diſcedente Conſtantino, Romæ permanſit. (*) An enim commigraſſet cum Imperatoris perſona, ſi poteſtas civilis nunquam cum poteſtate militari ex Romanis inſtitutis, niſi ſuſceptis ad tempus magiſtratibus, confundebantur? Et Imperatori quidem fas erat ſe transferre quocumque bellorum neceſſitas, Imperii tutela, & locorum opportunitas traheret; haud vero jus eſſe poterat Imperium ſecum trajicere, aut movere rempublicam avertereque alio poteſtatem rerum humanarum, quam conditorum, & civium ſuorum ſanguine ac virtute ſupra mille annorum ſpatium ſibi Roma pepererat. Rempublicam nimirum Conſtantinus Imperio tenebat, non patrimonium aut familiam ſervorum; nec dominabatur ille liberis populis, ſed tantum imperabat, hoc eſt in Romanorum utilitatem arma & publica jura, extraordinaria majeſtate, tractabat: unde nec in mentem ei venire potuit, quod grex mancipiorum, nedum in Romana Republica, ſed & in naturali juriſprudentia hoſpites, poſteris tradiderunt.

CAPUT XL.

Quomodo accipienda ſit Imperii diviſio.

SAne omnes illi ante Conſtantinum Cæſares, qui voluiſſent accurare penſum ſuum, toto fere Imperii tempore, procul ab urbe, per Scythas, Thraces, Sarmatas regioneſque eas ferebantur, quacunque barbari crebrius in Romanos fines effunderentur. Quæ barbarorum audacia undequaque, ac ſæpe cooriens Diocletianum Principem prudentiſſimum coegit dividere ſibi cum Maximiano curam provinciarum Occidente tradito; ſibique Oriente retento, ad Perſas, alioſque regionum illarum barbaros coercendos. Eaque non Imperii diviſione, ſed adminiſtrationis, cujus ſumma penes Diocletianum erat, duplici veluti munimento, a Romanis finibus hoſtes propulſabantur. Quod Diocletiani conſilium Conſtantinus confirmare in perpetuum ſtuduit, & contra orientales barbaros, æternam arcem Romano Imperio, novamque ſedem Imperatori collocare, ampliata munitaque, ac mœnibus & ædificiis, ad urbis imaginem, ſublata Byzantio; quam a ſe incrementi ejus auctore, Conſtantinopolim appellavit, ſuumque ibi domicilium ſtatuit; ut longius a noſtratibus aculeis abiret, judi-

(*a*) Lamprid. *in vit. Comm. in fin.*

(*b*) Briſſon. *antiquit. lib.* 1. *cap.* 16.

(*c*) Lactant. *de mort. perſec. cap.* 44. *p.* 38. Tillemont. *in collect. art.* 27. *p.* 138.

(*d*) *Paneg. vet.* 6 *pag.* 137. *editi a* Livinerio Anterp. 1599. Nam quid ego de tuis in Curia ſententiis, atque actis loquar, quibus Senatui auctoritatem priſtinam reddidiſti.

(*) Ita tamen, ut cum Senatu Conſtantinopolitano communicaretur, unde bini Conſules, alter Romanus, alter Conſtantinopolitanus. Quod ſe ægre non ferre ſola ſatis patientia ſua declaravit S. P. Q. R., cum dudum antea pleriſque juribus ſuis per dereictionem excidiſſet.

Judiciiſque cavillatoris populi, non admiratione ulla potentiæ, aut inſolentia ſummarum virtutum, ſed ſola curioſitate ac ſpe ſua res æſtimantis; ut cedente novitate, ſatietas illico ſubiret; pluſque Cæſaribus Romæ præſentia ſua detraheret, quam longinquæ victoriæ attuliſſent.

CAPUT XLI.

De Sede Imperatoris.

QUoniam igitur nullus certus locus, ſed caſtra & militia, ſedes erant Imperatorum, qui domicilium ibi habebant, unde tutius barbaris obſiſterent; quid mirum ſi ſe Conſtantinus Byzantium contulit, quo Aſia ſimul & Europa veluti coeunt, undeque, pacatis imo ad Latinam humanitatem redactis Gallis, & cis Rhenum Germanis, utracunque de orbis terrarum parte barbari erumperent, facile avertebantur. Neque tam abſurde cogitare poterat Conſtantinus, ut urbe ſua condenda, domicilioque altero Imperatori parando, domicilium everteret ipſius Imperii; deducendaque colonia & filia pariunda, majeſtatem parentis in eam transferret, quod in Imperatoris poteſtate non erat; cum ei & Romanorum inſtitutiones, ex quibus majeſtas realis Senatui hærebat, & gentium leges repugnarent, ex quibus coloniæ urbi, de qua fluxerunt, patriæ quodam poteſtatis jure ſubjiciuntur: utcunque Gothofredus junior, (*a*) qui neſcio qua ſui fiducia, proprium ſenſum, in re tam vetuſta, veteribus anteponit, Conſtantinopolim eximat e coloniarum numero: quaſi aliud ſit colonia, quam civitas ex civitate Romana quodammodo propagata, (*b*) in quem numerum a Plethone refertur, (*c*) qui eam appellat *ἀποικίαν τῆς ἐν Ἰταλίᾳ Ῥώμης: Coloniam Italiæ Romæ:* &, Zonara teſte, a Conſtantino Heraclii nepote, (*d*) qui regiam ſuam Romam veterem, ut in matris ſinum, revocare ſtudebat, cum honos major matri, quam filiæ debeatur, *δεῖν μᾶλλον τὰς μητέρας, ἢ τὰς θυγατέρας τιμᾶν, matrem præ filia honorandam eſſe*; item ab Auguſtino, (*e*) & a Themiſtio, qui cum Conſtantinopolim coleret, Romam *μητρόπολιν τὴν ἡμετέραν metropolim noſtram* appellat; eamque ait, urbibus univerſis imperare, ac ſecum Coſtantinopolim *ἣ τῶν μὲν ἄλλων πόλεων βασιλεύει τῇ δὲ ὑμετέρᾳ συμβασιλεύει. Quæ* (Roma) *urbibus imperat aliis, cum veſtra vero* (Conſtantinopolis) *imperat una ſimul*. I nunc, & cum Imperatore Imperium Roma ceſſiſſe arbitrator; aut ab honorum exæquatione juris exæquationem arguito, quando, ne honores quidem Conſtantinopolis habuit Romæ pares: quantocunque Græcus verborum faſtus, Sozomeni ore ac fronte (*f*) ſibi apud poſteros arrogaverit: quem Sozomenum, vel hoc uno Petavius (*g*) mendacii palam coarguit, quod Conſtantinopolis Præfectum urbis minime ante annum a Chriſto nato trecenteſimum ſeptuageſimum nonum acceperit.

CAPUT XLII.

De Communione urbis cum Byzantio.

ATque ipſa hæc Imperii Themiſtio memorata ſocietas Conſtantinopoli haudquaquam competebat jure ſuo nativo, ſed adventitio, deſcendente a perſona Principis, ibi permanentis, ibique poteſtatem illam exercentis, quam Senatus Romanus Cæſari, atque conſiſtorio illius a nobis ſupra deſcripto, & ex Senatorum aliquo numero, magiſtratuumque coacto contribuebat. Ex cujus poteſtatis diuturno uſu, moraque Principis, Conſtantinopolis Regiæ urbis nomen aſſequebatur, & ipſius Romæ locum ſubiiſſe videbatur iis, qui umbram & imaginem cum re ipſa confundentes, juraque urbis utriuſque conturbantes errores ubique atque ad nos uſque ſcriptis ſuis tranſmiſerunt. Quamvis enim Gallienus Senatores prohibuerit a caſtris; minimè tamen (in quo & Tillemontius (*h*) labitur) conſiſtorii poteſtas & uſus expiravit: cum corpus hoc & comitum conſiſtorianorum nomen, qui & illu-

(*a*) *C.* Theodoſ. *lib.* 14. *tit.* 13. *p.* 323.
(*b*) Gell. *apud* Sigon. *lib.* 2. *cap.* 2.
(*c*) *orat.* 1. *de bello Peloponen.*
(*d*) Zonar. *in vita Conſtantii.*
(*e*) 5. *de civit. Dei cap.* 21.
(*f*) *lib.* 2. *cap.* 3.
(*g*) *in Julian. epiſt. pag.* 327.
(*h*) *in* Gallien. *art.* 2.

illuſtres dicebantur, toto tempore manſerint, quo Cæſares floruerunt. (a) Excluſit enim Gallienus Senatores a militia, quæ ad ipſius curam pertinebat, non vero a conſilio militaris principis & ſummi ducis: cujus regimen Senatum nunquam dimittere oportebat, ne ſi caſus aliquis incidiſſet, ſimul cum principe, qui temporariam habebat auctoritatem, Reſpublica ipſa rueret, quam propterea in poteſtate Senatus æterna docuimus eſſe collocatam. Hæc publicæ poteſtatis portio Principi & ejus conſiſtorio ab univerſo Senatu, ſive a tota Republica tributa, quia cum ipſo Principe ambulabat, migravit etiam Conſtantinopolim, ibique cum Cæſare conſtitit ad juſtam& legitimam rerum adminiſtrationem Principi permiſſam; adeo ut ad Principem publicæ poteſtatis per Senatum Romanum compotem, & ad Conſiſtorium ipſius ex magiſtratibus, & Senatoribus Romanis lectum referre oportebat publicarum auctoritatem rerum Conſtantinopoli gerendarum; non vero ad imperium ipſius urbis, quam potuit quidem ludorum, ædificiorum imitatione, ac morum Romæ Conſtantinus æquare, non vero poteſtate: nihil enim agimus, cum tradimus alienum.

CAPUT XLIII.

De Conſtantini jure in Imperii translatione.

NAm quid in Conſtantinum tranſferat, niſi exercitum poteſtatis publicæ radicibus ſuis in populo Senatuque Romano hærentis, & majeſtas perſonalis, quæ Cæſaris vita definiebatur, poſtea vero nova Principis creatione ad alium, voluntate militum, & S. P. Q. R. auctoritate transferebatur? An enim potuiſſet Imperator, ſemota violentia, per quam jura omnia conticeſcunt, imperium ſibi exutum, in quem voluiſſet deponere, & Rempubl. ſibi commiſſam alteri, ſe invita, tradere? Quod ne in regno quidem licere, niſi transferatur ad proximos ex præcedenti populorum ſacramento ſucceſſuros, libro *de juriſdictione* demoſtravimus. Cur enim inutiliter uſufructuarius jus ſuum in extraneum transfert, niſi quia jure perſonali potitur, quod ſuæ vitæ ſpatio concluditur? (b) Quanto minus igitur Conſtantinus exuere poterat Senatum Romanum ſuprema poteſtate civili, cujus auctoritate acceperat & retinebat ipſe militarem civili ſubjectam, cum vita Cæſaris ab eo deceſſuram, atque ad univerſæ majeſtatis fontem, nempe ad Romanam Rempublicam redituram, novaque creatione, a novo Principe ſuſcipiendam?

CAPUT XLIV.

De Conſtantini voluntate in Imperio transferendo.

VErum quid contra Sanctiſſimum Principem excutimus leges publicas, quaſi ullo eas unquam facto, præſertim in re ſumma, violarit: cum poſteriores Scriptores Conſtantinopolitani, Senatus vicem apud ſuorum temporum Imperatores conquerantur, eoſque precibus & lacrymis obteſtentur, ut auctoritate aliqua curiam illam inopem, atque deſpectam impertiantur, ne proceres eam in curiam lecti ſupplicium potius e ſumtibus, quam ſolatium e potentia ferant, ut ait Themiſtius [c] *ἡ γερουσία καὶ ἡ τιμὴ μωρίας*, vel ut Harduinus legit, *τιμωρίας ἔδοξεν μηδοτιοῦν διαφέρειν*; *Hic Senatus, & is honos a ſtultitia*, vel ex Harduini lectione, *a ſupplicio minime differre videbatur*, & alibi (d) *τρίτον συναυξηθῆναι τιμαῖς τὴν γερουσίαν tertium* (rogo) *Senatum honoribus augeas*, nempe ut vere Conſtantinopolis altera Roma dicatur: *ὄντως* (inquit) *ἀληθινὴ ἐστι δευτέρα Ῥώμη σὴ πόλις*. *Tunc revera erit altera Roma tua civitas*. Ex quibus apparet jactabunde magis, quam vere Sozomenum alioſque fuiſſe locutos, cum Romæ Conſtantinopolim æquarunt; & ab ædificiorum ac ſtatuarum ſumtu atque magnificentia, non autem a civium auctoritate, urbi ſuæ Græcos alterius Romæ nomen tribuere potuiſſe, oſtendit idem Themiſtius in legatione ad Theodoſium: *νῦν δὲ τῇ μὲν πολυτελείᾳ τῶν ἀνδριάντων μεγέθει σεμνῷ ὑμεῖς θα, ἐπὶ δὲ τοῖς τῶν ἀνδρῶν ἀξιώμασιν οὐ θαρρῶ μεν*: *nunc magnificentia ſtatuarum decoramur, at minime homi-*

(a) vide Goth. in C. Theod. ad L. quiſquis C. ad leg. Corn. de ſicar. pag. 100.

(b) Inſt. lib. 2. tit 4 de uſufr. §. finitur 3.

(c) orat. 4. (d) orat. 14. pag. 180. Hard.

hominum dignitatibus eff rimur. Ideoque ab Imperatore petit, ut quos nomine Patres conſcriptos appellaverat Senatores Conſtantinopolitanos, poteſtate atque jure hac appellatione dignos redderet: *τιμαῖς δὲ καὶ ἀξιώμασιν οὐ καταπυκνώσαν ἡμῖν τὴν γερουσίαν... καὶ οὓς πατέρας ὠνόμασας συγγεγραμμένους πάντων ἀξίως τῆς ἐπικλήσεως congerere dignitates & honores in Senatum, quoſque P. C. appellaſti, hac appellatione redde dignos*. Hæc ne flagitanda Græcis erant ab Imperatore, ſi Conſtantinopolis poteſtatem publicam urbis Romæ aut participaverat, aut, ex vulgi opinione, ſive ex communi ſomnio, prorſus exhauſerat? (*)

CAPUT XLV.

De Privilegiis Urbis Conſtantinopolitanæ.

Quid igitur eſt reliquum, niſi ut publica negotia Conſtantinopoli perinde ac Romæ agitata & definita, non civitatis, curiæve illius, ſed ipſius Cæſaris, ejuſve conſiſtorii juribus de Imperii ſcatebra, nempe de Romano Senatu, ad Cæſaris vitam ex S. C. ſuſceptis, adſcribamus, & Conſtantinopolitanum Senatum, potius pompam Principis, quam Reipublicæ Romanæ portionem reputemus? Quam notionem non ex affectione patria, ſtudioque latinitatis, ſed ex vero nobis oblatam fuiſſe præter ſuperiora teſtimonia, etiam Juliani Cæſaris auctoritate patebit. (*a*) Is enim tantum præclare Conſtantinopolim ceteris urbibus tradit, quantum Roma Conſtantinopoli antecelleret *Πόλιν τε ἐπώνυμον αὐτῷ κατέστησεν ἐν ᾧ δὲ ὅλοις ἔτεσιν δέκα, τοσοῦτον τῶν ἄλλων ἁπασῶν μείζονα ὅσον τῆς Ῥώμης ἐλαττοῦσθαι δοκεῖ Urbem ſibi cognominem fundavit minus annis decem tanto aliis majorem quantum ipſa Romæ cedere videretur*. Cum autem ædificiis, multitudine hominum, magnificentia ſumtuum, Græcis ipſis teſtibus, Romam æquaverit; qua parte, niſi auctoritate, [**] atque imperio tantopere cedere, quantum Julianus indicat, urbi Romæ Conſtantinopolis potuit? Quis modo negaverit Græco nativo verborum faſtu, & ingenita ſibi adulatione, ita Principis opus extuliſſe, ut omnia diſcrimina & jura ipſa publica tumore ac jactantia ſua conturbarint: excepto Socrate Sozomeno (*b*) longe modeſtiori? Et ignotus auctor (*c*) Ammiano Marcellino adjectus refert, Conſtantinum Byzantio concedendo regias omnes opes effudiſſe, Romæque illam æquare ſtuduiſſe Senatumque ibi conſtituiſſe, ſed, ut ille ait, ſecundi ordinis, eoſque claros appellaſſe, cum Senatores Romani clariſſimi appellarentur. Tantine igitur fuerit unus Sozomenus, ut ejus auctoritas omnia rerum geſtarum teſtimonia, & juris rationem everterit? Atqui auctoris hujus levitatem atque jactantiam Valeſius ſatis prodit in conſtituendis Imperii Græci finibus, (*d*) quos Sozomenus ejuſdem Conſtantini, ac Theodoſii junioris tempore deſignat; cum diviſionem Impe-

(*) Præter conſilium repellendorum barbarorum, quod obtendebat Conſtantinus, ſedem ſuam Roma Conſtantinopolim transferens, id quoque præcipue agebat, ut Majeſtatem Imperatoriam in tuto collocaret, eandemque inſidiis & inſultibus Senatus Populique Rom. eximeret. Videbatur enim Imperator in Oriente, Regibus adſueto, facilius Regem acturus, quam in urbe, cujus cives priſtinam adhuc libertatem ſomniabant. Huic autem conſilio parum conveniebat, Senatum Conſtantinopolitanum iiſdem prærogativis augere, quibus fruitus fuerat Senatus Romanus, quare ne anguem in ſinu foveret, priſcos quidem titulos ei dedit veteris Senatus Romani, ſed non eandem poteſtatem. Romanum tamen Senatum tum multo plus potuiſſe, quam Senatum Conſtantinopolitanum, vix credibile eſt, cum per urbis communionem cum Conſtantinopoli nihil Romæ, præter veteris gloriæ umbram & vana priſtinæ dignitatis nomina relinqueretur. Conſiſtorii vero Conſtantinopolitani aſſertores Conſiliarii magis Principis, quam Senatores erant, eorumque ſtudium præcipuum erat, adorare Principem, & auribus ejus inſervire. Illud vero notandum maxime, quod, cum poſt Honorium, Theodoſii M. filium, ſine liberis extinctum, Imperium diviſum maneret, & alius in Oriente, alius in Occidente Imperator eſſet, is, qui Romæ agebat, non eſſet certus juſtuſque Princeps, antequam a Conſtantinopolitano confirmaretur.

(*a*) *orat. 1. pag. 14. edit. Petav*

(**) Quidni vero de rerum geſtarum gloria loquatur Julianus, non de auctoritate Populi Romani, qui paulo poſt tempora Juliani etiam tributarius Imperatoris Conſtantinopolitani factus eſt, eique quotannis ſolidum aureum pendebat viritim. Sozomeno invidiam inde parare, quod is fines Imperii male indicaverit, argumentum eſt, parum roboris habiturum apud peritos.

(*b*) *lib. hiſt. 1. cap. 16. p. 41.*

(*c*) Ammian. Valeſ. *p. 475. vide* Tillemon. *in Conſtantin. art. 67.*

(*d*) Sozom. *lib. 2. c. 3.*

Digitized by Google

Imperii Conſtantinus Magnus nullam cogitaverit, & ſub illius filiis primum non quidem Imperium, ſed adminiſtratio ipſius aliter diviſa fuerit atque a Sozomeno refertur, ut contra eum erudite probat Valeſius, (*a*) cum oſtendit, orientale in Europa Imperium ſub Conſtantii ditione Thracia definitum fuiſſe; Romam vero, & Illyricum, ex fœdere inter fratres percuſſo, ad Conſtantem pertinuiſſe.

CAPUT XLVI.

De Coloniis Romanorum.

HOc etiam, præter imaginem exteriorem civitatis, urbi Romæ ſimile, præ Coloniis plurimis, habuit Conſtantinopolis, quod ab inſtitutione ſua ſuſcepit mores Romanos & jus Quiritium privatum, quo in contractibus, uſucapionibus, poteſtate patria, tutelis, actibus legitimis aliiſque civilibus ritibus Quirites utebantur. [*b*] Siquidem (*c*) coloniarum quædam potiebantur jure Quiritium privato, & Coloniæ Romanæ dicebantur; quædam Latinæ, quæ quamvis deducerentur ex civibus Romanis, non tamen jure Quiritium fruebantur, ſed jure Latii, ſive Latinorum illorum veterum, qui cum nondum civitatem Romanam accepiſſent, ſuffragium Romæ ferre non ultro poterant, ſed cum a magiſtratu Romano vocarentur; & cum in civitate Latina magiſtratum geſſiſſent, civitatem Romanam adipiſcebantur; neque a Romanis magiſtratum accipiebant, ſed proprium ſibi creabant. [*d*] Quæ veniunt ſub nomine juris Latii: quod aliis etiam populis, nedum Coloniis, a Senatu concedebatur, ſi populum Romanum demeruiſſent. [*e*] Diverſa porro a coloniis erant municipia, cum coloniæ, ut Sigonius ait, ſane pereleganter, ex urbe Roma educerentur, municipia vero introducerentur in urbem; [*f*] etenim non modo civitatem Romanam, & jus Quiritium privatum, verum etiam publicum accipiebant, eamque in tribum ingrediebantur, in quam a Cenſoribus adſcriberentur, & Romanos magiſtratus pari cum ceteris civibus jure, ac ſorte capiebant: exceptis iis, quæ honoris cauſa nomen aſſequerentur municipiorum, quorum populi tantum id cum civibus Romanis commune habebant, quod conſcriberentur in legionibus, (*g*) quæ tantum ex civibus Romanis componebantur: ut municipes tales in ſola militia pro civibus Romanis haberentur. Municipiis, & Coloniis longe inferiores erant Præfecturæ, quæ civitatis jus ob noxam, & leges ſuas amiſerant, legibuſque parebant iis, quas Præfectus Romanus ad eos juri dicundo quotannis miſſus impoſuiſſet. [*h*]

CAPUT XLVII.

De Civitate Romana Italiæ Univerſæ.

QUÆ diſcrimina juris Quiritium, juris Latii, Municipiorum, Coloniarum, & Præfecturarum ex Italia univerſa ceſſerunt poſt compoſitum ſociale bellum a Latinis Italiſque populis, participandæ Romanæ civitatis cauſa, commotum. Etenim L. Julia per Sex. Julium Cæſarem lata, civitas Latinis populis primo, (*i*) deinde Italis patuit univerſis; adeo ut Italia omnis unius fuerit urbis continuatio, atque complexio: (*k*) varietas vero Juris ſive Quiritium, ſive Latii, ſive municipalis remanſerit extra Italiam eos apud populos, quibus, ut diximus, hæc a Senatu præmia pro meritorum ratione concedebantur. Tandem diſcrimina iſta juris e toto ceſſerunt orbe Romano, poſtquam Antoninus non Pius, aut Marcus, ſed teſte recenter edito Dionis fragmento, Caracalla Romanam civitatem in Romanam omnem ditionem, ſive in univerſum orbem terrarum extendit, effecitque, ut mundus omnis eſſet unius Romæ municipium. Verum etſi Roma cum omnibus extra Italiam populis communicaretur; Coloniæ tamen, & Provinciæ haud ita cum ipſa Italia confundebantur, ut non diſtinguerentur immunitate tributorum capitis, & ſoli, qua pari cum Roma jure tota Italia, non vero provinciæ, aut extra Italiam Coloniæ iam inde ab Auguſti ævo potiebantur

Ideo

(*a*) in Sozom. *lib.* 2. *cap.* 3. *annot.*
(*b*) Cujac. *obſ.* 12. *cap.* 35. *D.*
(*c*) Sigon. *de antiquo jure Ital. lib.* 2. *c.* 3.
(*d*) Sigon. *eod. tract. lib.* 1. *cap.* 4.
(*e*) Sigon. *ibid.*

(*f*) Sigon. *de ant. jure Ital. lib* 2. *c* 6. *de municipiis.*
(*g*) Sigon. *loco proxime citato nempe c.* 7.
(*h*) Sigon. *eod. tract. lib.* 2. *cap.* 12.
(*i*) Sigon. *de antiq. jure Ital. lib.* 1 *cap.* 4.
(*k*) Sigon. *de antiq. jure Ital lib.* 3. *c.* 1.

Ideo ſi quibus extra Italiam populis capitis, & ſoli concederetur immunitas, iis jus Italicum tributum dicebatur, quod ea libertate ſola Italia, non vero nationes aliæ jure ſuo gauderent; ſed largitione Senatus aut Cæſaris. Quæ manſit ex coloniarum notis una poſt jus Quiritium ubique profuſum, (*a*) ut deductæ coloniæ vel tributum capitis & ſoli ſuſtinerent; vel illud, accepto nominatim jure Italico, ſibi excuterent. Quod coloniarum Romanarum erat ab urbe Roma diſcrimen e Juriſconſultis in *titul. ff. de cenſibus* paſſim indicatum.

CAPUT XLVIII.

De Jure Italico urbis Conſtantinopolitanæ.

Hinc & Conſtantinopolis etſi non exiguam civium Romanorum partem ſibi attraxerit, & Romanæ urbis faciem ædificiorum, viarum, collium, ſitus, ludorum, rituumque ac morum imitatione ad ſe tranſtulerit, ac ſub urbis Romæ perſona in ſcenam prodierit; latere tamen adeo nequit, ut non ſe, velit nolit, coloniam Romanam profiteatur, quando immunitatem tributorum capitis & ſoli, nempe jus Italicum, non ab origine ſua, ſed a Cæſarum beneficentia duxit: adeo ut opus habuerit, ut ei a ſingulis Cæſaribus renovaretur: nimirum quia non ingenitum erat, ſed adventitium, ideoque cum vita Cæſaris concedentis expirabat. Unde legimus in Theodoſiano Codice (*b*) hanc Valentis conſtitutionem: *Italici juris auxilium arbitra æquitate renovamus*. *Arbitra æquitate* (inquit) quia jus Italicum minime cum coloniis naſcebatur, ſed arceſſebatur extrinſecus. Et in C. Juſtinianeo hanc Arcadii & Honorii legem habemus. *Urbs Conſtantinopolitana* (*c*) *non ſolum Juris Italici, ſed etiam ipſius Romæ veteris prærogativa lætetur*: nempe, ut æque ſit ſedes non quidem Imperii, ſed Imperatoris, & in honorem Cæſaris præeſſet orienti, ſicut Roma orbi terrarum præſidebat univerſo. Nam etiam alibi (*d*) ſacris in negotiis (*e*) id repetitur: cum tamen ſciamus, vel ipſo Juſtiniano teſte, qui in Novellis veterem Romam ſacerdotii fontem appellat, Conſtantinopolitanum antiſtitem orientalibus Epiſcopis utcunque prælatum, ipſum tamen ſimul cum cæteris Eccleſiis Romano paruiſſe; (*f*) ut palam ſit parem hanc urbi Romæ prerogativam non ita eſſe accipiendam, ut ad omnia extendatur: nam & poſt has leges, quanta poteſtate Conſtantinopoli Roma præſtiterit, in ſequentibus oſtendemus. (*)

CAPUT XLIX.

In Jacobum Gothofredum de falſa exæquatione Urbis Conſtantinopolitanæ cum Romana.

Proſpexit iſtas in ſe impendentes difficultates Gothofredus, qui ut has plagas effugiat, intulit ſe in majores. (*g*) Primo enim nullo rerum geſtarum veſtigio confinxit jus Italicum fuiſſe Conſtantinopoli a Procopio tyranno per vim ereptum; poſt autem a ſequentibus Imperatoribus reſtitutum. Quod refutatione minime indiget, utpote ad priorem errorem tuendum gratuito, ne dicam temere, prolatum. Deinde novum comminiſcitur juris Italici diſcrimen e ſuo jecore, non ab ulla juris veteris ratione, aut antiquitatis monumento editum. Diſtinguit enim jus Italicum Conſtantinopolitanum a jure Italico civitatum aliarum, poſito in immunitate capitis, & ſoli; cum jus Italicum Conſtantinopolitanum

(*a*) Spanhem. *in orbe Roman. cap.* 19. *pag.* 464. & 465.

(*b*) *L.* 1. *tit. de jure Ital. urb. Conſtant.*

(*c*) *L. unic. C. Inſt. de privat urb. Conſtant.*

(*d*) *C. Theod. de Epiſcop. l. omni* 45.

(*e*) *L.* 45. *de Epiſc. Chalecdonenſ. Concil. cap.* 28.

(*f*) *Reſponſ Juſtiniani incipiens reddentes poſt. L.* 7. *C. de ſumma Trinit. & fide Cathol. item diſt.* 22. & *Novell.* 123. §. 3. *Novell.* 9.

(*) Neque eo vehementer extollitur dignitas urbis Romæ, quod Conſtantinopolis eſt Colonia Romana. Eidem enim veteris quoque Romæ prerogativa data, coloniæ quoque ſæpiſſime urbes, ex quibus ductæ ſunt, valde ſuperant, exemplo Romæ ipſius, quam Albanorum Coloniam fuiſſe, ferunt. Renovare autem ſinguli Imperatores privilegia novæ urbis maluerunt, quam concedere in perpetuum, ne criſtas temere Conſtantinopolitani extollerent & ipſius Imperatoribus graves eſſent. Etſi porro quam maxime Epiſcopus Conſtantinopolitanus Epiſcopo ſubfuerit Romano, nihil inde coegeris pro Imperio Romano, cum & hoc inter artes aulæ eſſe potuerit, quibus id agebatur, ut ne ægre ferrent Romani tranſlationem ſedis Imperatoriæ. Et tandem Græca quoque eccleſia Romano ſe Pontifici ſubtraxit.

(*g*) *L.* 1. *C. Theod. de jure Italic. urb. Conſtantin. p.* 222. & *ſeq. in commentar.*

num ab eo in juris Italici concedendi facultate, pari cum Roma jure collocetur: ut Roma quidem illud civitatibus occidentis, Conſtantinopolis vero populis orientalibus conceſſerit: quaſi a jure civitatis Conſtantinopolitanæ beneficia iſta orientalibus urbibus advenirent; non vero a jure ipſius Imperatoris ibi permanentis, & publici juris diſpenſationem a Senatus Romani auctoritate trahentis: quo jure Cæſar & controverſias inter populos ortas dirimebat, cum Conſtantinopoli degeret: quod cauſam erroris obtulit Gothofredo, qui auctoritatem a Cæſare ad domicilium tranſtulit illius. Verum hoc Gothofredi figmentum confutare non cogimur, cum ipſemet ei ſuum patrocinium negarit (*a*) confutatus a Petavio, (*b*) & a Valeſio, (*c*) atque admonitus βασιλεύουσαν πόλιν a Juliano, quem Gothofredus in ſuam cauſam vocaverat, non Conſtantinopolim nuncupari, ſed Romam veterem; ideoque jus Imperii non alibi, quam Romæ ab eo collocari, ubi degeret Imperator. Et Sozomenus, (*d*) quamvis alioquin inflatius pro Conſtantinopoli ſua loquatur, minime tamen Imperium a veteri Roma transfert ad novam; ſed nomina ſimul urbis utriuſque committit, & curias, & inſtitutiones, & contrahendi ritus, ut recte Valeſius pro συμβόλα legerit συμβόλαια. Imo cum ſimilitudinem inſtituat a poteſtate ſacra, qua, ſe ipſo teſte Romanus Conſtantinopolitano longe præcellebat; ſat oſtendit quantopere in publica rerum civilium adminiſtratione urbs Romana Conſtantinopoli anteiret.

Μετὰ δὲ τὸν Ρώμης τὸν Κωνσταντίνου πόλεως ἐπίσκοπον τὰ πρεσβεῖα ἔχειν, ὡς νέας Ρώμης τὸν θρόνον ἐπιτροπεύοντα. ἡ δὲ γὰρ οὐ μόνον ἔσχε ταύτην τὴν προσηγορίαν ἡ πόλις, καὶ γερουσία πάρ᾽ αὐτῇ δήμων, τὰ ἀρχαῖς ὁμοίως ἐχρῆτο. ἀλλὰ καὶ τὰ συμβόλαια κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐν Ιταλίᾳ ῥωμαίων ἐκρίνετο καὶ τὰ δίκαια, καὶ τὰ γέρα περὶ πάντα ἑκατέρα ἰσάζετο.

Poſt Romanum præcellere, Conſtantinopolitanum Epiſcopum, utpote novæ Romæ præſidentem. Jam enim non modo appellationem hanc civitas (Conſtantinopolitana) *habebat, & Senatu, & populi ordinibus, & magiſtratibus ſimiliter utebatur; ſed & contractus ex legibus Romanorum, qui ſunt in Italia, celebrabat:* (*e*) *& inſtitutis, ac muneribus alteri per omnia æquabatur.*

VALESII verſio ejuſdem loci:

Præterea ut poſt Epiſcopum urbis Romæ Conſtantinopolitanus habet honoris prærogativam, utpote qui junioris Romæ Epiſcopatum adminiſtret. Jam tum enim urbs illa, non ſolum hanc appellationem meruerat, & Senatum & ordines populi, & magiſtratus ſimiliter habebat; Verum etiam contractus civium ejus urbis juxta leges Romanorum, qui in Italia ſunt, judicabat, juraque omnia, & privilegia æqualia ſeniori Romæ poſſidebat. Ita vertit Valeſius pro erudito ſane homine ac docto, ſed non juris: ſine cujus fraude, ſervata etiam verborum proprietate, nobiſcum potuiſſet poſtremas voces explicare.

Æquemus illas cum Sozomeno moribus, inſtitutis, ædificiis, magiſtratibus, contractibus, muneribus; parem vero poteſtatem in ſumma Reipublicæ; atque in apice dominationis habuiſſe, unde liquet? An non enim provinciales magiſtratus erant urbanis ſimiles, iiſque in provinciis pares, & tamen longe in majeſtate ſuprema inferiores urbanis, in quibus, utpote a fonte manantibus, una cum Senatu ſumma erat poteſtatis, quæ per gradus in provincias ex urbe diffundebatur? Neque alia poteſtas Conſtantinopolim commigravit præter provincialem. Siquidem, ut obſervat Tillemontius, (*f*) Senatus Conſtantinopolitanus initio a Proconſule regebatur, quamvis procedentibus temporibus, uſque ad Juſtinianum teſte Procopio, (*g*) Conſulum alter, qui occidentalis erat, Romæ crearetur; alter vero nempe orientalis Conſtantinopoli, ut ſecum ea in urbe portio illa civilis poteſtatis Roma fluentis habitaret, quæ ad juſtam negotiorum publicorum adminiſtrationem requirebatur, utque præſente Conſule,

(*a*) *Ad L. 1. C. Theod. de jur. Ital. verbo Conſtant p. 222.* Spanhem. *in orbe Rom c. 19. p. 463.*

(*b*) *In not. ad epiſt. Julian. 35.*

(*c*) *Anneat. in* Sozomen. *lib 7. cap. 9.*

(*d*) *Lib. 7. cap. 9 p. 714.*

(*e*) *Hæc omnia officio judicis celebrari oportet, hoc eſt* dicimi, *diſceptari, judicari pro græco ἐκρίνετο. Ulp. l. ſi alius 7. § 7. ff. quod vi aut clam.*

(*f*) *In vita Conſtant. art. 67.*

(*g*) *In arcana hiſt. p. 114. & notæ in illum pag. 106.*

ſule, ſi quid in conſilio ſuo decerneret Imperator, id non ex potentioris arbitrio, ſed ex legibus, & ex ipſa Republica in Conſules collata, prodire videretur.

Neque Conſtantinopolis, quod alterum Conſulem acciperet, propterea Romam æquabat: tum quia primas in honoribus ferebat Conſul Romæ creatus, ut ex Procopio Grotius refert; (*a*) tum quia Zonaras (*b*) principatum Romæ remanſiſſe teſtatur, utcunque Conſtantinus ſecum Conſtantinopolim tranſtulerit exercitium juris Imperatorii Romæ radicibus ſuis hærentis, quod ad actus Reipublicæ neceſſarios expediendos ab Imperatore ſecum trahebatur. Quo ſenſu eam translationem accipiendam eſſe docet Ammianus Marcellinus, cum ſcribit, Romam cum Imperio ab ſe parto ſeſe commiſiſſe Cæſaribus, non tanquam dominis ancillam, ſed tanquam parentem liberis, per victorias eorum & militarem virtutem non oppreſſuris matrem, neque ab illius gremio convulſam dominationem ad exteros, ſibique ſubjectos populos, ex vulgi errore, translaturis; ſed majori præſidio contra barbaros munituris auctoritatem eam, qua exercitibus Romanis ad S. P. Q. R. uſum Princeps imperabat. *Urbs venerabilis* (inquit Ammianus) (*c*) *poſt ſuperbas efferataram gentium cervices oppreſſas, lataſque leges, fundamenta libertatis & retinacula ſempiterna, veluti frugi parens & prudens & dives Cæſaribus tanquam liberis ſuis regenda patrimonii jura permiſit*. Hæc homo Græcus, cum inter Græcos habitaret Imperator. Nimirum quia, etſi Roma procul abeſſet perſona imperantis, nihilo tamen minus ipſa urbs per eum imperare putabatur: ut clarius elucet ex his, quæ idem ſubjicit, ſcribens: *Licet occiſæ ſint tribus pacatæque centuriæ, & nulla ſuffragiorum certamina, ſed Pompiliani redierit ſecuritas temporis; per omnes tamen quotquot ſunt partes terrarum, ut domina ſuſpicitur & regina, & ubique Patrum veneranda canities, populique Romani nomen circumſpectum & verecundum*, & lib. XVI. hæc de Conſtantino ad urbem adventante refert: [*d*] *Cumque urbi appropinquaret, Senatus officia, reverendaſque patriciæ ſtirpis effigies ore ſereno contemplans, non ut Cineas ille Pyrrhi Regis legatus in unum coactam multitudinem Regum; ſed aſylum mundi totius adeſſe æſtimabat*. Hactenus Marcellinus, qui uſque ad Theodoſium vixit. Et qui Honorii tempore floruit Claudianus nativum, ac legitimum perpetuumque Imperii ſolum, etſi ſuo ævo alter Imperator Conſtantinopoli degeret, Romam tamen unice agnoſcit his verſibus;

Quem precor ad finem laribus ſejuncta poteſtas
Exulat, imperiumque ſuis e finibus exit?

Roma enim ille imperium velut e fonte manare alibi docet, inquiens:

Armorum legumque parens, quæ fundit in omnes
Imperium.

Alioque loco per Cæſarum creationem non avulſum a Patribus Imperium docet, ſed ſocietatem illius inter Patres & Principem initam his verſibus ad Honorium Imperatorem, ſimulque Conſulem pertinentibus:

- - - - *numeroſo Conſule Conſul*
Cingeris, & ſocios gaudes habere Patres.

Scriptorum porro teſtimoniis conſentiunt monumenta rerum geſtarum, quæ Senatus auctoritatem pandunt etiam inter publicas res violentia militari a barbarorum incurſione perturbatas. Cujus auctoritatis exemplum prodiit illuſtre ſæculo prope poſt Conſtantinum, nempe ſub Arcadio & Honorio. (*e*) Quo tempore cum ipſos inter Cæſares de Imperii finibus certaretur, mos antiquus fuit revocandus, Senatuſque Romanus conſulendus, ut per poteſtatem Cæſarea Imperatoriaque majorem, lites eorum, veluti poteſtate patria, liberorum controverſiæ componerentur. Quæ ſi poteſtas unquam corruiſſet, reſurgere nullo modo valebat Imperium, ubi ſemel Imperatorum ipſorum diſſidiis inclinaſſet. Cum igitur Gildo Africam, quam Honorii nomine regebat, occupaturus eam traheret, vel trahere ſimularet ad Arcadium, atque ab occidentali avellere ſtuderet Imperio; res ve-

(*a*) *lib.* 2. *de jure belli cap.* 9. *XI.* 2. *in not.*
(*b*) *Annal.* 3. *in Conſtant. pag* 84.
(*c*) *lib.* 14. *num* 15.
(*d*) *pag* 70.
[*e*] Symmach. *lib.* 4. *Epiſt.* 4 Claudian. *de bello Gildon.*

cuſto ritu ad Senatus Romani judicium devenit. Quo judicio Patres hoſtem patriæ Gildonem judicarunt, bellumque adverſus eum decreverunt, repetitamque Africam Honorio reddiderunt. Hinc Claudianus Stiliconem ingentibus effert laudibus, quod ad rectæ rationis atque priſcæ Romanorum inſtitutionis normam, ex Senatus ſententia bellum decernendum, remque militarem gerendam curarit: unde inquit *lib.* 1. de laudibus Stiliconis:

Hoc quoque non parva fas eſt cum laude relinqui,
Quod non ante fretis exercitus adſtitit ultor,
Ordine quam priſco cenſeret bella Senatus.
Neglectum Stilico tot jam per ſecula morem
Rettulit, ut ducibus mandarent prælia Patres;
Decretoque togæ felix legionibus iret
Teſſera, Romuleas leges rediiſſe fatemur,
Cum procerum juſſis famulantia cernimus arma.

& *libro* 6. de Honorii Conſulatu:

- - - agnoſcunt proceres, habituque Gabino
Principis, & Ducibus circumſtipata togatis
Juræ paludatæ jam Curia militat aulæ.

eodemque libro pluribus laudaverat Honorium, quod omnibus de rebus ad Senatum referret, more majorum, his verſibus:

Hic eſt ille puer, qui nunc ad noſtra Quirites
Evocat, & ſolio fultus genitoris eburno
Geſtarum Patribus cauſas ex ordine rerum,
Eventuſque refert, veterumque exempla ſecutus
Digerit Imperii ſub judice facta Senatu.

& *libro* 3. de laudibus Stiliconis, exultat idem Poeta, quod Roma rerum domina nomine ſuo legiones duceret:

Ipſa jubet ſignis, bellaturoque togatus
Imperat, & ſpectant Aquilæ decreta Senatus.

Ubi ſunt, qui aut periiſſe funditus Romani Senatus poteſtatem ſomniant, aut in Græciam evolaſſe? Cur? quia nimirum rara inveniunt hujuſce poteſtatis exempla poſt Conſtantini diſceſſum, quaſi ad nos monumenta publica pervenerint omnia, vel frequens fuerit hujus remedii, taliſque poteſtatis exercendæ neceſſitas: præſertim ex quo Cæſaribus creatis per legem, quam expoſuimus, Regiam, belli paciſque cum hoſtibus arbitrium a Senatu permittebatur; adeo ut Cæſaribus tantum ipſis ſecum contendentibus exuſcitandum fuiſſet judicium Patrum, ipſam Rempublicam reddentium, vireſque proferentium publicæ nativæ perenniſque majeſtatis, qua majeſtatem temporariam & commodatitiam Principum aut definirent, aut explicarent, ad uſumque Reipublicæ flecterent componendis recidendiſque diſſidiis militaribus auctoritate civili: quæ niſi conſtitiſſet in corpore Senatus perpetuo, cum ipſa imperantis vita, ut ſupra expoſuimus, occubuiſſet; remque omnem Romanam, ſive orbis terrarum regimen, in ſuum interitum traxiſſet. Quæ publici juris ratio communis eſt & regnis illis omnibus, quæ per electionem traduntur, non autem per ſucceſſionem, quorum poteſtas publica cum ipſo hereditario Rege nunquam perierit: quia utcunque ſecum ambulet majeſtas perſonalis; majeſtas tamen realis defuncti Regis poſteritate, tanquam capite ac radice perpetuo continetur. Quod autem in regnis electione tradendis lineæ Regiorum deſcendentium non adplicatur, id oportet vel in civitate univerſa, vel in primoribus civium, atque in Senatu, & magiſtratibus perpetuo locatum exiſtimetur. (*)

CA-

(*) Neutra conjectura Gothofredi a veriſimili magnopere abhorret, prodeſtque poſteriori, quod neutiquam Conſtantinopolis a ſede Imperatoria ſola dignitatem ſuam nacta eſt, ſed, ut toties obſervavit Noſter, Romæ veteri exæquata. Sozomenus ut Imperium a veteri Roma ad novam translatum diceret, nulla neceſſitas erat, cum ſatis ſit, idem inter utramque communicatum fuiſſe. In nominibus magiſtratuum ſæpe luſum, enervata jam poteſtate dignitatum, quibus libera Reſpublica utebatur. Temporibus Honorii, quod exemplum memorabile eſt, Africam ei patres adjudicarunt, Gildonem hoſtem patriæ pronunciarunt, ſed hunc ipſe Claudianus

Neglectum dicit tot jam per ſecula morem,

nec ſententiæ patrum ceſſit Gildo, ſed armis in ordinem cogendus fuit.

CAPUT I.

Operis Concluſio.

UT autem eo revertamur, unde diſceſſimus, ſatis arbitror, oſtendimus, Romam fuiſſe imperii fontem; Byzantium vero ſedem Imperatoris, non quidem perpetuam, ſed diuturniorem: cum Imperator non aliam ſedem habeat perpetuam præter militiam, quæ habitat in caſtris; cum quibus mutat & ipſe domicilium, utpote ad obeundas armis provincias Romanorum, atque ad victorias Pop. Rom. multiplicandas, fineſque tuendos, aut propagandos inſtitutus. Ideo Byzantium utpote ſedes certior, atque conſtantior ſummi Ducis, Prætorium erat ſtabile, quaſi caſtra vallata muris & tentoria in ædificiis collocata. Quamobrem cum aut Reipublicæ neceſſitas exercituum Ducem ad occidentales regiones vocaret, aut ad plures Cæſares Imperii adminiſtratio deveniret, Roma ſuum repetebat Principem; ipſeque in ipſius Imperii domicilium remigrabat. Quod rerum geſtarum & antiquitatis totius fide comprobatur: ſiquidem quoad majeſtas Romana & Imperium omne ſtetit incolumne, nempe ad Auguſtulum uſque, Odoacris parricidio ſublatum, res Romana, vel ab uno, vel a pluribus Cæſaribus ita gerebatur, ut vel unus præſto eſſet, quocunque belli cauſa traheret; vel plures ſibi provincias ita dividerent, ut alter orientalem, alter occidentalem Romani orbis partem tueretur ac regeret; aliquando vero plurifariam, pro imperantium numero, dividerent ſibi Romanum orbem pluribus ducibus concreditum; tanquam unius tutela, quæ pluribus tutoribus gerenda committatur. Sed jam vela contrahentes, & Reipublicæ Romanæ formam de ſuperioribus diſputationibus breviter exprimentes colligamus, poteſtatem omnem Romanorum publicam jam a Tiberii tempore ad Senatum translatam, in Civilem & militarem ab urbis primordio diſceſſiſſe. Civilem variis portionibus ſub juriſdictionis nomine ad ſingulos manaſſe magiſtratus; militarem per S. C. tranſiiſſe in Imperatores: ut duo principatus prodierint, veluti duarum ex univerſo terrarum orbe nationum; Quiritium videlicet & militum. Illorum principatus erat civilis nempe Conſulatus, aut regnum unius anni; horum principatus erat militaris, nempe jus armorum perpetuum, ſive Imperium ex Romanis inſtitutis nunquam jure magiſtratuum, ſed certa lege tranſiturum: unde natum apud JCtos nomen imperii meri e ſummo jure militari venientis, neque juriſdictionem unquam comitantis.

Hinc a ſcriptoribus priſcis utriuſque principatus inter ſe munera peritiſſime ſecernuntur: Cum principatus Civilis militari præcellens Conſules, Cenſores, Prætores, alioſque minores magiſtratus, omnemque Rempublicam; principatus militaris Legatos, Tribunos, Duces, omnemque militiam Reipublicæ cauſa inſtitutam contineret. Unde Tacitus Neronem, nondum felicitate labefactatum, ita jura publica temperantem ac partientem inducit: *Teneret antiqua munera Senatus. Conſulum tribunalibus Italia, & publicæ provinciæ aſſiſterent.*

Nempe provinciæ pacatæ, quas una cum Italia ſibi Senatus retinuerat: ideoque adminiſtrabantur a Conſule, cum exercitu, & Imperatore opus non haberent: (*a*) deinde ſubdit: *ſe* (nempe Cæſarem) *mandatis, exercitibus conſulturum;* (*b*) & alibi: *Deinde ceteri compoſita indignatione, quod Conſul Rempublicam Dux Imperatorem prodidiſſet.* Et Svetonius Rempubl. omnem ad Conſules revocat, cum ſcribit, Caligulæ tempore, prolata Conſulum creatione, triduo Remp. fuiſſe ſine ſumma poteſtate.

Quamvis autem Imperator, ſuſceptis ſibi per militarem potentiam frequentibus Conſulatibus, aliiſque magiſtratibus majoribus, & Tribunitia poteſtate, quotannis, jus præferret pene regium; tamen quia nunquam ex inſtituto Pop. Rom. munera cum muneribus, aut poteſtas militaris cum civili confundebantur; ſed ſemper, etiam ſi unius in perſonam coirent, natura ſua diſtinguebantur; propterea neque jus Imperii extinxit jura magiſtratuum; neque poteſtas militaris extinguere unquam potuit poteſtatem civilem in Senatu perpetuo inſidentem, & magiſtratibus omnibus, ſicut & Ducibus, ipſiſ-

(a) *Annal.* 13.

(b) *Lib.* 3. *hiſt.* *p.* 527.

Digitized by Google

ipſiſque Imperatoribus, Reipublicæ nomine, imperantem.

Atque hæc de Romano Imperio ad Auguſtulum uſque. De variatione autem ipſius a Carolo Magno, & a Germanici Regni miſtura, ſi vita, & facultas dabitur, peculiari tractatione differemus: cum ſylvam rerum ſuis locis ad ſententiæ noſtræ munimentum & lumen tribuendarum, ex idoneis auctoribus, & e civilis & Pontificii juris interpretibus, longo gravique labore a nobis collectam, ad manum habeamus. Hunc autem librum modo editum, propter diſcrimen juris ab ea tractatione ſejunctum, & propter affinitatem rerum & temporum, cum tribus hiſce ſuperioribus conjunctum, vobiſque, QUIRITES, dicatum volumus, qui tam bene armis legibuſque veſtris de omni humano genere meruiſtis; Quique membra divulſa orbis terrarum, homineſque agreſtibus moribus diſtractos, & diſſipatos, ad honeſtatis commercium, urbis veſtræ communione, convocaſtis; ut ſi qua cultura ſupereſt animorum, ea omnis vobis debeatur, & latini ſermonis uſu legumque veſtrarum ſtudio conſervetur.

Βέλτιμα χρηστὸν ὑπερ ἕνεκα πόλις στρατοπέδων κρατεῖ. *Thucid. lib.8. cap.76.*

JANI

JANI VINCENTII GRAVINÆ OPUSCULA ET ORATIONES VARII ARGUMENTI.

SPECIMEN PRISCI JURIS, AD CASPAREM CARPINEUM CARDINALEM.

SÆpe contigit, CASPAR Cardinalis ampliſſime, ut, cum Juriſconſulti & eruditi contenderent inter ſe, ac ſuam viciſſim doctrinam verbis extollerent, extenuarent alienam, ipſe a neutris gratiam inirem; propterea quod apud eos, quorum pars a juriſprudentia eruditionem removerant omnem, pars nunquam eruditioni juriſprudentiam adjunxerant, negarem ea ſtudia diſtrahenda, ſed ad ſummam eruditionem veteris Juris notitiam, & ad plenam atque maturam juriſprudentiam reconditam & exquiſitam eruditionem pertinere, confirmarem. Quam ego ſententiam noſtris quidem temporibus, in quibus fæx interpretum ſordeſque forenſes non modo innatam Juri civili eruditionem, ſed Jus civile ipſum ab injuſtis poſſeſſoribus jam diu occupatum obruerunt, ſatis invidioſam, tibi tamen præ cæteris probatum iri confido; utpote cum ad diuturnum, ac ne punctum quidem temporis in vita intermiſſum, civilis & Pontificii juris ſtudium, aſſiduumque veterum & novorum interpretum uſum, antiquitatis Romanæ notitiam, & ſeveram ac ſolidam, non fucatam aut ambitioſam eruditionem, ſumma cum laude nominis tui, ac omnium fere mortalium utilitate contuleris.

Etenim ne aliquis illorum eſſes, qui, quum interpretes populo dati ſunt, interpretem ſibi alium e populo quærere coguntur; uſque ab adoleſcentia ſacrorum curam, & privatarum publicarumque cauſarum cognitionem pro deferendis muneribus ſuſcepturus, non modo Jus, in quo verſamur, cognoſcendum; ſed veterem omnem Eccleſiæ ſtatum percurrendum tibi putaſti, & antiquorum patrum ſapientiam tui muneris ſociam atque conſortem digniratis adſciviſti; ur e ſtirpe ſua repeteres eam conſiliorum copiam & maturiratem, qua diu gentibus proſpexiſti, quaque tuis ſenrentiis eam auctoritatem conciliaſti, ut non modo hæc ætas æqui & iniqui diſcrimen a tuo judicio deducat; ſed & graviſſimi illi antiqui moris judices Coruncani, & Caſſii, ſi tecum irent in conſilium, tibi deliberationem ſuam committerent, tibi jus omne traderent mentis ſuæ, pluſque in reſponſis tuis, quam in propria conſcientia ponerent. Jure igitur urbs univerſa de ſummis rebus deliberatura veretur, ne quid ſine auſpiciis aggrediatur, niſi te antea conſuluerit; ita ut

ut incremento gloriæ, quam tibi uni debes, ampliſſima illa ornamenta ſuperaveris, quæ a majorum tuorum ſplendore proficiſcuntur; & cum ſublimiores honorum gradus adſcenderis, nullam adhuc meritis parem inveneris dignitatem.

Nos vero contentionibus illis excitati, quo demonſtremus, juriſprudentiam a retruſiori eruditione deſcendere, ac ſimul facem aliquam, quantum in nobis eſt, Juris civilis ſtudioſis præferamus, adjecimus nuper animum ad exponendas origines Juris civilis. Quod ſi mihi ſucceſſerit ex ſententia, facile vicero, eruditionem omnem incurrere in juriſprudentiam, ac jus civile vix ab ullis melius poſſe præſtari, quam ab iis, qui exemplo graviorum interpretum leges e ſuis hauſere fontibus, iiſque ſtudiis uſum incorruptæ Latinitatis, & philoſophorum acumen, ac veterum notitiam temporum adjunxerunt. Quod opus cum plurium annorum ſit, & immenſi laboris ac induſtriæ; interea loci quo monumentum aliquod obſequii & cultus erga te noſtri ſtatuamus, ex rudibus adhuc illis, nec dum digeſtis commentariis, ſpecimen hoc excerpſimus, in quo breviter expoſuimus, quæ fuſius in primo *de originibus* libro diſputabimus. Quod munuſculum, quantulumcunque illud ſit, pro tua humanitate non gravate accipias, rogo.

Quoniam igitur nemo eſt auctor ſui, nec ullam homo ſibi tribuere facultatem poteſt, ſed tantum edere atque verſare, quod in tributis facultatibus conditum a Deo fuit, a quo proficiſcitur quantumcunque præferimus; ideo quatenus cujuſque facultas excurrit, eatenus cupiditatis jura porriguntur: ſiquidem natura nemo alteri jure propriæ facultatis exercendæ præcellit. At quia diſpares hominum ſunt & finitæ facultates, infinita vero cupiditas ſingulorum; ideo, concurrentibus cupiditatibus omnium, ſimul facultates impelluntur; ita ut vel minores coerceantur a majoribus, vel pares mutuo collidantur. (*) Quam animorum conflictationem rapinæ, jurgia, & mutuæ cædes, & tumultus, & rerum omnium perturbatio conſequeretur, niſi cupiditatum impetum ratio comprimeret recto uſu libertatis, quæ regendis data eſt flectendiſque motibus animorum, eaque ratione magis exprimitur quam cupiditate: ratio enim expeditur cujuſque naturæ poteſtate, cupiditas rebus externis vel coercetur, vel impellitur, vel agitatur; ut quo cupiditas latius effunditur, eo libertas arctius contrahatur; ideo cupiditatem, ſupra quam fert naturæ facultas, attollentes ab ipſa natura, quam maxime conamur augere, deſciſcimus: quoniam ea complectimur animo, quæ rebus potius externis quam naturæ facultatibus gubernantur, & ab alienis occupati, curam noſtri externarum cauſarum potentiæ tradimus, iiſdemque rebus obnoxii, quas urgemus, dum ad majorem poteſtatem contendimus, miſeriorem incurrimus ſervitutem. Quo igitur ſe quiſque ſibi vindicet, naturæ poteſtati cupiditas eſt exæquenda & componenda ratione, quæ nihil aliud eſt, quam propriæ naturæ poteſtate circumſcripta voluntas, quam vel honeſtatis initium appellemus licet, vel ipſam potius honeſtatem.

Virtus enim, quæ nullis rebus extra ſe poſitis ducitur, ſed propriæ naturæ viribus explicatur, ſummum eſt libertatis & honeſtatis opus; ideo ſapiens, qui omne bonum in virtute ponit, ſummam, quæ quidem homini convenit, aſſequitur libertatem. Quamobrem ſapientes, qui potiſſimum rationem habuerunt expeditam, ſuo ſibi conſilio regendos ſuſceperunt eos, qui animum quodammodo in poteſtate non tenent, quique magis alienarum opum, quam propriæ tranquillitatis deſiderio rapiuntur, & a cupiditatibus

&

(*) Siſtuntur hic primo loco ſententiæ Spinoſæ & Hobbeſii, commentis Gravinæ incruſtatæ. Quæ dein ſequuntur paginæ aliquot ad verbum fere deſcriptæ ſunt ex *libri II. c.* 17. 18. 21. & 23. niſi potius hæc capita ex hoc opuſculo mutuatus eſt Noſter: quod veriſimilius, quia opuſculum prius editum. Reliqua totius opuſculi uſque ad finem ejuſdem, epitomen ſiſtunt commentarii ad XII. tabulas, qui eodem libro ſecundo continentur, & quem ſupra illuſtravimus. Epitome ipſa ſæpe verba commentarii ſiſtit. Diſcrimen in ſolo ordine tractationis, quem hic ſecundum tabulas præeunte Gothofredo ſequitur, cum in *lib. I.* ad exemplum Hotomanni ordinem materiarum ſectetur, niſi quod in fine opuſculi uſurpationem actibus legitimis annumerat, quam in commentario ad XII. tabulas prætermiſit, & quod paullo ante, venditionem familiæ inter actus legitimos ſigillatim recenſet, cum eam rectius ſupra generali mancipationis vocabulo complexus ſit.

& voluptatibus, quibus indulgent, ſuo & aliorum detrimento in maxima pericula conjiciuntur. Quoniam igitur uſu compertum fuit & ratione proviſum, homines, ſi jus quiſque ſuum propria utilitate ac facultate metirentur, cupiditatibus diſtractos perpetuo conflictatum iri, ac omnium ſalutem in aſſiduo periculo verſari; propterea ſapientia, ſive adulta ratio, ſua cuique rerum portione tributa, ut inteſtinum & externum periculum arceret, ſocietatem conflavit; utque conflatam ſocietatem perpetuo tueretur, civile bonum propria & communi utilitate definivit. Quo vero ſingulorum & commune bonum perpetuis vinculis contineretur, certis pactionibus conſtituendis atque firmandis ſuam quiſque voluntatem contribuerunt, ac in medium proprias contulere facultates, ut ex omnium voluntatibus & facultatibus eodem confluentibus publica voluntas exoriretur, & ſumma poteſtas: quarum altera dicta lex eſt, ſive communis ratio, vel civilis ſapientia, & publica philoſophia: altera imperium, ſive virtus, & facultas univerſorum. Eaque non ſapientibus, ſua quibus ratio lex eſt & imperium, ſed iis ſunt poſita coercendis, ad quorum animos componendos ratio non valet, ut, quæ perturbatio propria ratione non reprimitur; ratione ac poteſtate publica, & alia majori perturbatione, nempe mortis & pœnarum metu, contineatur. Etenim ad importunos morbos medicinam adhibemus ſæpe triſtiorem, & ubi vulnus fomentis non levatur, ferrum tandem & ignem admovemus.

Hinc ex placida & inermi armata prodiit & imperioſa ſapientia, cujus vi libertas noſtra minime præcipitur, quoniam ea poteſtas extitit ex confuſis omnium facultatibus, & lex univerſorum complexa voluntates, ſingulorum rationem & poteſtatem in ſe ipſa conditas perpetuo conſervat: unde qui lege premitur, non aliena vi, ſed ſua potius imperii portione gubernatur. Quocirca omnium intereſt tueri leges, utpote vinculum publicæ ſalutis, qua unuſquiſque intelligit contineri ſuam. Ubi enim homines mutuo compulſi metu convenerunt in civitatem, portio ſuæ fit quiſque reipublicæ, cujus commodum, privatorum criminibus reſciſſum, eorundem eſt pœna ſarciendum, ut exemplo alieni ſupplicii a publica ſalute, quæ ſingulos tuetur, novorum criminum pericula propulſentur. Ideo conditis legibus, & imperio conſtituto, rei adminiſtrandæ ratio quærenda fuit, unde publica poteſtas vel ad Optimates adſcendit, vel conſedit in Principe, vel tributis communi conſenſu partibus per ſingulos ordines permeavit. Quæ poteſtas ad communem utilitatem publica voluntate inſtituta, ſi publicæ ſalutis detrimento, & ſingulorum injuria, vel ad unius, vel ad paucorum utilitatem detorqueatur, eodem revolvitur. Abeſt enim a tyrannide conſenſus univerſorum, ſine quo nullum ratum eſt & juſtum imperium. Unde, quod commodo civium fieri poſſit, licebit ſane rempublicam a prædone repetere, ne cunctorum opes & ſalus paucorum aut unius cupiditatibus vel libidinibus devoveantur. Etenim res eſt ſacroſancta libertas & divini juris, quippe humanæ a Deo implicata naturæ, ut eam tentare ſcelus ſit, impium circumvenire, occupare nefarium. Et contra, publicæ utilitatis cauſa jus eſt Principibus atque potentioribus, legum vim armis & auctoritate reſtituere, ſi juſtam libertatem effuſiori licentia multitudo corruperit.

Suprema vero poteſtas, ſive in Populo, ſive in Optimatibus, ſive in Principe, ſive pro ſua cujuſque portione conſiſtat in omnibus, explicatur per magiſtratus & judices, adhibitis in conſilium Juriſconſultis, qui ſunt legum voces, & Juris cuſtodes, atque Juſtitiæ ſacerdotes. Hanc autem univerſam rationem publicæ tranquillitatis prudentiſſimi legum latores, ut populorum natura ferebat, formarunt, atque flexerunt, & ad ſuos cujuſque regionis & temporis mores derivarunt. Hinc, quamvis unam omnibus honeſtatis informationem natura dediſſet, vultu tamen ac ſpecie minime apud omnes exprimitur eadem, ac diverſæ populorum & diſcrepantes ſunt inter ſe leges, quoniam non iiſdem ex fontibus ſuam omnes ducunt utilitatem: cumque unum ſit opus univerſorum, ſingularum tamen urbium regimen pro temporum & morum varietate diſtinguitur. Sane Judæis, quem ſibi populum Deus olim habuit eximium, lex divinis promta fuit oraculis, eorumque regimen ipſius divinitatis voce conſtitutum: unde recte Joſephus Judæorum rempubli-

cam Θεοκρατίαν, ſive divinum regimen, appellavit.

Aliarum gentium, & Romanorum leges, ad quas deſcendemus, ex humano profluxere conſilio. Omnium autem Principem leges dediſſe ferunt (*b*) Cererem, in majorum deorum numerum, quos Cabiros vocabant, ab Ægyptiis relatam; quorum ſimulacra deorum, nemini niſi ſacerdotibus adeunda, Cambyſes poſt longam ejus ſuperſtitionis deriſionem incendit (*b*).

Ea ſacra Erichteus Ægyptius Athenas, ubi magna erat rei frumentariæ penuria, comportato frumento tranſtulit, [*c*] eoque beneficio meruit, ut regnum ei deferretur, ac in Eleuſi ſacrum Cereri ſolemne inſtitueretur. Sunt, qui legum inſtitutionem tribuant Onomacrito, de quo hæc ab Ariſtotele traduntur *libr. 2. Politic.* *πειρῶνται δὲ καὶ τινες καὶ συνάγειν ὡς Ὀνομακρίτυ μὲν γενομένυ πρώτυ δεινῦ περὶ νομοθεσίαν.*

Alii primas leges ducunt a Rhadamantho (*d*) Lyciæ Rege, hoc nomen adepto, quod apud Rhodum ab Illienſibus fuerit inſtitutus, iſque ob inſigne ſtudium juſtitiæ, quo in vita tenebatur, fingitur apud inferos mortuorum culpas æſtimare. Perſis Zoroaſtrem leges tradidiſſe compluresexiſtimarunt, ac eum eſſe cenſuerunt antiquiſſimum. Cum autem de illius ætate ſummopere contenderetur, ac a Xantho Lydio ſexcentos annos a [*e*] Zoroaſtre ad Xerxem, ab Hermodoro Platonico annorum quinque millia fluxiſſe a Zoroaſtre ad excidium Trojæ crederetur, duo ab aliquibus poſiti fuere Zoroaſtres, cum teſtimonia ſcriptorum frequentiora ſint de illo aſtronomiæ peritiſſimo, quem Perſæ recentiores Hyſtaſpis Darii Regis patris æqualem faciunt: a quo Hyſtaſpe Magorum doctrinam enatam eſſe, Darius filius in patris monumento inſcribendum curavit. Cæterum Apulejus Zoroaſtrem conſtituit ſub imperio Cambyſis, cujus inter captivos Pythagoras, ut idem Apulejus tradit, doctores habuit Perſarum Magos, ac præcipue Zoroaſtrem. Ægyptii ab utroque Mercurio leges acceperunt; ab eo ſcilicet, de quo [*f*] Cicero tradit, Ægyptios non leges modo, ſed & literas accepiſſe, quem Theut appellabant, quemque poſteriores rerum Ægyptiarum ſcriptores antiquiſſimum faciunt, (*g*) & ab eo, quem Moeri Regi ſucceſſiſſe Marſhamus ex Syncello colligit. Atque ille cum prioris Mercurii artes & inventa coluit & conformavit, librifque quadraginta duobus humana divinaque omnia comprehendit, tum vel priores reſtituit leges, vel condidit novas. [*h*] Atque huic vulgo aſſignatur commentitius ac male ſartus ille Pimander. Porro ante paſtorum colluviem, quæ ſe in Ægyptum profudit, jus in tribus majoribus regionis illius urbibus reddebatur, Thebis ſcilicet, Memphi, & Heliopoli, quam a paſtorum dominatione liberatam, Amoſis qui Regum Ægyptiorum primus Heliopoli præfuit, legibus munivit, & tribunal conſtituit ex triginta judicibus, quorum denos civitatum ſingulæ dabant, de quibus unus ceteris & auctoritate in conſiliis, & gratia apud Regem, & dignitatis inſignibus præcellebat: etenim e collo catena ſuſpenſam aurea gerebat veritatis imaginem gemmis ornatam, [*i*] cunctiſque judicibus in conſilio leges omnes, octo deſcriptæ libris, proponebantur. Horum leges & inſtituta Pythagoras tranſtulit ad Crotoniatas. Hinc e Magna Græcia, ubi divinæ ille locavit ac humanæ fundamenta ſapientiæ, facta ſunt civilis doctrinæ juriſque divortia, legeſque ab ejus diſcipulis ad finitimos populos traductæ fuerunt e Pythagorica ſchola: quorum celeberrimi ſunt duo, Charondas [quem plerique Thuriis leges tuliſſe volunt] & Zaleucus, qui Locrorum regimen conſtituit; ac ambo ſanxerunt, ut, qui leges proponerent novas, capite plecterentur, niſi legibus ſuis univerſorum civium utilitati conſulerent; ac Zaleuco non mortuo tantum, ſed & vivo atque videnti, cives mactarunt victimas, & oraculi juſſu divinos honores habuerunt, ſicuti Scythæ Zamolxi eorum legiſlatori, Pythagoræ ſervo, qui dominum in Ægypti peregrina-

(*a*) Plin. *hiſt. lib.* 7. *cap.* 56.
(*b*) Herodot. *lib.* 3.
(*c*) Diodor. Sicul. *lib.* 1.
(*d*) Plin. *lib.* 7. *cap.* 56.
(*e*) Diog. Laer. *in proœm.*
(*f*) *De natura Deor. lib.* 3.
(*g*) Marſham. *ſec.* 1.
(*h*) Clem. Alex. *Strom. lib.* 6.
(*i*) Diodor. *lib.* 1. *pag.* 48.

Digitized by Google

grinatione ſequutus, quos inde arripuit ritus & inſtituta, tranſtulit ad ſuos.

Tarentinis Architas leges condidit, Parmenides & Zenon Eleatis. His conſimiles legiſlatores prodierunt Eudoxus, a quo Gnidii, Androdamus Rheginus, a quo Chalcidenſes, qui ſunt in Thracia. Verum legum latorum omnium celeberrimi & prudentiſſimi fuere Phoroneus Inachi filius, Græcorum Regum antiquiſſimus a quo exuti feritate & in urbem coacti, & legibus fuerunt inſtituti atque educati, Minos, Lycurgus, & cum Dracone Solon.

Minos (Gnoſſium intelligo, non eum, qui Apolloniæ regnavit, ut ex Platone Strabo & Valerius Maximus colligunt) nono quoque anno Jovis antrum ſubire ſolebat: unde prodiens decreta & leges in eo ſeceſſu conditas Jovis nomine proponebat; unde Homero: *ἐννέωρος Διὸς μεγάλȣ ὀαριστής* dicitur, & Platoni in Minoe: *φοιτῆσαι εἰς τό ἄντρον τȣ̃ Διός*. Lycurgus in Cretam profectus Minois inſtituta cognovit, & eorum multa in ſuas tranſtulit leges, quas Lacedæmoniis promulgavit, ac, ne ſuum ei numen deeſſet, eas Apollini aſſignavit. Quas leges, utpote non tam ad urbanitatem, quam ad militum ferociam inſtitutas, Plato & Ariſtoteles agreſtes cenſuerunt & aſperas. Athenæ vero, qua ex urbe omnis fluxit humanitas, & morum atque ſermonis elegantia, poſt ejectos Reges diuturnis jactatæ ſeditionibus, nec dum firmis radicibus in populari ſtatu conſtitutæ, ac præter paucas, quas tulerant Reges, nondum certis legibus illigatæ, acceperunt eas a Dracone, qui auctoritate magis quam legibus ſuis civibus imperavit. Siquidem jus ab eo conditum propter nimiam ſeveritatem ad feritatem deflectebat; ac minime congruebat humanæ imbecillitati naturæ, quam ille voluiſſe videtur extinguere, cum vel minima crimina maximis exæquaret, quas leges ipſa ſeveritas relaxavit. Cum etenim vel leviter errantibus pœnam capitis minarentur; levibus autem erroribus vel ſapientiſſimi ſint obnoxii; nemo tuebatur id quod omnibus erat æque formidandum: ideo per ſe concidit, quod nemo populi, neque ullius magiſtratus auctoritate fulciebatur.

Quippe malum Draco non tam ex magnitudine facinoris, quam ex vitiato peccantium animo æſtimabat, ac ex omni vitio quodlibet maleficium oblata facultate putabat erupturum, quæ fuit ratio Stoicorum. Quærenti autem cuidam, cur omnibus delictis capitale ſupplicium ſtatuiſſet; reſpondit, ſe delictorum vel minimum morte dignum judicare; ad maxima vero nullam pœnam invenire morte majorem: *Τὰ μὲν μικρὰ ἀδικήματα θανάτȣ ἄξια νομίζειν, τοῖς δὲ μεγάλοις ὐκ ἔχειν μείζονα ζημίαν*.

Hinc & otium pœnæ obſtrinxit, exemplo forſan Ægyptiorum, a quibus Solonem hanc tranſtuliſſe legem in ſuas Herodotus tradit; nempe ut ſinguli ſuum vivendi genus apud magiſtratus profiterentur; cum legem Pollux *de otioſis* Draconi tribuat, qui ante Solonem leges tulit, ac a Solone otii tertio damnatum infamia puniri ſcribat. Certe Solon Areopago negotium dedit, ut viderent, quod quiſque vivendi genus inſtituiſſet, & in eos, quos otioſos effendiſſent, animadverterent. Theophraſtus vero *τόν τῆς ἀργίας νόμον*, *legem de otioſis* Piſiſtrato aſſignat. Ceterum propter earum ſeveritatem Draconis leges natæ dicebantur a ſanguine.

Quas tandem novis conditis legibus abrogavit Solon poſtquam ab Athenienſibus Archon non ſorte, ſed ſponte fuit conſtitutus. Iſque cum Rempublicam [a] accepiſſet inteſtino morbo laborantem, & adhuc veterum ſeditionum reliquiis periclitantem, relictis magiſtratibus penes divites, in quibus antea conſtiterant, cenſum civium egit, ordines deſcripſit, &, pro tributa ſibi a Populo poteſtate, magiſtratus, conciones, judicia; curias, numero tempore munereque diſtinxit, juraque cum privata, tum publica, ſuis legibus definivit, & ſenatum Areopagiticum, graviſſimum illum & pervetuſtum, conſtituit ex iis, qui annuum magiſtratum geſſerant atque novem Archontibus, qui antea ſummi judices erant, nihil reliquit præter examen reorum. (b) Senatum præterea decretis ante comitia Populi faciendis conſtituit e quatuor tribuum centenis, ut plebem ob remiſſum æs alienum ferocientem comprimeret. Utque Ariſtotelis teſtimonio concludam, Solonem, ait

(a) Plutarch. *in Solone*.

(b) Suid. *verb.* Ἄρχων.

ait ille, Senatum & magiſtratuum electionem priſtinam minime ſuſtuliſſe; ſed omnibus judicandi poteſtate tributa Populi tenuiſſe voluntatem. Itaque miſtum regimen inſtituit, quod deinde converſum eſt ad popularem ſtatum. Solon autem ſuas a Draconis legibus non re ſolum, ſed vocabulo quoque diſcrevit; appellatæ namque ſunt Draconis leges θεσμοὶ, ſive ſanctiones, [a] vel, ut ab aliis exponitur, inſtituta: Solonis vero νομοὶ, ſive leges. Eandem rempublicam poſtea Piſiſtratidarum tyrannide diſſolutam; iis expulſis, & novis additis legibus, compoſuit Cliſthenes, & ſecundum hunc leges aliæ conditæ ſunt, Ariſtophane, Diocle aliiſque rogantibus; aliæ a Demetrio Phalereo, cum rerum potiretur Athenis. Primis autem legum Atticarum auctoribus adjicit Suidas Æſchylum & Thaletem.

Ex Athenienſium autem legibus magnam partem manavit Jus Romanorum, in quo verſamur; quamvis non translatitio, ſed ſuo proprio ac peculiari jure urbs fuerit uſa ſub Regibus, a quibus de ſacris; & de publico privatoque jure latæ ſunt leges, nempe a Romulo, Numa, & Servio Tullio, quorum primus naturæ jus extulit, ac educationis liberorum, matrimonii, & parentum jura ſtabilivit: alter jus gentium expreſſit, ac de homicidiis, de bonæ fidei contractibus, de ſepultura, leges aliquot promulgavit, præter ritus & cæremonias, & ſacrorum religionem, quæ fere omnia ab ejus inſtitutione profluxit: poſtremus majorem operam ad Jus civile contulit, & de contractibus ac delictis quinquaginta rogavit leges: [b] item & de fœnore, de nexis & de ære alieno. Quæ omnia in unum volumen contulit Sext. Papirius, unde jus Papirianum, de quo librum conſcripſiſſe Gravium Flaccum auctor eſt Paullus Juris conſultus (c). Quod jus exactis Regibus exolevit. Imo lege Terentia fuiſſe abrogatum. Hotomannus (d) ex Pomponio ſcribit. Joſephus vero Scaliger putat, leges Regias minime fuiſſe ſublatas, ſed conjectas in tres priores XII. Tabularum, quam conjecturam auctoritate tuetur Livii: (e) *Fœdera* (inquit) *& leges* (*erant æreæ XII. Tabul. & quædam regiæ leges*) *conquiri, quæ comparerent, juſſerunt*. Hinc Caroli Sigonii judicium probo, qui, L. Bruto Trib. Celerum ferente, cenſet eas tantum ſublatas, quæ ad regiam dominationem ſtabiliendam pertinebant.

Et Marcellus (f) *lib.* 28. *Digeſt.* tradit, ex lege regia deſcendere, ut non ante humetur mulier prægnans, quam partus excindatur. Verum creſcente in dies numero civium, exundante negotiorum copia, & vi atque injuria pro natura multitudinis æſtuante, prudentiores nova morborum ſemina novis opprimenda conſiliis cenſuerunt. Cumque ſolis moribus & repentinis, ut ita dicam, legibus Populus regeretur, fixo & perpetuo jure componendam ac in poſterum firmandam rempublicam exiſtimarunt. Cum igitur C. Terentius Arſa Trib. plebis, ut Conſulum in plebem immoderatam poteſtatem imminueret, legem promulgarit de quinque viris, qui leges conſulari Imperio perſcriberent, creandis, eaque deliberatio variis contentionibus per decennium extracta fuerit, & poſt impetratam duplicandorum Tribunorum plebis poteſtatem intermiſſa, revixit tandem Romilio Veturioque Coſſ. in plebem Romanam, quæ militiam detrectabat, impotentius dominantibus. Hinc anno ab U. C. CCC. Spurio Tarpejo & A. Terminio Coſſ. res ad Senatum delata eſt, & ex ſententia P. Romilii factum Senatuſconſultum, [quod deinde fuit Plebiſcito confirmatum,] ut tribus triremibus, pro majeſtate Imperii Romani magnifice inſtructis, legati per Italiam & univerſam Græciam petitum leges mitterentur: creatique ſunt Sp. Poſthumius, Sextus Sulpicius, A. Manlius, qui utiliores civitatum ſingularum, ac Athenienſium potiſſimum, leges deſcripſerunt: (g) nonnullas a Lacedæmoniis fuiſſe ſumtas, Athenæus [h] & Ammianus [i] Marcellinus & Tribonianus [k] tradiderunt. Igitur leges in urbem delatas Decemviri, ad

(a) Ælian. *Var. hiſt. lib.* 8. *cap.* 10.
(b) Dionyſ. Halic. *lib.* 4.
(c) L. 144. *de V. S.*
(d) *Obſerv. lib.* 1. *cap.* 1.
(e) *lib.* 6.
(f) *Leg.* 2. *ff. de mort. infer.*
(g) Cicero *lib.* 2. *de legibus.*
(h) *lib.* 6. *in fine.*
(i) *lib.* 16.
(k) *Inſtit. de jure natur. gent. & civ. §. ult.*

ad quos juſſu populi earum componendarum poteſtas, & Conſulum atque magiſtratuum auctoritas omnis redacta erat, in decem tabulis digeſſerunt, partim integras, quales acceperant, partim emendatas, & ad urbis mores populique conſuetudinem conformatas, adhibito in conſilium Hermodoro Epheſio, in Italia tunc temporis exulante, qui Romanis ejus legationis auctor fuit, quemque plurimum ei negotio contribuiſſe ac aliquas etiam leges Romanorum condidiſſe, accepimus a Strabone. Quo pertinet omen illud Heracleti, qui, ad Hermodorum ſcribens, ſpeciem ſibi, ait, oblatam in ſomnis orbis univerſi venerabundi, & ad illius leges, Perſarum more compoſitis ad oſculum labiis, procumbentis. Ὄναρ ἐδόκουν. τοῖς σοῖς νόμοις σὲ παρὰ πάσας τὰς ἐχομένας ὀξυθύμασι προσιέναι, καὶ κατὰ τὸ ἔθος τῶν Περσῶν ἐκκλίνοντας τὸ σῶμα, προσκυνεῖν αὐτοῖς.

His autem tabulis publice propoſitis, facta unicuique objiciendi & corrigendi poteſtate, poſteaque omnium conſenſu probatis, ut corpus integrum Romani Juris abſolveretur, duas Decemviri adjecerunt, factoque Senatuſconſulto, capitis auſpiciis, accitis Pontificibus & Auguribus, Comitiis centuriatis leges univerſi ſciverunt. Quod Jus ad omnium notitiam & utilitatem æneis inciſum tabulis fuit, & in foro juſſu populi collocatum. Mos hic incidendarum legum deſcendit a Corybantibus, qui columnis inſculpere leges docuerunt, ut refert Theopompus. Solon (*a*) in ligneis incidit tabulis, quas ἄξονας καὶ κύρβεις appellarunt: cum ante tabularum uſum ediſcerent populi leges, & frequenti cantu eas memoriæ (*b*) mandarent. Quamvis autem Pomponius XII. Tab. eboreas (quæ lectio eſt Florentini Codicis) ſive, ut fortaſſe legendum eſt, roboreas fuiſſe ſcripſerit; tamen id de iis accipiendum eſt tabulis, quæ populo emendandæ, non de iis, quæ in perpetuum obſervandæ, propoſitæ fuerunt; niſi vel Triboniani audaciæ hujus loci vitium aſſignemus, vel Pomponium adverſus omnium veterum auctoritatem loquutum eſſe faciamus. Id autem Jus cum propter miram verborum proprietatem, atque brevitatem ſane concinnam, tum propter ſummam æquitatem, atque prudentiam, rerumque pondus & majeſtatem, univerſam continere ſapientiam, ac omnium philoſophorum doctrinam gravitate ſuperare putabatur. [*c*] Hujus Juris fragmenta complures antiquitatis & juris civilis ſtudioſiſſimi diligenter veſtigarunt, ac, e variis ſcriptoribus eruta, in antiquum ordinem, prout conjectura ferret, tribuerunt: omnium autem diligentiſſimam his colligendis, diſponendis ac interpretandis operam navavit Jacobus Gothofredus, cujus ordinem atque judicium nobis, dum in his verſabimur, merito propoſuimus.

Prima Tabula rationem inſtituendi judicii tradebat, cujus primum caput [*Si quis in jus vocat, atque eat*,] veluti ſolemne carmen vel pueris in ore fuiſſe; ſcribit Cicero, (*d*) ac in jus vocatum confeſtim ſequi jubebat. Hæc ampla definitio pluribus exceptionibus a Prætore circumſcripta fuit. Ex multis, quas huic capiti attexuit Cajus, duæ [*e*] ſuperſunt: altera, Ne quis de domo ſua: altera, Ne impubes (*f*) puella alieno juri ſubjecta in jus vocetur. Cum quis autem in jus vocatus ſequi nollet, tum actor eos, qui aderant, teſtes vocabat: quod *anteſtari* dicebatur, ſive *ante teſtari*; vel ex *am*, quod *circum* priſce ſignificat, eos teſtari, qui circum ſunt, prehenſa auricula, adjectoque hoc verbo, *memento*: & ſi fugeret reus, vel obniteretur, tum actor injecta manu eum in jus obtorto collo rapiebat, eaque *manus injectio* dicebatur. Qui mos omnis ex Athenienſium jure deſcendit. Exemplum enim exſtat apud Ariſtophanem in Veſpis de anteſtatione, & de manus injectione in comœdia palliata Apollodori a Terentio converſa, quæ inſcribitur Phormio.

DE. *In jus eamus*. PH. *In jus? huc, ſi quid lubet*.
DE. *Adſequere, ac retine, dum ego huc ſervos evoco*.
CH. *Etenim ſolus nequeo: accurre huc*
PH. *Una injuria eſt*
Tecum. CH. *Lege agit*. PH. *Altera eſt tecum Chreme*.
DE. *Rape hunc*.

Et

(*a*) *vide* Petit. *ad leg. Attic. in princip.*
(*b*) Ariſtot *problem.*
(*c*) Cicero *de orat.*
(*d*) *lib. 2. de legibus*. Cujac. *lib. 7. cap.* 16.
(*e*) Leg. 18. *ff. de in jus vocand.*
(*f*) Leg. 22. *ff. de in jus vocand.*

Et apud Lucianum in δικαστηρίοις. Ἕπυ μιαρὲ πρὸς τὸ δικαστήριον. Μὴ ἄγχεν με, *Veni ſcele-ſte in jus. Ne me ſtrangules.*

Secunda Tabula, cujus primum caput intercidit, & de judiciis erat, ac, ut ex 2. cap. conjicere licet, habebatur de judicio conſtituendo, & dandis vadibus, qui fidejuſſores erant rei judicio ſiſti; & ſubvadibus, qui actoris fidejuſſores erant, ac de committenda pœna, ſi judicium dEſereretur, quæ Athenienſium lege mulcta erat decem drachmarum; quam legem laudat Ulpianus ad Demoſthenis Midianam: quæ pœna legitimis exſcuſationibus evitabatur: unde aliud caput de juſtis vadimonii deſerendi cauſſis conceptum eſt, cujus verba retulit Ulpianus, ubi propter judicis (*a*) aut reorum morbum ſonticum judicii dies diffinditur, ſive proditur: differtur: item & propter publica vota. Quamvis enim Cajus (*b*) vota tantum commemoret de ſalute Principis, de quo nulla in XII. Tabulis eſſe mentio potuit, tamen credendum eſt, caput XII. Tab. de votis pro reipublicæ ſalute ſuſcipiendis in Principem, ut ſua tempora ferebant; a Cajo eſſe converſum.

Publica etiam utilitas excuſabat eum, qui aberat reipublicæ cauſſa. Huic attexit Gothofredus tractationem de furtis. Ac incendiarium furem, ſi ſe telo defenderet, XII. Tabul. occidi voluerunt impune: nocturnum autem poſt imploratam pupularium fidem, quod *quiritare* dicebatur, quoquo modo interfici permiſerunt, quod etiam fuit e Solonis lege deductum: *εἰδέ τις νύκτωρ ὁτιῦν κλέπτοι, τῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι. Si quis de nocte furaretur, licere eum occidere.* Ac ſicuti Solonis lege balinæorum fures gravius puniebantur, &, ſi decem drachmas excederent, capite plectebantur; ita & turpius notabantur apud Romanos. Catullus:

O furum optime balneariorum.

Ad eandem tabulam pertinet titulus *ff. Arborum furtive caſarum*, quam actionem ex legibus XII. Tab. deſcendere Paullus ſcribit *l. 1. eod.*

Tertia Tab. erat de rebus creditis, & ex cauſa depoſiti actionem dabat in duplum., uſuras ad unciam coercebat: nam ex ſententia Catonis *fœnerari eſt hominem occidere*. Quæ lex e Romanis tantum profluxit moribus, minime vero ex Athenienſibus, ex quibus nullus erat uſurarum modus, niſi quem contrahentium lex poſuiſſet. Peregrinos perpetuata civibus actione a jure uſucapionis arcebat: ei, qui vel debitum confeſſus, vel in judicio damnatus eſſet, triginta dies ad pecuniam contrahendam, & judicatum faciendum præſtituebat: cumque permittebat actori vel vinciendum, vel in privatum carcerem conjiciendum, ex quo nexorum nomen ortum eſt, vel pluribus creditoribus addictum tertiis nundinis, ſive viceſimo ſeptimo die pro cujuſq; portione ſecandum, vel trans Tyberim venundandum.

Quarta Tabula progrediebatur ad jus patrium, quod apud Romanos præ cæteris gentibus erat imperioſum. Siquidem lege Regia Romulo adſcripta, deinde in XII. Tab. conjecta, patri jus erat in filio vitæ & necis, atque adeo venundandi, ita ut ſemel atque iterum venundatus in patris poteſtatem recideret, nec ante tertiam manumiſſionem naturalem libertatem legibus ademtam recuperaret. Quod jus quamvis ſcriptores fere omnes a Romanis arceſſant; tamen repeti poſſet altius ac ex parte ſaltem ab Athenienſibus; apud quos non lege quidem, ſed moribus ante Solonem obtinuerat, ut patri jus eſſet vendere filium, quod tradit Plutarchus in *Solone*; (*c*) a quo ademta patri poteſtas eſt vendendi filiam, niſi fortaſſe in ſtupro deprehenſam. Eadem Tabula pater cogebatur recens natum infantem inſignem ad deformitatem confeſtim necare; iſque legitimus conſtituebatur poſthumus, qui decem menſibus proximis natus eſſet.

Quinta pertinebat ad teſtamenta & legitimas ſucceſſiones, eaque liberam cuique tribuebat poteſtatem ſuper re ſua teſtandi, ſive [quod idem apud veteres valebat] legandi. Quod caput priſcæ locutionis ignoratione depravatum reſtituit ex Pandectis Piſanis Cujacius, qui, pro *ſuper pecunia tutelaque rei ſuæ*, repoſuit *ſuper pecuniæ tutelæque rei ſuæ*, ſumto ſecundo pro ſexto caſu, more Græcorum, quem adhuc veteres illi ex linguæ cognatione retinebant.

Latiſſima hæc ex XII. Tab. inducta teſtandi

(*a*) *Leg. 2. §. 3. ff. Si quis caution.*
(*b*) *Leg. 233. ff. de V. S.*

(*c*) *vide Petit. Ad LL. Atticas lib. 1. tit. 5.*

ſtandi facultas ſequentibus temporibus variis præciſa legibus fuit, quas exponemus latius in ſecundo *de originibus* libro, ac earum præcipua erat lex Furia *de teſtamentis*, quæ, præterquam certis perſonis, vetabat cui ſupra mille aſſes legare, vel mortis cauſa donare. Voconia *de mulierum hereditatibus*, ne, qui cenſus eſſet, ſive centum millia ſextertium poſſideret, virginem aut mulierem ſupra quadrantem inſtitueret, pluſve legaret, quam ad heredes tranſmitteret. Velleja, quæ rationem tradidit exheredandi aut inſtituendi nepotem. Ælia Sentia, quæ, niſi certis conditionibus, aut intra certum numerum, manomiſſiones teſtamento fieri vetabat. Papia, quæ pluribus capitibus jura teſtamentorum immutavit ac facultatem teſtantium coercuit, orborum præcipuæ ac cœlibum: cum ea lex incitandis nuptiis lata fuiſſet. Falcidia, de quarta per heredem detrahenda. Quibus omnibus, præter Falcidiam, Juſtiniani lege ſublatis, jus XII. Tabulis plane revixit. Hae etiam Tabula ſuus natura heres non conſtituitur lege, ſed tantum ſignificatur: propterea quod naturalis ratio, ut Paullus ait, quaſi quædam tacita lex, liberis parentum hereditatem addiceret: [a] atque hinc *ſuorum* nomen eſt ortum in jure civili. Poſt ſuos heredes familiam ſive agnatos vocabat, poſt agnatos gentiles, quorum deinde jus exolevit. Romani enim gentem & familiam retinebant. Ex gente plures familiæ, ut ex familia Ciceronis domus duæ, Quinti & Marci: ſinguli autem, communi gentis & familiæ appellatione conjuncti, prænomine diſtinguebantur. Cum ſucceſſionibus Decemviri tutelæ quoque jura & curam furioſorum conjunxerant: contra quam conſtituerat Solon, qui noluit pueros fraudibus eorum permittere, qui agnationis jure ad pupillorum hereditatem vocabantur; ne lucri cupiditas agnatorum animos ad necem [b] pupilli converteret; cum Atheníenſibus æque atque Romanis tutela jus eſſet & poteſtas in capite libero: unde Æſchines *ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου* eos vocat *παίδων κυρίους*, *puerorum dominus*, Præterea libertorum bona, ſi ſine liberis obiiſſent, patronis eorumque libertis, item & tutelam detulerunt, & obligationes hereditarias inter heredes pro portionibus hereditariis ipſo jure diviſas eſſe juſſerunt, capite *de ercto cito*, erctum eſt [c] indiviſum, coercitum: quod a coercendo dictum voluit Feſtus. Huic affinis eſt græca vox *ἑρκίζειν*: *citum* autem Donatus exponit diviſum, ac deducit a *ciendo*: ex quo eapite prudentum interpretatio collegit legatarios hereditariis creditoribus minime teneri, cum lex XII. Tabul. ſolos heredes huic oneri obſtrinxerit. [d]

Sexta rationem dominii transferendi tradebat. Dominium enim jure civili nonniſi certis adhibitis ſolemnitatibus & formulis, in alium tranſibat. Et quoniam mancipii ſive dominii jure non cenſebantur, niſi vel quæ ad manum eſſent, vel Italica prædia, [provincialia enim, utpote obnoxia tributis, & publico devincta jure, propria civium Romanorum non erant] res mancipi Decemviri voluerunt in alterius dominium pervenire, vel mancipatione, ſive venditione quadam imaginaria, libri pende adhibito & quinque teſtibus civibus Romanis puberibus, vel in jure ceſſione apud magiſtratum Pop. Rom. Pretorem aut Præſidem provinciæ, dicente illo, cui ceditur: *Hanc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo*, quibus verbis eum ſibi vindicabat: ac Prætore interrogante illum, qui cedit: *an contra vindicet?* quo tacente aut negante res addicebatur; vel uſucapione per legem XII. Tab. inducta, *ut uſus auctoritas fundi biennium, ceterarum rerum annuus uſus eſſet*. Unde, qui bona fide emerat, biennio rei immobilis, anno mobilis dominium jure civili nanciſcebatur; ut etiam, ſi vir muliere ingenua integrum uſus eſſet annum matrimonii cauſa, eam ſine nuptiarum ſolemnibus, uſu tantum, ut & res alias mobiles, faceret ſuam, niſi a viro trinoctium abſuiſſet: quo ſpatio uſurpabatur ſive interrumpebatur legitimus uſus. [e] Cæterum *uſucapio* idem eſt ac *uſus auctoritas*, nempe jus legitimi dominii uſu quæſitum. Nam ante Juſtinianum nuda traditione dominium rerum mancipi minime

trans-

(a) *Leg. 7. ff. de bonis damnator.*
(b) Petit. *ab ll. Attic. lib. ſeptimo de tutel.*
(c) Salmaſ. *in Solon. pag. 1261. & ſequent.*

(d) *Leg. ultim. Cod. de hereditar. act. on*
(e) Gell. *lib 3 cap. 2.* Cuiac. *ad leg. 2. ff. de Uſuc. & uſurp. ſive ad lib. 54.* Paull. *ad edict.*

tranſferebatur, nec ejuſdem dominii communio ulla eſſe poterat cum hoſte, ſive cum peregrino, quem veteres *hoſtem* vocabant: unde per hanc Tabulam adverſus hoſtem, & de re furtiva, æterna erat auctoritas: ſive nec uſucapi ab ullo res furtiva, nec uſucapere quicquam peregrinus poterat. Hujus enim juris cives Romanos tantum leges participarunt. Et quoniam res emtori tradita ſine his juris civilis ſolemnitatibus venditoris & emtoris erat in ſolidum; idco venditor quiritarius, emtor bonitarius dominus appellabatur; quod diſcrimen dominii fuit Juſtiniano ſublatum. [*a*]

Per mancipationem autem res mancipi tantum abalienabantur: in jure vero ceſſione res etiam nec mancipi [*b*] ſive poſſeſſiones prædiorum vectigalium & tributariorum, quorum proprietas ſive mancipium penes populum Romanum erat; ideo a privatis per mancipationem transferri non poterant; ſed tantum per ceſſionem in Jure: quarum rerum uſusfructus & poſſeſſio transferebantur eodem ſtatu, quo erant apud priorem dominum. Mancipatio vero a nexu hoc differt, quod quælibet mancipatio nexu conſtat: quod autem nexu fit non continuo dicitur mancipatio. Multa enim nexu expediuntur, nec tamen mancipari dicuntur, nempe pignorum obligatio, teſtamenti factio, (*c*) & quicquid geritur per æs & libram: quod omne nexus nomine comprehenditur. Igitur quicquid expreſſum in mancipatione fuiſſet & nexu Decemviri a venditore præſtari voluerunt.

Juriſconſulti vero ex legis mente præter ea, quæ venditor expreſſiſſet, ſi quæ prædii vitia reticuiſſet, pro eorum æquitate præſtanda cenſuerunt. (*d*) Agebatur & hac Tabula de vindiciis, quæ, lites erant de poſſeſſione, ut ſacramenta de proprietate. Vindiciaque vocabatur fundi gleba e prædio ad Prætorem delata. Initio enim litigatores conſerta ſive correpta manu ex jure ſimul cum Prætore ad prædium, de quo erat controverſia, proficiſcebantur in rem præſentem; ſed cum in dies Prætor majoribus occupationibus diſtringeretur, nec poſſet his, ut antea, vacare; tantum litigatores ex jure in prædium contendebant, indeque glebam evulſam, quaſi fundi ſimulacrum, in jus Prætori ferebant, ut ejus eſſet fundi poſſeſſio, cui glebam Prætor addiceret. At ne his ſupervacaneis actibus judicia impedirentur, excogitata fuit a Juriſconſultis imago quædam priſcæ profectionis & verborum ſolemnitas, ut verbis deinceps redderetur, quicquid facto antea præſtabatur: cujus hæc erat formula: *Fundus qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, ego eum ex jure meum eſſe ajo: inde ego te ex jure manu conſertum voco*. Citatus vero reus reſpondebat: *Unde tu me ex jure manu conſertum vocas, inde ego te revoco*. Tum Prætor: *Utriſque ſuperſtitibus præſentibus iſtam viam dico*: *inite viam*. Hic aderat, qui diceret, *Redite viam*. In qua formula Cicero pro *Muræna* mirifice cavillatur. Tignum præterea, cujus nomine venit omnis materia ad fabricandum idonea, junctum concapi [ut Gothofredus reſtituit] ſive vindicari & ſolvi, hæc Tabula minime permittebat, ædificiorum & vinearum conſervandorum gratia; ſed adverſus eum, qui alienum junxerat, actionem dabat in duplum. Viris ad repudium uxorum cauſam addendam præcipiebat. Nec tamen jure repudii Romani ſunt uſi, niſi ſexcenteſimo demum anno poſt urbem conditam, ut Tertullianus libro *de monogamia* ſcribit. Primumque divortium a Sp. Carvilio factum fuiſſe, Dionyſius tradit. (*e*)

Jus repudii erat etiam apud Athenienſes. Hoc tamen intererat, quod apud Romanos, quantum ex auctoribus conjicere licet, in ſolo viro poſitum erat nuptias diſſolvere, idque addita cauſſa. Apud Athenienſes vero utriſque arbitrium. [*f*]

In ſeptima Tabula delictorum pœnæ deſcribebantur: eaque illatum damnum vel paſtu pecoris, vel a quadrupede feritate commota, reficiebat: aut enim æſtimationem damni præſtandam, aut quadrupedem noxæ dandam imperabat, ut de cane, qui momorderat, Solon conſtituerat: ſanxit enim, ut quatuor cubitorum catena vinctus noxæ daretur. Præterea fruge furtim paſta vel ſecta, facinoris auctorem Decemviri ſuſpenſum, Cereri necandum juſſerunt. Impuberem Prætoris arbitratu

(*a*) *C. de nudo jure Quirit. tollend.*
(*b*) Ræward. *ad LL. XII. Tabul. hoc tit.*
(*c*) Ræward. *ibid. tit. de mancipat.*
(*d*) Cicer. *in Topic* Ræward. *ad LL. XII. Tab. c.* 16.
(*e*) *libro ſecundo vide* Cujacium 1. *obſerv.* 39.
(*f*) Petit. *lib.* 2. *tit.* 3. *ad leges Atticas*.

bitratu verberandum, noxam duplione luendam. Frumentum in ædibus vel ad ædes poſitum, ſi alicujus opera conflagraſſet; eum; qui ſciens prudens commiſiſſet, verberatum igni necandum: ſi caſu id eſſet factum, noxam ſarciendam: ſi non eſſet idoneus, levius caſtigandum. [a] Oris autem percuſſionem viginti quinque aſſibus mulctandam. Unde ſceleſtiſſimus quidam, ſervum pecunia oneratum ducens, ut quiſque fieret obvius, os percutiebat præſentique pecunia ſe judicio liberabat. Ideo ne levitate pœnæ lex contemneretur, mulcta hæc exolevit & graviori ceſſit; injuriis enim æſtimandis poſtea recuperatores a Prætore dabantur. Sequitur frugum incantatio. Cum enim veteres illi, omnium bonarum artium & diſciplinarum rudes, putarent, fruges carminibus magicis vel averti poſſe, vel traduci, [ut enim Tibullus ait,

Carmen vicinis fruges traducit ab agris]

ideo Decemviri pro ſua puerili ac ridicula ſuperſtitione ſanxerunt. ut, qui fruges *excantaſſit*, ſive carminibus magicis creſcere prohibuerit, aut ſegetem alienam pellexerit, Cereri ſacer eſſet.

Famam quoque alienam legibus tegere Decemviri voluerunt. Nihil enim iniquius putarunt, quam civium nomen permittere ſcurris, nebulonibus, ac poetaſtris, quibus optimi cujuſque virtus eſt inviſa ideo fuſte feriri, ſive ad necem cædi [b] voluerunt eum, qui pipulo, id eſt convicio, *occentaſſit*, ſive obſtrepuiſſet carmenve condidiſſet, quod infamiam faxit flagitiumve alteri. [c] Nam, ut præclare Tullius in libris *de republica* apud Divum Auguſtinum, (*d*) *Judiciis & magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non poetarum ingeniis habere debemus; nec probrum audire, niſi ea lege, ut reſpondere liceat, & judicio defendere*. Qua ratione apud Athenienſes cum auctores veteris comœdiæ ſumma conviciorum libertate nullo boni malive diſcrimine, omnes inceſſerent, ac ne Principibus quidem parcerent civitatis: lata lex primo eſt, ne magiſtratibus fieret in comœdia convicium: deinde vetitum, ne quiſquam nominatim jocis & conviciis perſtringeretur. Eadem Tabula coercebatur fraus tutoris adverſus pupillum duplionis mulcta, itemque patroni adverſus clientem, quod de Romuli legibus ſumtum fuit; iis enim jubebantur patres ſuſcipere plebejorum patrocinium. Conſtituit enim inter utroſque officiorum viciſſitudinem & mutuam gratiam; ut patricii plebejos de urbanis rebus admonerent, in judicio atque extra judicium præſentes abſenteſque defenderent: contra plebeji patriciorum clientes eſſent ac patronos ad collocandas filias inopes, & æs alienum diſſolvendum, vel ad eos ex hoſtibus redimendos proprio ære adjuvarent, honores & magiſtratus adeptos obſervarent, ac deducerent & reducerent: patroni vero qui clientem accuſaſſent, aut contra illum ſuffragium teſtimoniumve tuliſſent, proditionis erant rei, & tanquam prævaricantes, ſacri erant Cereri, ſive Cereri devovebantur; ut, qui eos occidiſſent, pie feciſſe, ac infero Jovi hoſtiam mactaſſe putarentur. Quem enim Romani occidi volebant impune, hunc poſtquam alicui Deo devoviſſent, ſacrum dicebant.

Teſtis qui alicui negotio interfuiſſet, ac poſtea teſtimonium edere detrectaſſet, per hanc Tabulam inteſtabilis efficiebatur: & parricida, qui liberum hominem occidiſſet, malumve venenum propinaſſet, habebatur. Quique parentem necaſſet, inſutus culeo, capite obvoluto, in profluentem dejici jubebatur, exemplo ſupplicii, quo Tarquinius Rex affecit M. Tullium Duumvirum, qui liberum de arcanis civilium ſacrorum ſibi ab Rege creditum Petronio Sabino deſcribendum tradiderat. (*e*) Ibidem ſimiam, gallum gallinaceum, & viperam includebant.

Octava Tabula jus prædiatorium proponebat, ambitum parietis, ſive iter quod circumeundo teritur, ſeſtertio nempe duobus & ſemiſſe, viæ latitudinem octo pedibus in porrectum, ſexdecim in anfractum, ſive ubi flexum eſt, definiebat. (*f*) Per viam immunitam jumentum agi permittebat. (*g*) Aquæ pluviæ arcendæ, item & glan-

(*a*) *Leg. 9 ff. de incend. ruin. naufrag.*
(*b*) *Leg. 7. §. 1. ff. ad leg. Aquil.*
(*c*) Jacob. Gothofr. *hic*.
(*d*) *lib. 2. de civitate Dei cap. 9.*
(*e*) Valer. Maxim.
(*f*) *Leg 8. ff. de ſervit. ruſt. præd.*
(*g*) Cicer. *pro Cæcin.*

glandis, cujus nomine fructus veniunt omnes, in vicini fundum delapſæ colligendæ, atque arboris in proximum fundum ramis excurrentis pedes decem a terra altius coercendæ poteſtatem dabat. Finibus quoque regundis modum conſtituebat, exemplo legum Atticarum, quarum rationem diſerte deſcriptam prodidit Cajus, (*a*) & elicitur ex Cod. Teodoſ. (*b*) ubi ex legibus XII. Tabul. prohibetur uſucapio quinque pedum confinibus fundis interjectorum. Eſt aliqua inter duos illos locos lectionis diſcrepantia, de qua ſeorſum alias diſſeremus. De collegiis etiam ſancitum eadem Tabula erat, permiſſumque ſodalibus ut, quam vellent, ſibi legem ferrent, dum ne publicis legibus adverſaretur. (*c*) Quod e Solone translatum eſſe, Cajus notavit.

Nona Tabula, quæ de jure publico erat, ex Solonis etiam præſcripto privilegia, ſive leges in privatum irrogari, & de privato rogari vetabatur. Porro privilegii nomen alio trahitur a Juriſconſultis, quam in XII. Tabul. accipitur; quippe porrigitur ad leges eas, quibus aut juris civilis aſperitas nova æquitate dumulcetur, aut de certis perſonarum generibus aliquid novi lege conſtituitur. Præterea de capite civis Romani niſi comitiis centuriatis per hanc Tabulam ferri minime licebat; ideo Quæſtores parricidii conſtituebantur a Populo, qui capitalibus rebus præeſſent. (*d*) Quorum in judicando fides pretio erat addicta, & in quorum judiciis non ratio, ſed pecumia verſabatur, his capitale ſupplicium erat hac Tabula decunciatum. [*e*] Præterea nexis ex quacunque cauſa alteri deinde ſolutis: item *forti*, ſive qui ſemper in fide Populi Romani, ſteterat; & *ſanato*, ſive qui defecerat, deinde redierat in fidem, ejuſdem juris communio concedebatur. Quod & Athenis olim jus viguiſſe Plutarchus auctor eſt in Theſeo. Πάσι τοῖς πολίταις τὰ ἰσαῦτα.

In decimam Tabulam ſacrum jus conjectum fuerat. Et primum omnium juramentorum religio conſtituebatur, in qua omnia Romana inſtituta nitebantur. Deinde ſubnectebantur jura ſepulcrorum, omnia fere de Solonis petita legibus: veluti modus in ſumtibus quos Solon triduano decem hominum labore definierat [*f*] Idemque vetuerat, quemquam in urbe humari: unde & Romanis extra urbem locus ſepulturæ dabatur; quod jus Theodoſius [*g*] Conſtantinopoli ſervari voluit. Sumtuum quoque vitandorum gratia murratæ potionis adſperſionem, & ſervorum uncturam atque circumpotationem, & longas coronas, ſive quæ ſepulcris advolvebantur; [jam diu a ſervorum funeribus Solonis lege depulſas] & injectionem auri decima hæc Tabula ſuſtulit; nec plus tribus veſtibus quadratis, quas ricinias vocabant humari cum mortuo permittebat. Quod ductum fuerat e Solonis legibus: Μὴ τιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν.

Muliebres etiam ejulationes, & miſerabiles queſtus, lacerationemque genarum, & ploratus effuſos, quos *leſſum* vocabant, exemplo legum Atticarum abeſſe Decemviri voluerunt a funere. Spatium autem inter rogum buſtumque, & ædes alienas tantum LX. pedes probaverunt. Ut ne forum, ſive veſtibulum ſepulcri, & buſtum uſucapione occuparetur, æternam horum auctoritatem eſſe juſſerunt. (*g*)

Per adjectionem XI. Tabul. patribus cum plebe connubiis fuit interdictum: quodque poſtremum juſſiſſet Populus, antiquioribus prælatum legibus. Ex Tabul. XII. prohibita fuit rei litigioſæ conſecratio & dupli mulcta ferebatur in malæ fidei poſſeſſorem, tribus a Prætore rei definiendæ arbitris datis. [*i*] Servus, qui ſciente domino furtum fecerat, damnumve dederat, noxalis fiebat. (*k*) Atque hæc ferè ſunt germana XII. capita, quæ ex corruptis atque ſemeſis verbis collegit Gothofredus, qui ea hoc deſcripſit ordine. Præter hæc adducuntur ab auctoribus alia, non germana illa quidem, ſed vel commentitia, vel conjectura conficta, & ad veteres earum ſententias a priſcis ſcriptoribus proditas accommodata, de quibus in latioribus *Originum* libris, ſi vita ſuppetet, fuſe diſputabimus.

Pro-

(*a*) *L. ult. ff. de fin. regund.*
(*b*) *Leg. quinque pedes de fin. regund.*
(*b*) *L. ult. ff. de colleg.*
(*d*) *L. 2. §. 16. & 23. ff. de O. J.*
(*e*) *L. 5. C. Thedoſ. ad leg. Jul. repet.*

(*f*) *Late* Petit. *ad leg. Att. pag.* 496.
(*g*) *L. 6. C. Theodoſ. de ſepulcr. violat.*
(*k*) Cicer. *de leg.*
(*i*) Feſtus *in verb. Vind.*
(*b*) *L. 2. §. fin. ff. de nox. action.*

Propoſitis autem XII. Tabul. his quidem patebat omnibus, at uſus illius, & ratio, qua quiſque ſuum perſequeretur, a populo ignorabatur. Quamobrem inventi ſunt, qui leges redderent actuoſas, & tractandi juris inſtrumenta ex arcana diſciplina deprompta civibus miniſtrarent. Unde conſtituti ſunt a prudentibus certi quidam juris exercendi ritus, quorum ſolemniores legis actiones vocarunt, certiſque verborum conceptionibus, quas formulas appellabant, cujuſcunque contractus vim & actus omnes exceperunt. Romani enim a primo rudes, quicquid agerent, certis ſignis atque verbis mentem circumſcribebant; quaſi nihil ſatis expreſſum foret & conſtitutum, niſi certis ſignis & verbis eſſet adſtrictum & obligatum. Qua religione uſque eo tenebantur, ut nihil juſtum ratumque haberent, niſi quod ſuis eſſet ritibus expeditum. Unde (a) in ſponſalibus ferreum annulum dabant: in contrahendis nuptiis aquam & ignem adhibebant, ſine quibus non fuiſſe matrimonium, colligitur ex Scævola. (b) Putabant enim veteres, ut Varro (c) tradit, oriri ex aqua & igne vitam, iiſdemque foveri. Unde quem omni prorſus civili vita privabant, ei tanquam e vivis ſublato aqua & igni interdicebant.

Uxori domum deductæ, tanquam domina conſtitueretur, claves tradebantur: (d) repudiatæ, tanquam dominio ſpoliaretur, adimebantur. (e) Novum opus ſolemni jactu lapilli nunciabatur. Liberis emancipatis & ſervis manumiſſis colaphos infligebant, eoſque circumagebant; unde Perſius:

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama.

Uſucapionem, arboris ſurculum defringentes, interrumpebant: (f) quod uſurpare dicebatur. Solemnitatem, quæ ad mancipationes adhibebatur, ſupra demonſtravimus. In auctionibus, qui pluris liceret, digitum tollebat. [g] In heredis inſtitutione teſtator annulum heredi tradebat, (h] Pignori res dabantur contracto pugno: ex quo apparet, pignus eſſe proprie rei mobilis, quæ manu [i] traditur. Mandatum dabatur exporrecta manu. Hinc quaſi manus datio, *mandatum*. (k) Stipulabantur autem ſtipulam tenentes; fractamque redintegrantes, ſponſiones quiſque ſuas agnoſcebant. In hereditatis aditione digitos percutiebant, quod pluribus locis tradit Cujacius, idque videtur Cicero ſignificare, quum ait lib. *de offic. Si digitis concrepuerit, poſſit in locupletum teſtamenta nomen ejus irrepere.*

Hanc autem Pop. Rom. ſuperſtitionem in rem ſuam vertere prudentes, ac ſingulorum actus & voluntates ſibi devinxerunt, ſolemnibus verborum conceptionibus & formulis, quibus populum habebant obnoxium: cum nihil agere petereve liceret, niſi conſultis prudentibus, a quibus ratio & dies exercendi judicii erat eſflagitanda. Et quoniam ad exercitium legum & Juris miniſterium compoſitæ fuerant, actiones legis dictæ ſunt & actus legitimi, quibus jus civile XII. Tabulis affixum & conſignatum deferebatur in forum, & ex umbra in campum atque aciem perducebatur: eaque altera poſt XII. Tabul. juris civilis portio fuit. Erat videlicet in XII. Tabulis mentio manus conſertionis & mancipationis: horum autem ritus & formulas, ſicuti & cæterorum, prudentes excogitarunt, & in Pontificum condidere penetralibus. Pontifices enim non modo conſequentibus temporibus ſuſcepti ſunt e media Juriſprudentia; ſed initio reipublicæ auctores fuerunt atque cuſtodes juris civilis, cujus interpretatio e Pontificum collegio profluebat; quandoquidem eorum unus operam dabat juri privato civibus ſuis interpretando, cum reliqui religioni præeſſent. (l) Unde in eorum penetralibus legis actiones & formulæ compoſitæ a prudentibus aſſervabantur, antequam populo proderentur a Gn. Flavio, App. Claudii ſcriba, qui faſtos etiam propoſuit toto foro, ut pateret omnibus, quando lege agi poſſet. Quæ

(a) Hotom. *obſerv. lib.* 10. *cap.* 6.
(b) *L. penult. ff. de donat. inter. vir. & uxor.* Cujac. *lib* 11. *obſerv.* 2.
(c) *lib.* 4. *de ling. Latin. ubi* Joſeph. Scal. *Et notat.* Goth. *ad leg. penult. ff. de donat. inter vir. & uxor.*
(d) Plutarch. *in Problem.*
(e) Cicer. *Philipp.* 2.
(f) Cic. *lib.* 3. *de orat.*
(g) Cic. *in Verr.* 3. & 5.
(h) Valer. Max. *libr.* 7. *cap.* 9. Corn. Nep. *in Eumene.*
(i) *L.* 238. *ff. de V. S.*
(k) Iſidor. *lib.* 5. *Etym. cap.* 34.
(l) Cujac. *ad leg.* 2. *ff. de O. J. §. his legib.*

poſtquam ſunt evulgata, Juriſconſulti ad ſuum ingenium & vetus artificium redierunt, ac tum veteres, tum novas, quas condebant, formulas brevibus notis, ſive ſingulis, aut binis literis, integrum verbum deſignantibus contraxerunt. Conſequentibus enim temporibus alias fuiſſe pro negotiorum varietate ab iiſdem editas formulas, colligitur ex Valerio, (a) a quo accepimus, Triumviros proſcriptione ſua opes vel adimentes veris dominis, vel adjicientes alienis, impetrare non potuiſſe a Caſcellio Juriſconſulto, viro integerrimo, ut formulas componeret, quibus novas bonorum addictiones tueri poſſent ac ad juris civilis rationem accommodare. Formulas igitur, brevibus illis notis adſtrictas & obſignatas, cum nemo explicare poſſet, præter eorum auctores Juriſconſultos; hinc eos ſingulis civium negotiis intereſſe oportebat, nec quicquam ſine illorum auctoritate atque conſilio ſuſcipi conficique fas erat. Et quoniam ſingulis interpunctionibus & literis aucupandis irrepere facile poterat error aut dolus; ideo Conſtantinus, ut captiones recideret, formulas ſuſtulit. Omneſne ac in perpetuum, an potius cum contractæ atque obſcuratæ notis eſſent? Sane Conſtantinus tantum notarum captiones, non ipſas formulas reprehendit. [b] Ex quo Rævardus, contra quam interpretes ceteri cenſuerunt, colligit, manſiſſe illa, quæ integris productæ literis eſſent. Recte ille quidem, ſi oſtenderet alias exſtitiſſe formulas verbis deſcriptas integris. Quin ſi ſcribendi rationem tantum damnare Conſtantinus voluiſſet, juſſiſſet, ut ea involucra retexerentur, & priſcas formulas retinuiſſet. Illud ei dederim libens quod ait, cauſa cecidiſſe tantum eos, qui decepti formula vel plus petiiſſent, vel ineptam actionem inſtituiſſent, non autem eos, qui una lapſi eſſent litera, quod ab omnibus tamen traditum eſt interpretibus. Quo quid inhumanius, quid ab æquitate gravitateque legum Romanarum magis alienum? Potius igitur admiſerim, leges, quæ hac de re ſuperſunt, ita eſſe accipiendas, ut quum in eo verbo, in quo errabatur, diſcrimen inerat actionum; tum quia errans in litera ineptam actionem inſtituebat, ac tota errabat ratione judicii, eum a tota prorſus formula cecidiſſe putemus, atque ideo a cauſa. Inter actus vero legitimos & legis actiones aliquod diſcrimen Hotomannus notat, Cujacius nullum: qua de re tota inter eos, quamvis ſuppreſſis utrinque nominibus, eſt acerba contentio: (c) cum hic non modo actus legitimos & legis actiones una eademque definitione complectatur; ſed ne actus omnes, qui in judicio fiunt, actuum legitimorum nomine veniant, nonniſi eos, quos Juriſconſulti notarunt, admittit; ille contra, legis actiones privatis & magiſtratibus attribuat, actus vero legitimos privatis tantum: illas ex lege natas omnes faciat, hos etiam ſine lege inſtitutos: illas tantum inter præſentes, hos etiam per procuratores expediri contendat: cum Cujacius minime admittat, ullum actum legitimum jure antiquo potuiſſe mandari. Qua de re nos alibi latius.

Proprium igitur actuum legitimorum fuit, ut ſolemniter & quadam cum religione, ac in jure apud magiſtratus exercerentur eos, quibus legis actio data eſſet. (d) Unde apud magiſtratus municipales emancipationem fieri poſſe Paullus negat. *ſenten. 2. cap. 25.* niſi legis actionem haberent. Nec enim omnes magiſtratus eam habebant, neque competebat jure magiſtratus, unde neque mandata juriſdictione tranſibat. (e).

Proprium item eorum erat, ut per procuratorem non fierent, ut minime iterarentur, ut momento temporis perficerentur, ut diem & conditionem expreſſam reſpuerent; tacitam admitterent; veluti acceptilatio adjecta die vel conditione vitiatur, [f] facta vero de re, quæ ſub conditione debetur, valet, quavis eadem conditione promiſſionis tacite involvatur.

Hos porro Juriſconſultus actus legitimos enumerat, nempe aditionem, ſive cretionem hereditatis, mancipationem, acceptilationem, tutoris & libertatis dationem

(a) Rævard. *de auct. prud. cap.* 2.
(b) *L. 1. C. de form. & imperat.*
(c) Hotom. *obſerv. lib. 12. cap. 30. quæſt. illuſtr. cap.* 34. Cujac. *obſerv. lib. 15. c. 26. & ad leg. Actus legitimi, ff. de R. J.*
(d) *L. 4. ff. de adopt.*
(e) *L. 2. ff. de offic. Proconſ. L. nec mandante, ff. de tutor. & curator. L. nemo ff. de R. J.* Cujac. *ad leg. Actus legit. ff. de R. J.*
(f) *L. 4. & 5. ff. de acceptilat.*

nem, & ſervi aliuſve rei (*a*) optionem. Quibus ex auctoritate Ulpiani adjungenda eſt adoptio. (*b*)

At ut ſingula perſequamur, exordiemur ab aditione hereditatis, quam ex legibus XII. Tab. deſcendere, docet Cajus, (*c*) ſive ex teſtamento ſive ab inteſtato veniret hereditas; eaque vel ſola ſignificatione voluntatis per verba ſolemnia fiebat, vel cum cretione, quæ promiſcue pro aditione omni ſæpe accipitur, (*d*) atque fiebat centum diebus a Prætore ad deliberandum datis; qui ſi heredi vel recuſanti vel negligenti effluxiſſent, heres excidebat hereditate. Dies autem aliquando utiles a Prætore dabantur, veluti: *Titius heres eſto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus ſcieris poteriſque*. Eaque vulgaris cretio dicebatur, in qua heredi non currebant dies, niſi ſcienti aut minime impedito, vel dabantur continui, omiſſis verbis illis: *Quibus Scieris poteriſque*, in qua nempe ignorantia, nec impedimentum heredis dierum curſum (*e*) retardabat, eaque continua dicebatur. Ac in omni cretione teſtibus adhibitis hæc ſolemnia verba, quæ Varro retulit, proferebantur: (*f*) *Cum me Mævius heredem inſtituerit, eam hereditatem adeo cernoque*. Iſque cum fuerit actus legitimus, mandari alteri non poterat: ut mirer Duareno (*g*) viro doctiſſimo viſum fuiſſe, recte adiri per procuratorem hereditatem. Quod ſi privatis liceret, (*h*) quid magis hac in re tribueretur procuratori Cæſaris, cui præcipuum fuit, ut pro Cæſare adire poſſet (*i*) hereditatem? Nunc ad mancipationem progrediamur, cujus cum ritum ſupra in legibus XII. Tabul. expoſuerimus, nunc tamen ſupereſt exponendum genus illud mancipationis, quo cives Romani utebantur, quum de injuria, periculo, damnove declinando cogitabant. (*k*) Tum enim venditor ita rem cum emtore componebat, ut ad certum tempus cum uſus veniret, emtor rem eidem venditori redderet, præſtaretque talem, qualem acciperet. Et quia bona ſub ea fiducia mancipabantur, ideo genus hoc mancipationis *fiducia* fuit appellatum. [*l*] cujus hanc fuiſſe formulam cum graviſſimis ſcriptoribus exiſtimamus: *Ut ne propter te fraudemve tuam captus fraudatuſve ſim*. Ex quibus verbis doli judicium dabatur in eum, qui contra datam acceptamque fidem rem alteri mancipaſſet. Eaque formula deducebatur ex ampliſſima illa, quæ omnibus bonæ fidei judiciis cohærebat: *Ut inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione*. Atque in aliis bonæ fidei judiciis malam fidem, in hoc fractam fidem veteres vindicabant. Fiduciæ genus eſt & lex commiſſoria: ſiquidem, ut optime Cujacius, [*m*] fiducia eſt revendendi, aut redhibendi lex adjecta contractui.

Venditio quoque familiæ, quæ antiquo jure fiebat per æs & libram, utpote genus mancipationis, in actus legitimos eſt referenda. Initio ſane vel a militibus in procinctu, vel a paganis calatis comitiis, ſive populo ad ea vocato, pro collegio Pontificum, quorum in manu erat, ut ſupra diximus, jus civile teſtamenta conficiebantur. Qui ritus cum exoleviſſet, alia per Juriſconſultos prodita eſt ratio teſtandi per æs & libram, qua teſtamenti factio ad imaginariam mancipationem & verum nexum redigebatur. Nexum enim dicebant, quicquid per æs & libram geſtum eſſet. Igitur ad hoc teſtamentum adhibebantur quinque teſtes, & libripens, & teſtator, qui familiam vendebat, & is, qui emebat, ut alteri redderet hereditatem. Emptor enim familiæ, cum quo negotium gerebatur, nomen tantum heredis ſuſtinebat, bona capiebat alter, de quo inter emtorem & venditorem fuerat conſtitutum. Cumque veteres omne dominium per mancipationem transferrent, recte huic generi actuum legitimorum ſubjicietur mancipatio per æs & libram ex cauſa donationis, vel noxæ dationis, vel ſolutionis,

vel

(*a*) *L. actus legitimi, ff. de R. J.*
(*b*) *L. 1. ff. de offic. jurid.*
(*c*) *L. 1. ff de heredit. petit.*
(*d*) Cujac. *Parat. C. de jure delib. & ff. de Adquir. heredit.* Duaren. *ibid. L. Cretionum 17. C. de jure delib. & L. 4. Cod. Theodoſ. de bon. matern.*
(*e*) Ulpian. *tit. 23. ubi* Cujac. Rævard. *de auct. prud. tit. 3.* Hotom. *Illuſtr. quæſt. 34. & locis ſupra citatis*.
(*f*) *lib. 5. de ling. Latin.*
(*g*) Duaren. *diſput. lib. 2. cap. 27.*
(*h*) Cujac. *obſerv. lib. 2. cap. 34.*
(*i*) Rævard. *de auct. prud. cap. 5. L. 1. §. ult. ff. de offic. procur. Cæſar.*
(*k*) Boeth. *in Topic. Cic.* Liv. *lib. 32.*
(*l*) Rævard. *de auct. prud.*
(*m*) *ad lib. 3. Inſtitut. de le. it. agnat. tut. verb. Qui contracta fiduc.*

vel adoptionis, quæ per mancipationem fiebat, ut infra demonſtrabimus, vel cujuſque dominii translationis.

Sequitur acceptilatio, cujus hæc ſolemnia verba fuiſſe tradit Cujacius: (*b*) *Acceptum fers? acceptum fero*. Qua formula non aliæ obligationes tollebantur, quam illæ, quæ per ſtipulationem contractæ fuerant: id enim tantum ſolvi poteſt verbis, quod verbis fuit adſtrictum. (*c*) Hinc ut etiam obligationes, quæ res inductæ fuerant, abolerentur, formulam prodidit Cajus Aquilius; qua novatione facta, obligationes re contractas in contractum verborum, nempe in ſtipulationem, deduxit: quem verborum nexum oppoſitis verbis, nempe acceptilatione retexuit, ut, cum omnia verbis eſſent adſtricta, eadem verbis diſſolvi liceret. (*d*) Qua de acceptilatione loquitur Modeſtinus, (*e*) cujus verba non recte in communem acceptilationem convertit Tribonianus: (*f*) Nunc occurrit inter actus legitimos ſervi optio, eaque ſolemniter fiebat ex teſtamento: nec ſervi modo, ſed & rerum alienarum optio ſolemniter ex teſtamento facta, actibus legitimis adnumeretur. Tutoris datio duplex erat: altera ex teſtamento deſcendebat, quum teſtator certum hominem liberis tutorem deſignaverat: altera ex legibus XII. Tabul. fiebatque a magiſtratu ſolemni decreto, amicis pupilli & optimis viris rite arceſſitis, quorum magiſtratus putabat, quem pupillo utiliorem fore judicaſſet. Atque poſtrema, non illa ſuperior tutoris datio, actus legitimus erat. (*g*)

Manumiſſionis erant duo genera. Altera enim *Latina* dicebatur: *juſta* altera *libertas*. A Latina libertus vel ſuperbiens, ac ſuper conditionem ſuam exultans a domino ad priſtinam ſervitutem revocabatur, vel melius uſque de domino meritus ad juſtam, quæ adimi amplius non poterat, libertatem perducebatur. Itaque Latina libertas integra non erat, nec omnino a metu ſervitutis libera, eaque inſtituta fuit, ut libertus aut metu ſervitutis dominum obſervaret, aut ſpe plenioris libertatis gratiam captaret obſequiis.

Cum autem Latina libertas daretur vel inter amicos vel per epiſtolam vel ſervo adhibito ad convivia ſolemnia, quæ de more inter cognatos & affines ad diſcordias ſedandas & componendos animos agitabantur; [*h*] juſta vero libertas vel teſtamento concederetur, vel cenſu ſive profeſſione facultatem & nominis Romani a domino impoſiti apud Cenſores, vel denique vindicta poſtrema hæc dandæ libertatis ratio inter legis actiones actuſque legitimos recenſetur. (*i*)

Hæc enim una manumiſſio fiebat in jure apud Prætorem vel Conſulem Romæ, apud Præſidem vel Proconſulem in provinciis: apud quos dominus prenſo capite, vel alio ſervi membro, hæc ſolemnia verba proferebat: *Hunc hominem liberum eſſe volo*, ac eum deinde colapho impacto circumagebat, ut indicaret, eum, quo voluntas ferret, ire poſſe.

Prætor autem, audita juſta manumittendi cauſſa, ſive titulo manumiſſionis, [quo deducto in hoc manumiſſionis genere opus erat] atque impoſita capiti vindicta, domini verba ſolemni hac excipiebat formula: *Ajo te liberum eſſe jure Quiritium*. Ac libertatem adeptus, ſtatim abraſo capite capiebat pileum. [*k*] Nulla tamen manumiſſio tribum ſive jus ſuffragii tribuebat. Id enim olim nonniſi a Populo, poſtea tantum a Principe concedebatur. Civium enim Romanorum alii cum ſuffragio erant, alii ſine ſuffragio. [*l*] Ex quo intelligitur ſpecies, quam proponit Scævola de patrono, qui per heredem tribum [*m*] liberto emendam curaverat. Quæ vero manumiſſio cenſu fiebat, exolevit, ac ejus locum *manumiſſio in eccleſia* occupavit. Unde in locis, in quibus Cajus cenſus mentionem fecerat, eccleſiam fuiſſe a Triboniano ſubſtitutam, plerique arbitrantur.

Offert ſe nunc emancipatio. Qui modus eſt ſolvendæ patriæ poteſtatis, XII. Tabul. legibus inductus. Nam Romuli legibus, vel, quod Ulpiano placet, moribus Romanis, jus erat patri vitæ & necis in filio; ut deterioris conditionis eſſet ſervo

(*a*) Cujac. *ad L. actus legitimi*, *ff. de R. J.*
(*b*) *Tit. Cod. lib.* 8. *tit.* 43. *de acceptilat.*
(*c*) L. 8. §. *acceptum*, *ff. de acceptilat.*
(*d*) L. 18. *ff. de acceptilat.*
(*e*) L. 1. *ff. de acceptilat.*
(*f*) Hotom. *lib.* 8 *c.* 18. *obſ.* (*g*) Cujac. *in loc. cit.*

[*h*] Valer. Max. *l.* 2. Rævard. *de auct. prud. c.* 7.
(*i*) Cujac. *ad dict. l. Actus leg. ff. de R. J.*
(*k*) Plaut. *Amph.* Liv. *lib.* 24. Non. Marcell. Rævard. *loco cit.* [*l*] Liv. *lib.* 8. *lib.* 9. & *lib.* 38.
(*m*) *L. Patronus*, *ff. de leg.* 3. Cujac. *obſerv. lib.* 7. *cap.* 14.

ſervo filius, ſiquidem ſervus ſemel manumiſſus liber erat: filius a patre venditus ſi manumitteretur in patris poteſtatem relabebatur, nec ante liber erat, quam poſt ternam venditionem & ternam manumiſſionem. [a]

Hinc, ut filius de patria poteſtate aliquando exiret, excogitata eſt a prudentibus imaginaria venditio, quæ fiebat accitis quinque teſtibus, & libripende, adhibitoque ſeſtertio nummo (b) uno *dicis gratia*, ſive non vere, ſed ut dicere poſſent, emiſſe ſeſe; atque ita filius ter a patre naturali patri fiduciario venditus, atque ab hoc ter manumiſſus, deinde ſervi more circumductus, & colapho (c) percuſſus, libertatem aſſequebatur, cum filiæ ac nepotes ex filio ſuſcepti una emancipatione ſui juris fierent. [d]

Adoptionem quoque actibus legitimis Ulpianus adjungit. Docet enim potuiſſe apud Juridicum adoptionem fieri, quia data eſſet Judicio legis actio. Non autem adoptio quæ teſtamento fiebat actus legitimus erat; ſed illa, quæ apud magiſtratum vel populum peragebatur.

Siquidem aut filiusfamilias quis adoptabatur, aut homo ſui juris, quod genus adoptionis dicitur *adrogatio*: vel quia populus rogaretur, vel, ut Cajus putat, quia ille qui adoptat interrogatur, Utrum illum quem adoptat filium habere velit? & qui adoptatur, interrogatur, Utrum id fieri velit?

Porro cum filium-familias pater in adoptionem daret, eum adoptanti per æs & libram vendere ſimulabat: Emtus autem filius ſtatim ab emtore manumiſſus in priſtinam patris naturalis ſervitutem recidebat: eaque venditione iterum atque iterum a naturali patre repetita, & duplici manumiſſione ab adoptante facta, poſt tertiam denique mancipationem & duas manumiſſiones, in patris adoptivi poteſtatem filius deveniebat, ac in illius nomen, hereditatem & ſacra tranſibat. Sacra enim perpetuo infixa familiis pecuniam & hereditatem ſequebantur, ut, quo pecunia tenderet, eo ſacra pervenirent. [e] Nepos vero unica tantum venditione patris adoptivi familiam aſſequebatur. (f) Adrogatio ſive adoptio illius qui ſui juris erat fiebat Comitiis centuriatis, adoptionis (g) expoſita cauſſa, præſtitoque jurejurando, nullum ei rei dolum fraudemve ſubeſſe. Tantaque hujus actus erat ſolemnitas, ut ante cum Diis augures explorarentur, arbitris ſive auctoribus Pontificibus, quos ea gratia vocari Gutherus (h) & Rævardus (i) cenſuerunt, quod in adrogatione venirent jura ſacrorum, quorum Pontifices erant cuſtodes. Quæ mihi ratio minime probatur. Cur enim Pontifices non adhibebantur etiam in adoptione, quæ per æs & libram fiebat, qua & ſacrorum jura transferebantur? Quamobrem aut ſolemnitatis gratia vel religione quadam fuiſſe accitos dixerim, aut ignorantiam fateri maluerim, quam obtrudere pro veritate commentum. Porro [k] utrinque pater & filius a Pontificibus interrogabantur, ille an eum civem adoptare vellet, hic an auctor fieret, ſive an vellet in illius migrare familiam? ac, ſi auctor fieret, tum hæc ad populum verba dirigebantur: *Velitis, jubeatis, Quirites, uti L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius ſibi fiat, quam ſi ex eo patre matreque familias ejus natus eſſet: utique ei vitæ neciſque in eum poteſtas fiet, uti pariendo filio eſt. Hæc, ita ut dixi, vos Quirites rogo.* Hinc adrogationem fieri jure antiquo per populum (l) dicitur. Per populum quoque ad Antonini tempora fieri conſueviſſe palam facit Ulpianus. [m] Illud ex antiquo ritu fuit immutatum, ut, pro Pontificum auctoritate, Principis qui Pontificatum maximum gerebat interponeretur auctoritas. (n) Ut mirum ſit, cur Alciatus veterum rogationum morem ſub Principibus exoleviſſe [o] contendat, cum Neronis adoptionem cenſuiſſe patres, juſſiſſe populum Tacitus ſcribat. [p] Ceterum vete-

(a) Cujac. *ad ſentent.* Paull. *lib.* 2. *tit.* 25. Rævard. *ad leg.* XII. *Tab. cap.* 3. *ex Dionyſ.*
(b) Cujac. *obſerv. lib.* 10 *cap.* 37.
(c) Cujac. *parat. lib.* 8. *Cod. tit.* 48. Cajus *Inſtitut. lib.* 1. *tit.* 7.
(d) Ulpian. *tit.* 10. Cujac. *ibi*, & *ad Paull. lib.* 2. *ſentent.* 25.
(e) Guther. *de jure Pontif. lib.* 2. *cap.* 5.
(f) Cujac. *ad tit. Cod. de adopt.*
(g) Cicer. *pro domo ſua ad Pontif.* Gell. *l.* 5 *c.* 19.
(h) *de jure Pontif. lib.* 2. *cap.* 5.
(i) *de auct. prud. cap.* 6.
(k) Rævard. *de auct. prud. cap.* 6.
(l) *L.* 2. *in fin. C. de adopt.*
(m) *Tit.* 8.
(n) *L.* 2. *ff. de adopt.*
(o) *lib.* 9. *Parerg. cap.* 5.
(p) *lib.* 12. *annal.* Guther. *l.* 1. *de jure Pontif. c.* 5.

veteres adoptionis ſolemnitates tandem evanuerunt, & adoptio actibus publicis, adrogatio Principis reſcripto, peragitur. [a]

Actibus legitimis uſurpationem non Hotomannus modo, qui mirum quantum eorum numerum produxit, ſed & Rævardus etiam attexuit.

Uſurpatio [b] eſt interruptio & ſciſſura quædam uſucapionis, cujus curſum bona fide inſtitutum uſurpatio [c] ſiſtit. Non autem ſola defractione ſurculi, nec certa definitave ſolemnitate inducitur uſurpatio, ſed variis modis ex rei negotiive natura. Sane ſi fundi uſucapio fuiſſet interrumpenda, ſurculus defringebatur: & de hoc uſucapionis genere poſuit exemplum [d] Cicero, quo exemplo ductus Rævardus, uſurpationes univerſas hoc genere uno rituque concluſit? cum non modo ſine hac aliave ſolemnitate, ſed & ſine hominis opera uſucapio interrumpatur, & ipſo eventu inducatur uſurpatio. (e) Aquæductus enim uſucapio interrumpitur, ſive jus aquæ ducendæ uſurpatur, etiam ſi aquam ad priorem curſum nemo reducat; ſed ipſa domini rivum ſua ſponte repetat. Hinc uſurpationem ex actibus legitimis eximendam putavimus. Etenim actus legitimos per alium exercere minime poſſumus; recte tamen per alium uſucapionem interrumpimus: imo & ſine noſtra vel alicujus opera (f) uſurpamus. Ciceronis locus pro Cæcina, ubi ritus exponitur deductionis ex fundo quæ moribus fiebat, & Pomponius, [g] qui tradit Appium Claudium librum de legis actionibus & uſurpationibus reliquiſſe, Rævardum in eam fraudem impulere, ut uſurpationem actibus legitimis adjiciendam exiſtimaverit. Verum Ciceronis locus potius pertinet ad Edictum de vi quotidiana, quam ad uſurpationem. Et Pomponius, cum ait, Appium Claudium ſcripſiſſe librum de legis actionibus, vel, ut in emendatioribus codicibus legitur, *de actionibus & uſurpationibus*, uſurpationem a legis actionibus perſpicue diſcernit, ſiquidem nominatim uſurpationem diſtinxit, ac ex actuum legitimorum genere ſubduxit: ut miſcenda minime ſint aut conturbanda. Quos hactenus deſcripſimus actus legitimi ſignificantur a Juriſconſultis, ſine quorum auctoritate alios adjicere minime debemus, ne ultra modum propagentur; ut contractus omnes actuſque judicii cunctos legis actionum nomine comprehendere cogamur.

(a) Cujac. *parat. C. de adopt.*
(b) Cujac. *ad tit. Cod. de uſur. transform. & ad lib.* 54. Paull. *ad edict. l. 2. ff. de uſucap.*
(c) *L. 2. de uſurp. & uſucap.* (d) *lib 3. de orat.*
(e) *L. 12. ff. quemadm. ſerv. amit.*
(f) *L. 12. 13. 14 ff quemadm. ſerv. amit.* Cujac. *ad l. 2. ff. de uſurp. & uſucap.*
(g) *L. 2. §. 36. ff. de O. J.*

ORA-

ORATIO
PRO
ROMANIS LEGIBUS
AD MAGNUM MOSCHORUM REGEM. (*)

QUos honores Heroibus olim ſuis ingentium beneficiorum præmio tribuerat antiquitas, uberius tu, ſi religio ſineret, Potentiſſime Moſchorum Imperator, ſuſcepiſſes a Populis tuis, quibus juvandis & natura ipſa locorum, & mores gentium earum, & mortalium ceterorum opinio, in dies a te incredibili felicitate ſuperantur. Si enim vera e falſis evolvero, & e vetuſtis monumentis excitavero, tecumque commiſero, non fabuloſos illos Deos, ſed vera, & nativa exempla præſtantiſſimorum virorum, unde ſuorum nomina, umbraſque Deorum ad inſanos Populorum cultus Poetæ perduxerunt, certe benefactis illorum tua longo intervallo, tum difficultate rerum, tum immenſitate regionum, tum denique infinitate Populorum, antiſtare judicabuntur. Heroum enim & commentitiorum numinum germina ſeminaque fabularum ſurrexerunt ex rebus admirabilibus inter Afros potiſſimum geſtis apud quos fertur Uranus primus contemplator ſiderum cultorque po[illegible] (**) ac parens numeroſiſſimæ Titæa nuncupatur. Ex [illegible] matre norum ſtudiorum celebrior æmulator, ac ſeptem filiarum genitor fuit: inter quas Maja & Jove Saturni filio Mercurium peperit utiliſſimarum artium inventorem. Aliæ vero alias Deorum generationes ediderunt, & filiorum virtute meruerunt, ut ſideribus Plejadum omnes nomine a poſteris inſerentur. Aſt Atlantis frater alter Saturnus, procul Africa paternas artes & beneficientiam trahens, ad Siciliam ſe atque Italiam excolendam noſtroſque mores emendandos contulit, atque turres extruere urbeſque munire docuit, ſuſcepitque de conjugio Rheæ ſororis Jovem, qui terrarum peragrans orbem, & gentes, in quas incideret, ad humaniorem vitam uſumque utiliorum artium traducens, eam beneficiorum ſegetem protulit, ut pater ubique locorum appellatus non modo, gratia populorum & opibus fretus, patri regnum eripuerit, ſed poſt mortem in cœlo a ſtupore hominum locatus imperium in ceteros opinione mortalium occuparit. Oſiris porro Ægyptius, & ſoror Iſis, unde Bacchum ſuum, & Cererem Græci abſtulerunt, agrorum cultum & vini uſum, & frumentorum ſationem, & jungendorum armentorum artem tum finitimis, tum remotis etiam populis Indos ad uſque pandentes, & ipſi locum inter Deos invenerunt. Neque alia ratione [illegible] Joviſque progenies [illegible]rum uſum ut Mars, vel nuptiarum [illegible], ut

Jani Gravinæ. Tom. II. K Juno,

(*) De oratione hac nihil certum relatum legi. Quare ſine fraude mihi eſto, ſi qua a vero aberraverit conjectura mea. Peraverat igitur, credo, hanc orationem Auctor anno 1698. cum Petrus I. Moſchorum αυτοκράτωρ jam Viennæ ageret, & iter in Italiam moliretur, a quo tamen rebellione ſuorum revocatus eſt. Proinde etſi tertia abhinc pagina Petrus extremam jam Italiam pervagatus dicatur, tamen id ſola ſpe ſuſcipiendæ profectionis dictum putamus. Cum dein orationem per annos omnino novem preſſiſſet tandem impetrari a ſe paſſus eſt, ut ea Anno 1707. ederetur. Hunc enim annum præfert ſubſcriptio. Agit autem id Auctor, ut Petro ſuscipiendum primum uſum legum Romanarum, tum religionis Romano-Catholicæ perſuaderet. De utroque tamen argumento parce agit. Nam magna pars orationis ipſius Petri laudibus abſolvitur, tum quoque vituperio, in quod dilabitur, Turcarum.

[**] Malim tutorque populorum, ut pagina ſequenti.

Juno, vel ut Venus amatorios luſus, vel venationem ut Diana, vel ut Minerva lanificium, vel ut Vulcanus æris ferrique cudendi metallorumque ſolvendorum peritiam, vel melodiam & Poeſiam & Medicinam ut Apollo aperuerint, vel demum quod longinquis peregrinationibus expeditionibuſque ſuſceptis, immanitatem e moribus hominum evellerint, ſuiſque laboribus locorum & animorum aſperitatem edomuerint, ut monſtrorum, ſive vitiorum debellator Hercules Afer & ipſe, qui regionis illius in ora columnis impoſitis, terras, quas objerat, omnes Oceano ditterminavit. Hujus imitatores morum Græci duo, rebus quidem geſtis & virtute minores, verum ob recentiorum facinorum memoriam, Græcorumque Poetarum ſtudia notiores, illius & nomen ſibi & laudes uſurparunt: quorum alter bellica virtute florens ludos inſtituit Olympicos, alter, Imperio Euryſthei pluribus diſcriminibus ſuperatis, Lybici Herculis exemplo columnis extremum Europæ definivit.

Tu vero, quovis Hercule valentior, ferociſſimos inter Sarmatas, utcumque ante te recentioris diſciplinæ rudes a præcipuis & antiquioribus vaſtiſſimæ ditionis auctoribus exortus, cum vix dum in tuam tutelam veniſſes Populorum tutor creatus imperium ſuſcepiſti, diſcriminis inter Aſiam & Europam ignarum, impatienſque terreſtrium & maritimorum finium. Qua in fortuna ætatem prudentia, ingenio rerum uſum antevertens, vincendo dimicare per cædes & ſtrages hoſtium didiciſti; atque in Aſſoſi expugnatione ſub Germanis ducibus ad tua ſigna venientibus inter Cimmerias Mœoticaſque pugnas, interque triumphos palmaſque tuas novæ militiæ tyrocinia Populis tribuiſti. Talibus clarus præliis, non modo circumfuſis ditioni tuæ Scythis, a [illegible] Moſchorum imperium [illegible] batur, & [illegible] prædarum licentiam eripuiſti; ſed eoſdem agro multatos, ac ſuprema dominatione ſpoliatos adeo contriviſti, ut regna illa, quæ Moſchos civilibus diſcordiis fractos, vectigales fundos fore ſibi ſperabant, ad ingentia tributa compuleris. Illis vero imperio adjectis, & omnibus jam ad nominis tui terrorem terga vertentibus, per ignotos Europæ, Aſiæque ſeptentrionales tractus victrix potentia tua libere vagatur: neque alia potentia coercetur, niſi elementorum & naturæ, quæ abſumtis jam humanis viribus, nihil armis tus invenire potuit opponendum, niſi glacialem Oceanum & divinam ipſam voluntatem, quæ non patitur univerſitatem rerum a mortali poteſtate ſuperari.

Neque contentus armis debellare feritatem, victorias omnes in victarum etiam gentium commodum convertens, eam pacis artibus conaris extinguere. Quamobrem ſi, quos memoravimus, Dii delirantium antiquorum, quod per ſe invenerant, aut e natali ſolo traxerant, vel ampliarunt inter cives, vel exteris contribuerunt; tu non ſolum partam tuopte ingenio humanitatem proprioque Marte ſuborientem æquitatem ſeruiſti primus inter tuos; ſed ſupra majorum auſus, contraque mortalium omnium fidem perrupiſti ſolus regni leges inhoſpitales, ac diruiſti munimentum barbariæ, murumque illum dejeciſti, qui civilis ſtatus felicitatem a tuis Populis procul arcebat. Poſtquam autem diſcluſis tenebris lumen urbanitatis in tot nationes intromiſiſti, omnium ſtupore, invicta conſtantia, nihil veritus in abſentia tua perfidorum inſidias, quæ te celerius in regnum revocarunt, ut bona Populorum aliorum ducens ad tuos, nullo adhuc Moſchorum Regum exemplo longinquam adeo, latamque peregrinationem ſuſcepiſti, ut per Germaniam, Bataviam, Britanniam, extremamque Italiam pervagatus opes, ac theſauros omnes, ſive militaris artis, ſive doctrinæ ſyderum, & ventorum, ſive ſcientiæ naturalis, ſive Medicinæ, ſive Moralis Doctrinæ, ſive Linguarum, & Græcæ Latinæque Antiquitatis & Eloquentiæ, ac tandem quidquid [illegible] tuam bi elegantiæ perveniret, in regnum tuum transferres per peritiores doctrinarum artiumque præceptores, & rerum artifices; quos ingentibus præmiis conductos ad cultum populorum, & imperii tui gloriam tecum avexiſti, tanquam publicæ felicitatis miniſtros, brevi tecum triumphaturos de ignorantia, quæ Populis tuis pacis fructus, & proſperos bellorum exitus intercipiebat: adeo ut monſtra tanto plura tu ſuſtuleris, ac meliora pepereris, quam

Oſiris

Oſiris aliquis, aut Hercules, aut Saturnus, aut ipſe Jupiter, quando latiora, & munitiora erant in iſtarum vaſtitate regionum ignorantiæ, ac barbariæ latibula, & cubilia vitiorum, non in privatis tantummodo moribus, verum & in ipſis regni legibus publiciſque ritibus turpiter ad ætatem uſque tuam hærentium.

Quamobrem quæ olim ditiones ab ipſa creatione rerum omni literarum & bonarum artium communiſque commercii utilitate carebant, continuo te ad imperium veniente, ac de celeberrima peregrinatione brevi redeunte, ſuſceperunt quidquid præclarius ediderat Ægyptus, aluerat que Græcia, poſteaque ſuis ſub ſignis propagavere Romani, ac reliqui mortales ab Imperio Romanorum edocti ad hanc uſque diem excoluerunt. Unde populi olim naturali tantum fortitudine ferocientes, præcipitique fervore ingenii æſtuantes, arte vero utriuſque regendi communibuſque aliorum Populorum commodis uſque ab initio carentes, ope ſibi tua ætatum & omnium gentium bona brevi corripuerunt, ut voce una immutata, Imperium tuum jure ſibi, tibique illud elegantiſſimi Poetæ poſſit attribuere:

Hic Petrus poſuit quidquid ubique fuit.

O ſi vitalem [*] ſenſum tui, Naſo, cineres reciperent, minus certe flebiliter exilium tuum doleres, ubi per hunc aliquando non immanes illos inter ætatis tuæ Scythas, ſed plures inter Anacharſes locatum te invenires! Tuque, Iphigenia, tam cupide fugam e Tauris hoc fortaſſe tempore non molireris, cum non humanis victimis immolandis, ſed clementiſſimi Principis virtutibus in Poetarum & Oratorum cœtu conſecrandis te brevi præfuturam, atque ad mite regnum Thoantis tyrannidem nobiſcum una perventuram ſperares!

Atque hac una præquam ex omnibus, PETRE, cauſis naturæ ipſius conſilio, ac miniſterio Princeps videre creatus, quod non ſolum invenire propria, ſed convertere ad te noveris aliena, tamque præclara optione magiſtratuum, delectuque peritiorum in militari ac civili facultate hominum, per alios optime præſtes, quæcunque Princeps edere per ſe ipſum a regnandi occupatione prohibeatur. Cum enim Reſpublica ducibus, magiſtratibus, & morum artiumque rectoribus, rerumque arbitris plurimis indigeat; ſingulorum quidem perfunctio munerum privatis, eorum vero congrua convenienſque attributio, & cretio atque uſus idoneorum hominum illi unice ſeorſum a muneribus aliis convenit, cui regimen traditur univerſorum: ne, ſi Princeps magiſtratibus & muneribus aliis obeundis diſtrahatur, Reipublicæ regimen a civibus ipſo in rectore deſideretur.

Cum autem regium animum natura indueris, tanta clementia exundas, ut eam deflectere nequeas ab iis Populis, inter quos nihil Principi & Populis ipſis clementia periculoſius. Siquidem ii ſunt, ut, niſi pœnarum terrore conſervarentur, in propriam ultro perniciem ruerent. Hinc regnandi ſors omnium opinione feliciſſima, tibi tamen eo nomine accidit, acerba, quod nequeas abſque univerſorum detrimento placere ſingulis: ut, cum olim homicidæ cujuſdam vitæ peperciſſes, iſque novum ob homicidium carnifici traderetur, debueris tu publice propriam indulgentiam accuſare, quæ luce damnato reddenda, illius poſtea manu innocentem perdidiſſet: ideoque humanæ naturæ vitiis ingemiſcebas, quod inſontibus vitam non niſi ſontium cæde largiatur. Quæ tamen communis naturæ pravitas bonitatem fruſtra ſuperare conatur tuæ. Nam inde poſt paullo cuidam ex noſtratibus, dum ad ſupplicium raperetur, pœnam non modo naturalis, verum & civilis mortis condonaſti: utque animi ejus morbo medereris, hoc ſibi ceteriſque ſalubre monitum adjeciſti, dum ei gladium redderes: *Recipe*, inquiens, *gladium hunc, ut eo non in ſubjectos meos poſthac, ſed in hoſtes utaris*.

At ſi clementiam deponere cogeris in ulciſcendis injuriis alienis, omnem tamen eam large adhibes in remittendis tuis: utpote qui morſus lividorum cura ſcientiaque Principis indignos judices, & magnifice toleres, rideaſque maledicentiam Poetarum, quorum ais proprium eſſe vana jactare atque invenire falſa. Sed

(*) Proſopopœja elegans, elegantior tamen futura, ſi Tomi, quo relegatus erat Ovidius in ditione Ruſſorum eſſent. Tauri quoque, poſt amiſſum Azovium, Turcis parent.

quid miramur in te calumniarum tolerantiam, qui & inſidias conjunctorum non ſemel, præcipue dum abeſſes, contra ſalutem tuam in perpetuam calamitatem conſpirantium tanta magnitudine animi contemſeris, ut vix patefacta conjuratione oblivionem injuriarum nunciaveris, illique abs te timere deſierint, cum adhuc ab eis timendum tibi supereſſet, His tu virtutibus tanto ſupra tuum imperium ſublatus, quanto illud regna ſupergreditur aliorum, [*] jure damnas inanium ornamentorum & gemmarum faſtum: ſolumque Regum ornamentum & nitorem ducis egregiorum gloriam laudemque facinorum. Ideoque regias indutus veſtes ridere ſoles amentiam eorum, qui te ab illis magis admirantur: quaſi augendis rebus externis proprium quidquam hominis augeretur. Nec raro eas tibi exuens adſtantibus largiris, ut non tam oculi fulgore illarum, quam animi virtutum tuarum adſpectu percellantur: exemploque tuo doceantur proceres divitiarum uſum, atque intelligant, eas non eſſe utiles, niſi ad utilitatem deducantur aliorum, cum videant quæcunque ad voluptatem vulgo referuntur, aut ad ſtultorum admirationem, revocari abs te ad cultum exercitiumque liberalitatis: quo tantum nomine a ſapientibus opum bonorumque abundantia toleratur. Res nimirum homines, non illarum officio atque uſu, ſed ſua ipſorum opinione atque affectione propria æſtimantes, & fortunam in laudem ſuam ſtulte conferentes, non animadvertunt; quo ſuperbius ex opulentia & potentia efferuntur, eo vilius demittere metipſos, quando naturam humanam, qua nihil ſub cœlo ſublimius, rebus demittunt inſenſibilibus & caducis, quibus viliſſimus quiſque hominum divino judicio antecellit. Ideo tu, qui res creatas non communi æſtimatione metiris, ſed latitudine, atque ſublimitate animi tui, qui omnia expendit ab infinitate, non mirum ſi, Maximus cum ſis, cognatum tamen Moſchorum imperio Magni cognomentum averſeris, eo ceteris major, Magnique cognomine dignior, quod magnitudinem Deo tantum convenire profitearis. Unde tot gentium te victorem, non tam victoriis tuis admiramus, quam quod a tanta vaſtitate imperii minime vincaris, neque in opibus & fortuna, verum in earum contemtu præſtantiam hominis poſitam arbitreris.

Ecqua vero unquam in te animi elatio ab opum bonorumque affluentia, ſi nihil tuum judicas, niſi quod quotidianus vitæ uſus publicæ majeſtatis alimentum abſumit: cetera vero non tibi, ſed populis, ac publicis privatiſque neceſſitatibus a divina providentia in manu tua fuiſſe depoſita palam edicas; neque modo vigiliarum; atque curarum cenſum, ſed & regiarum opum vectigal ampliſſimum voluntaria lege populis tuis perpetuo pendas. Hinc ex te præclara illa vox, quando in militaribus ludis ducem agens, ac ſtipendium tui muneris accipiens, ajebas, eam unice pecuniam dominio tuo cedere, quæ propriis laboribus pararetur: nam publicam cura tantum, & cuſtodia teneri tua, uſu vero & mancipio eſſe populorum. O miram in tanta potentia æquitatem! O incredibilem continentiam in tam ætatis noſtræ libero more imperiorum! O ſententiam, quo minus familiarem regibus, eo magis neceſſariam, & regiis animis digniorem, quæ regibus populos, non regum, ſed populorum ipſorum cauſa ſubjectos docet: ut, ſi neque genus te, neque præclara facinora extuliſſent, multitudinem tamen iſtam regnorum ex hac unice ſententia meruiſſes! Quamobrem qui ſummam teneas regnandi artem, in contemplatione ſolius publicæ utilitatis cultuque juſtitiæ conſiſtentem, neque tam ab humano ingenio, quam a divino inſtituto prodeuntem, a cujus tantummodo uſu oritur ſalus, incrementum, & tranquillitas populorum; non abs re Ariſtotelis civilia præcepta & politicorum libros, a te in manibus familiaris tui nobiliſſimi ac doctiſſimi hominis inventos, inutiles autumabas ad Reipublicæ regimen iis, quorum animis alte inſideret, pri-

(*) Quare Joannes jam Baſilides non modo Imperatoribus par, ſed etiam ſuperior videri volebat. Cujus imagini pictæ A. 1551. hi verſus ſubſcripti leguntur apud Sigiſmundum Herberſtainum in *comment. rer. Moſchovit. pag. 13.* *Ruſſorum Rex & Dominus ſum, jure paterni Sanguinis; Imperii titulos a nemine, quovis Mercatus prece vel pretio: nec legibus ullis Subditus alterius, ſed Chriſto credulus uni Emendicatos aliis aſpernor honores.*

privatos quidem beate vivendi, rcteque obtemperandi cauſa induſtriam & fidem a Deo accepiſſe; Principes autem bene utiliterque regnandi artificem unice habere opem divinam (*) ad rectum virium & copiarum uſum. Juvenali vero, qui & apud eundem erat, maxime plaudebas, dum inde inter plures, quibus delectaris, ea tibi ſententia promebatur:

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano:
Fortem poſce animum.

Quem tu Poetam: & Græcos præſertim ſapientiæ magiſtros, una cum veteribus Eccleſiæ Patribus, in veſtram linguam convertendos aſſidue curas, ut illinc virtus flammæ inſtar prodiens, ac noxiam ſegetem vorans, per omne tuum imperium abſumendis vitiis late vulgetur; & inter hæc adoleſcens inclytus filius tuus unicus, univerſæ ſapientiæ præclarus alumnus, concentu tuorum populorum omnium, & conſenſu publico alacrius ad ſtudia feratur atque inflammetur ad tutelam &. propagationem literarum, quas infans adhuc & pene ab ubere nutricis exhauſit, quaſque omnibus in ſuis regnis inter ſcholas tuo juſſu inſtitutas ipſe ſecum adoleſcere jucunde videt. Juvenis excelſe, ac certe non tam copia ditionum, quam educatione paterna beatiſſime; per quam educationem non a regnorum tuorum titulis regiam ſcientiam didiciſti, ſed a præconiis literarum; non induendo ſed calcando veterum regum faſtu magnificentiam, animo vere regiam exſtruxiſti, neque fulgore gemmarum, quo involveris, & auro, quo regia veſtra coruſcat, ſed egregiæ indolis laude clareſcere conſueſti; per quam denique non æſtimatione vanaque opinione mortalis potentiæ, ſed cognitione rerum immortalium fuiſti ad ſummam potentiam inſtitutus, rectum illius uſum arripiens a parentis vita, quæ comperta tibi quotidie ſapientum documenta perpetuis reddit exemplis. Felix profecto juvenis, & felicia tecum regna, quæ patrem rebus geſtis, & ætate florentem diu retinebunt, & imaginem corporis animique paterni, paternamque gloriam per filium longo inde tempore conſervabunt, eamque auctam in dies plurimum videbunt bonarum artium incrementis, ac triumphorum numero, & nova ſemper prolatione terminorum.

Quod ſane Imperii tui, Magne Moſchorum Imperator, incrementum unice Moſchis pridem optandum, nunc, ut in proximum Helleſpontum incumbat, bonis & humanioribus omnibus eſt expetendum: qui Græciam, doctrinarum nutricem, non ſine frequenti profuſione lacrymarum hodie omni luce literarum orbatam, & immortalibus ab ſe partis opibus jamdiu ſpoliatam, atque in tenebras, unde alios extraxerat, alte demerſam intuentur. Eo ſi tuis armis recludetur iter literis, & patriis inventis illinc jamdiu exulantibus, Græcia bonas ad artes ibi reſtituendas novum ad ſe miſſum Orpheum admirabitur eiſdem ex Getarum finibus, unde vetus ille ad eas inter Græcos inſtituendas conceſſerat: quem propterea Thracem communi tum forſan Arcticarum regionum nomine appellarunt. Quid igitur tua virtute glorioſius, per quam effeceris, ut Moſcho de ſolo, unde immanitatem populi alii formidabant, nunc humanitas ab ipſis humanitatis auctoribus expectetur, & vetus gloria, colle ab Heliconio tamdiu aberrans, ætate noſtra in Riphæis montibus conſpiciatur?

Hanc autem præclaram ſpem nulla, quæ Græcis dominatur, armata barbaries nobis eripuerit. Oritur enim ea ſpes a te, cujus irritatur a difficulrate fortitudo, quæ non modo conjuratos domeſticorum, & externorum furores & inſidias toties preſſit atque refregit, verum & ipſam ventorum violentiam, Oceanique iram ſuperavit: quando, tempeſtate coorta, cum navis, quæ te vehebat, ſurſum ac deorſum provoluta undarum pene voraginibus hauriretur, inter lacrymas gemituſque tuorum procerum, poſtquam ſingulis animus concidiſſet, & ſalutis deſperatione clavum gubernator e manibus dimiſiſſet, unus tu in tanta turba-

[*] Quod benedictum Petri non temere probaveris. Etſi enim opis divinæ partes primæ ſunt, in omnibus rebus humanis, tamen Deus ἐμμέσως agere ſolitus eſt, ideoque nemo recte ſpreverit ſtudium Politices. Quanquam alias fatendum eſt, fuiſſe Principes, qui hoc ſtudio florerent & tamen infeliciter regnarent, uti Henricus III. apud Gallos, apud Brittannos Jacobus I.

batione hominum & naturæ immotus, & in communi pallore præfulgidus, gubernaculo repente arrepto, vocibus & exemplis exanimatos comites erigebas, ac dilabentes nautarum vires revocabas, ridebaſque timorem eorum, qui neſcirent cujus fortunam ſecum haberent: donec mare, veluti conſtantia tua domitum, cederet, relinqueretque tibi victoriam frementium & indignantium procellarum. Hac eadem te conſtantia tempeſtatem illam perdomiturum ſperamus, quæ proprio avertit e fonte literas, victoriiſque tuis confidimus, Græciæ clavum de manu barbariæ ad ſapientiam rediturum. Minus vero mirabimur fore, ut illorum frena populorum e poteſtate crudeliſſimi dominatoris ad te transferas aliquando, ſi eorum ingenia cum inſtitutionibus tuis, tyrannique illius ignaviam cum tua militari dignaque Rege vita componamus. Ingeniis ille imperat volubilibus & acutis, neque formidine ulla diu, ſed præſenti ſola, quoad incubuerit, ignorantia coercendis. Hanc ille ſibi tyrannidis arcem condidit inter inventores & præceptores doctrinarum populos. Hac violentiam tuetur, hac munit libidinem. Hanc adhibet adminiſtram ad obtundendos animos, & extinguendum ſenſum impoſitæ ſervitutis: quam vi olim ſubiit, nunc vero neſcia ſui ipſius quatuor jam ſecula ſolo ſtupore tolerat natio illa, quæ Perſarum ac totius Orientis vires in ſe irruentes exiguis militum copiis, aſt animis ingentibus, claſſeque modica, ſed audacia prorſus admirabili repreſſit primo, deinde diſſolvit, poſtremo ſub Macedonum ſignis dominatu ſuo per Aſſyrios, Medos, Perſas, Chaldæos, Ægyptios, Africæque partem, totamque Aſiam effuſo ita contrivit, ut non imperia tantum, ſed & nomina & linguas nationum deleverit aliarum.

His non multitudine, ſed robore, non opulentia, ſed ingeniorum præſtantia tam olim late dominantibus barbarus direptor non dominaretur; niſi ſublato prorſus literarum & mentis uſu eos obbruteſcere coegiſſet, ac lucem eripuiſſet, qua civilem vitam a captivitate, Regem a prædone, ſervitutem a libertate diſtinguerent. Neque alia ratione poterant conjunctim turpiter ſervire uni, quorum ſingulæ civitates & oppida per ſe regnabant, & opes atque vitam ſuorum contra potentioris regnum opponebant. Quo literarum exilio Græciæ depopulator, utcunque muniatur contra ſuos, injuriis tamen exponitur exterorum, utpote illis exarmatus artibus, quibus, ut Poetarum documentis utamur, Martem perpetuo Minerva ſuperat, quibuſque ſuperatus ipſe toties noſtris temporibus, & fuſus terra marique a Germanis, Polonis, & Venetis regna integra & exercitus numeroſiſſimos & rei militaris gloriam prorſus amiſit. Atque adeo ille immanitate ſua obſtupuit, ut non intelligat pœnas, quibus toto regno ſuo perſequitur literas, expetere in caput ipſius, non ſolum ex diſſolutione militaris & civilis diſciplinæ, quæ ſapientia & cognitione rerum continetur; ſed etiam quia, niſi alumna ſtudiorum ratio ad privatæ publicæque vitæ regimen admoveatur, ac virtute, rationis miniſtra, voluptatibus reſiſtatur, inter muliebres & enervatos populos mulieroſiſſimus & enervatiſſimus Princeps, Regni oblitus & ſui, levi negotio de imperii ac vitæ poſſeſſione deciderit. Quod atrociſſimus humanitatis hoſtis, niſi vellet conſulto deſipere, ſatis edoceretur a viciſſitudine ac fato imperii ſui, cujus prope cum Luna tyranni mutantur; quaſi ad hoc triſte auſpicium illud ſibi ſtemma ſuſceperint. Nam ex corruptiſſimo populo, gravioris cujuſque ſtudii prorſus oblito, inque ſola erapula & laſcivia exercitato, quando non crebri ex deſidia & egeſtate machinatores rerum novarum, veteriſque Principis inſidiatores, ut novi Regis largitionibus expleant cupiditatem & libidinem illam, in quam prioris domini beneficia jamdiu abſumſerunt? Quis vero non magis inflammetur ſpe recentioris commodi, quam timore cohibeatur illius, quem ſemper vidit e gynæceo prodeuntem, atque hinc cynædo, illinc muliercula nixum caſtra inviſentem, ſpadonumque agmen ducentem ante milites, bellaque ſua meretricum in gremio gerentem; & inter impudicos complexus aliorum pericula ex arce ſpectantem? Hunc ante in cubili ſuo a libidinibus, quam in acie ab hoſtibus profligatum, atque a propriis vitiis prædæ aliorum objectum, quem nos Latini adhuc nullo juris præſidio, nulla virtutis opinione, ſed populorum errore, noſtriſque di-

ſcor-

ſcordiis tam late regnare patimur, an diutius patiere tu; qui finibus illius terra marique immines, & voluptates pariter atque hoſtes debellare aſſuetus, contrariis ſtudiis educatus, Regem te præbes non affluentia deliciarum, ſed curarum gravitate, præſtantiaque operum atque conſiliorum; quique ne, ut ille, imperator eſſes antequam miles, neve, in pace omnibus imperans, in bello vel imperiis pareres alienis vel ea præciperes aliis, quæ ipſe ignorares, nos es veritus Majeſtatem ipſam ab ineunte ætate ſubjicere militari ſervitio. Cum nihil dignius exiſtimaveris pueritia dominatoris tantarum gentium, quam armatum tyrocinium & militiæ gradus: ut ad Regnum quidem hereditaria lege, ac deſiderio Populorum; ad imperium vero, & armorum arbitrium, commilitonis nomine ipſius jure cinguli, raroque fortitudinis experimento pervenires.

His tuis ex viribus, ingenti ſuorum clade huic latroni exploratis, quando proximis miſit opem Scythis, quando magis eum cohorruiſſe putemus, ubi te accepit in bellis Polonorum civilibus munitiſſimas hoſtibus urbes ac fertiliorem agri partem ademiſſe, tuoque vel ductu, vel auſpicio Moſchos milites tot in præliis, aut pugnando ſuperaſſe, aut ante vita quam loco ceſſiſſe, dum conſererent manus cum nationibus, ipſi diu quondam nomini Romani gravibus, poſtquam noſtris in caſtris militarem diſciplinam noſtrum in exitium arripuerunt; & nunc ubique adeo formidandis, ut inter tot certantium populorum potentiſſimos exercitus, quo ſe ſigna illorum verterint, eo allatura victoriam videantur? Quarum nationum [illegible] eſt, cla- [illegible], eo altius laus tua attollitur, qui adverſus gloriæ competitores adeo polles emineſque virtute, ut liceat audiente ipſo te, ſine fraude atque injuria, imo & lucro cum tuo laudare inimicos. Qualem te igitur fugam injecturam putamus imbelli Aſiæ prædatori, quando tantas copias taleſque milites, talibus in præliis exercitatos in eum commoveris, eodemque una coegeris tuarum gloriam & pondera victoriarum, contraque illius arma terrorem direxeris nominis tui, cujus vel ſolus rumor ganeonem illum impuriſſimum in concubinarum ulnis exanimaverit? Qui vero concurſus ad te fiet earum nationum, poſtquam tuus armorum fulgor ſolverit veternum illum, quo per tot ſæcula miſere occupantur? Quo plauſu effundentur ad te, poſtquam tuis e caſtris per noſtrates eruditionis Græcæ præceptores, liberos & præconia majorum extulerint? Quo fremitu & luctu preſentem Græciæ calamitatem execrabuntur, quando poſt agnitionem parentum & ſui ipſorum, veterum ejus nationis dominationem cum hodierno ſervitio, atque antiquorum cognitionem & acumen cum horum caligine comparaverint? Non talis Jaſon cum aurei velleris præda rediit ad illos, qualis eodem inſperato adveneris tu cum longe majoris precii vellere; nempe cum theſauro ſapientiæ; qui poſſeſſoribus ſuis vitam eam beatam tribuit eamque libertatem, quas ſtulti, dum ex auro petunt, cum longis uſque miſeriis, cumque ſervitute ac periculis, imo & ſæpe cum morte commutant. Nec tanta Theſeum gloria interemto Minotauro in patriam comitabatur, quanta Græciam per omnem ſequetur, circumfundetque te, qui monſtrum longe voracius longeque immanius e tot populorum viſceribus avelleris, ac tyrannum ſuſtuleris plurimo Europæ, atque Aſiæ, Africæque ſanguine ac tabo manantem. Eoque tu beneficientior eris Græciæ liberator, quam T. olim noſter Quinctius, quo turpiori, graviorique jugo eam ſubtraxeris: ut nos oporteat nomina tibi quærere majora, neque liberatorem tantum Græciæ te, ſed & inſtauratorem & parentem appellare: quandoquidem tuas per victorias ad majorum artes Græci redeuntes, & ingeniorum libertatem recuperantes, veteres quoque gloria & virtute illico refloreſcerent, non aliter ac ſalubres & fœcundi colles, poſt frigus nivemque diu toleratam, eamque vere novo reſolutam lætius opinione revireſcunt & ſegetem fundunt uberiorem: Itaque natio Græcorum, quorum in ingeniis optima quæque ſemina conduntur, novos quos regigneret ac redderet, Lycurgos, Solones, Pericles, Themiſtocles, Homeros, Pythagoras, Democritos, tibi deberet uni; qui fœtus eos, contra objectam ſervitutem animorum fruſtra enitentes, depulſa violentia, immiſſaque nativarum & cognatarum iis gentibus

bus artium luce, ad ortum exciveris, excelſamque mentium prolem vocibus noſtratium eruditorum ſuis velut e folliculis excluſeris. Quantoſcunque vero illi fructus ingeniorum longa ignorantia plurium æratum amiſiſſenr, eos idem penſares ru fœnore ingenri, quod illuc adduceres novorum inventorum, apud nos in dies prodeunrium, quibus cogitata veterum Græcorum: plurimaque ſagaci ab eis ratione proviſa ſcriptiſque prænunciata, hodie rerum experimentis & ſenſuum teſtimoniis comprobantur: adeo ut non modo ru veterum illis bonorum aſſertor; ſed & novorum viderere procreator.

Verum bona hæc omnia & utilitates, ſive militares, ſive civiles, ut ad alios e regno tuo deriventur, oportet eodem antea in Regno coaluerint, non moribus tantum, qui tempore ſenſim relaxantur, & hominum interitu dilabuntur; ſed etiam legibus, quibus hominum & ætatum variatio nibus occurratur. Nam fateor ſane nullarum eſſe virtutum leges niſi præſumantur animis Populorum, & præparentur uſu atque eo mitentur mores, quibus longe altius ac firmius, quam edictis & pœnis, in pectoribus hominum inſeruntur. Sed aquarum inſtar fluxi fuerint mores & caduci, niſi contineantur atque pangantur legibus, quæ actus inſtabiles, & opiniones variabiles ad certam juſtitiæ formam & communis utilitaris rationem revocantes, confuſoſque ſenſus & vagos in certos privatæ vitæ modos, publici que regiminis regulas conferentes, juris notam & majeſtatem publicam imprimant virtutibus armenique ſapientiam voce ac poteſtate populari: per quam ad voluntariam bonorum operum conſuetudinem vis civilis & legitima neceſſitas adjungatur, legibuſque perpetuerur, quidquid morum antea volubilitate ferebarur, atque ita leges moribus fundentur, & mores legibus muniantur. Prudentiſſime numque fabularum ſtructores eidem Numini frugum & legum inventionem attribuerunt, ad ſignificandum naturalis & civilis vitæ nexum; quarum illam frugibus, hanc legibus alendam docuerunt. Certam vero juſtitiæ formam a natura inſculptam animis noſtris, atque ab affectione prava occuparam extulerunt præceptis quidem ſuis Græci Philoſophi, & eorum legislatores Populis propoſuerunt, atque concluſerunt legibus iis, quas ad ſe ſimul cum civili omni Græcorum ſapientia Romani coegerunt; ſed quemadmodum omnia humanam ad utiliratem a Græcis inventa in melius Romani converterunr, ita & radicem ejuſdem utilitatis juſtitiam & legislationem univerſam, longe prudentius, & illuſtrius, ac felicius ab eis excultam invenimus. Etenim in Græeis civitatibus cum ipſis primis illis latoribus legum ſapientia civilis interibat, neque alia ſuperabat, niſi quæ inter acuras, nullius tamen uſus, controverſias in Philoſophorum ſcholis otiabarur. Er ſi quid emergeret, incertum an publica lege contineretur, id agirabatur ſubtilitate atque interpretatione diſſidentium inter ſe oratorum, leges utrinque trahentium ad cauſam ſuam: quod poſtea judicum prudentia ita definiebatur, ut adhuc tamen, ſi quid ſimile oriretur, in controverſiam venire oporteret, quia judicia ſingularum cauſarum non communes juris regulæ ſunt, ſed peculiares judiciæ opiniones: quæ nullam pariunt generalem definitionem in ulla controverſia, neque ad ſimile judicium jure ſuo pertinent, niſi nova judiciis voluntate recipiantur. Cum igitur negotia legibus generaliter comprehenderentur, multaque in dies e re nata offerrentur, non proviſa majoribus, quæ vagabantur extra legem eveniebat, ut plurima paterenr affectionibus humanis, & ſub magiſtratuum, & judicum libidine caderent. Præterea leges pariter atque humana omnia, longa die languent, & propter corruptæ naturæ repugnantiam uſuſque raritatem ſæpe ſqualleſcunt, velut ager, qui non exerceatur: [illegible], [illegible] cum legislatore ipſo legum cura, ſenſus eaſum [illegible] aſtutia turbabatur, & præſtigiis oratorum, aut ab ipſa vetuſtate abſumebabatur. Hinc Romani, Græcis longe prudenriores, aſſiduos cultores dederunr legibus, radices earum nutrituros ac ſapientia ſua irrigaturos, ut latius effunderentur. Hos appellarunt Juriſconſultos, quod illorum oracula de re quiſque ſua conſulerent. Quorum conſiliis, propter opinionem ſapientiæ atque alienarionem eorum a privatis ſtudiis, auctoritatem a lege ſecundam attribuit, antea quidem Populus diu, poſtea etiam Imperator; qui judices ipſos & magiſtra-

tus

ſtratus reſponſis addixit Juriſconſultorum, quos a germano ſenſu legis eruendo, publiceque promendo, neque promiſſa ulla merces, neque partium ſibi plerumque ignotarum amor aut odium deflectat; ſed potius ad ſolius veritatis & æqui bonique pronunciationem hortabatur cura propriæ dignitatis, expectatioque honorum, qui ſola integritatis opinione illis offerebantur: ut non mirum, ſi auctoritate fideque vel ſummis præſtiterint Oratoribus, &, propter merita explicatæ traditæque juſtitiæ, ipſos etiam exercituum duces & hoſtium victores vicerint apud cives in petitione Conſulatus. Hi autem, leges in fidem cuſtodiamque ſuam accipientes, ac ſe diuturno doctrinæ, atque integritatis experimento miniſtros & ſacerdotes earum populo præbentes, quidquid in Græcorum ſcholis, & in diſputationibus Philoſophorum ex uſu juſtitiæ & Romanæ civitatis invenirent, patriis judiciis adplicandum auferebant: ut, ibi, ubi cauſa deficeretur verbis legis, eo vel Dialectica ratione, vel moralis doctrinæ præceptis occurreretur; ubi vero lex obſervaretur aſperior, ibi regulis temperaretur æquitatis. Itaque ſcriptum jus, quando vel deeſſet, vel ex eventu publice noceret, a Juriſconſultis aut ex Philoſophia ſupplebatur, aut leniebatur utilitate communi. Vetuſtatis vero injuriam, quæ obſcurandis verbis & obliterandis moribus leges abduxiſſet ab intelligentia populari, notitia diſcrimineque temporum avertebant, & peritia formularum ac nativa proprietate verborum: quibus opibus aluerunt leges, artemque inſtituerunt, quæ ſenſum eis perennem vitamque clariorem redderet, quam Juriſprudentiam appellarunt, quamque ſeorſum a nationibus aliis primi ſolique invenere Romani; qui, ut alias artes ac doctrinas a Græcis acceperint, hanc certe ipſi unice protulerunt, ſibique habuere præcipuam & peculiarem, quæ utilitate atque dignitate adeo antecellit, ut cæteræ civili commercio eatenus dignentur, quatenus Juriſprudentiæ paruerint, quæ, utpote interpres legum, & lingua juſtitiæ, jure ſuo imperat ſcientiis & civilibus cunctis artibus, quarum ſine congruo modo, a Juriſprudentia ſtatuendo, & ſingulis perſonis ac rebus aptando, nulla in publica re foret utilitas. Quæ divina profecto ars tranquillitatem & concordiam creat cum in populo univerſo, dum publico juſtitiæ adſpectu perfruimur, tum in ſingulis civium animis, qui nulla opinione injuriarum exulcerantur, quando Juriſprudentiæ miniſterio naturalia & civilia juſtitiæ fœdera, nempe leges, apte adhibentur ad cauſas, conve nienterque perſonis & negotiis advolvuntur.

Juſtitiæ namque ſolius eſt pacare animos, & componere diſcordes affectiones, quæ ſicuti ſuſcitantur injuriis, ita juſtis reſponſis compeſcuntur, & allatis honeſtis cauſis omnino ſedantur. Quod a ſolis legibus, utpote generalibus, & abductis a ſingulis rebus, perſonis, & caſibus, minime aſſequeremur, niſi a juriſprudentia jus omne humanum, exculptum exemplis, confirmatum argumentis, concluſum regulis, diſtinctum exceptionibus, ac definitionibus expreſſum haberemus; atque ab eadem ſingulas conventionum, & voluntatum humanarum, civiliumque factorum ſpecies legibus prudentiaque digeſtas, & longis meditationibus excoctas acciperemus; ut quicunque affectionis expers acuta ratione, ac debita æquitate civilia & forenſia negotia perpenderit, propter inditam cuique juſtitiæ notionem ſuo Marte feratur in ſententiam Juriſconſultorum, qui pro cauſis & negotiis omnium ætatum ac gentium judicia protulerunt, dum affectioni omni vacarent, & jura poſterorum puris animis dirimerent atque librarent. Ideo longe tutius de rebus præſentibus mente aliena, quam propria judicabimus, eorum ſi ſcripta in conſilium vocare, ac potius mortuos, quam vivos, audire voluerimus.

Nec minorem illi juſtitiam in verbis, (*) quam

(*) Argumentum, quo leges Romanas commendat, triplex, primum quod juriſprudentia Romana præſtet ipſi etiam Græcæ, ſecundum, quod ſatius ſit in cauſis dijudicandis uti judicio ſapientum mortuorum, quam ſententia vivorum, tertium, quod Juriſconſulti veteres non minus nitore linguæ Latinæ & eruditione quam rerum ipſarum pondere commendentur, qua in parte admirabilis eſt illa cumulatio prædicatorum, qua legum Romanarum majeſtatem ſine luxu, faſtum ſine pompa, & reliqua commendat.

quam in rebus adhibuerunt, apte vocibus utentes, nativaſque ſedes illi attribuentes, Diiſque ipſis dignum orationis genus uſurpantes. Quo ſolo ſcribendi genere, non modo Juriſconſulti præſtant Latinis ceteris, verum & Latini antecellunt Græcis: qui ut omnia eloquentiæ genera & invenerint, & ad ſummum perduxerint, Juriſconſultorum tamen Romanorum ſicuti ſcientia, ita & ſtylo caruerunt. Habuerunt enim noſtri majeſtatem ſine luxu, faſtum ſine pompa, ſupercilium ſine ruſticitate, ſplendorem ſine fuco, ſine horrore vetuſtatem, parſimoniam ſine macie, ſine caligine brevitatem: ac præ ceteris melius elegantiam cum ſimplicitate, cum decore proprietatem, & oraculorum ſanctimoniam blanda cum perſpicuitate conjunxerunt. Quamobrem hæc ars una Græcorum legislatorum ſcientiam, Romanorumque prudentiam & gravitatem; prætereaque moralium Philoſophorum honeſtatem, Phyſicorum ſoliditatem, Dialecticorum acumen, grammaticorum eruditionem, & meliorum ſcriptorum elegantiam comprehendit. Hac ſola ex arte auxilia civibus, monita Prætoribus, mandata Præſidibus, conſilia Principibus proferebantur: ut merito quæcunque vel ipſi Juriſconſulti reſpondiſſent, vel edixiſſent Magiſtratus, vel privatis etiam in petitionibus reſcripſiſſent Imperatores, tranſierint in aſſiduam Juriſdictionem, ac vim acceperint parem primoribus legibus: deducebantur enim nativo e fonte juſtitiæ, ac moribus & auctoritate propagabantur illius populi, qui ſuam in civitatem ac nomen populos traduxerat univerſos. Cujus triumphi non tam victoribus, quam ipſis devictis gentibus profuerunt. Etenim Romani ut Imperium juſtis præliis partum æquitate conſervarent, æternoque tempore retinerent, non iam ſua, quam aliarum gentium cauſa imperarunt. Quippe qui non modo virtutum ſuarum commercio, & rerum geſtarum admiratione, ac nativa Italorum gravitate animos aliorum compoſuerint. Græcorum levitatem, Afrorum perfidiam, Syrorum ignaviam corrigentes, perque humaniores literas Arcticarum regionum barbariem auferentes; verum & leges & magiſtratus, & linguam, & Imperium, & ipſam denique patriam cum omni humano genere communicarint. Quapropter ſicuti multiplices ciborum ſpecies valentem ſtomachum ingredientes, ſalubres in humores ad totius corporis alimentum convertuntur, ita varia diſſimilium locorum & nationum ingenia, ſub hoc cœlo & ſub illa inſtitutione civilibus & militaribus rebus attemperata, exempliſque noſtris veluti complanata, in Romanos mores ad terrarum regimen transferebantur. Itaque ab hac civilis vitæ, ac divini humanique juris communione societatem omnium gentium conflaverunt, ut Romanum eſſet, quodcunque oculi viderent, & civitatem homines non a Latino ſolo acciperent, ſed a morum ac legum profeſſione Romanarum. Quo nomine majores noſtri Imperium crearunt omnium uti maximum, ita & juſtiſſimum, ſolaque volentia fortunæ, nullo vero nec diffidentium populorum, neque contrariorum fœderum; neque temporis aut oblivionis jure interiturum: quippe promiſcuum, nec Romanis modo, ſed univerſis gentibus paratum & utile; ut e re omnium fuerit manere perpetuo, quod ceterorum commodo haberetur inſtitutum. Quis enim populus, utcunque remotiſſimus, non imperabat in ea urbe, ubi Senatus & juriſdictio & ipſe denique Principatus patebant nationibus cunctis, quandocunque aut homines egregios, aut præſtantiſſimum civili, & militari virtute ducem Latinis populi obtuliſſent?

Quales Romanum tulit imperium plurimos. Etſi enim inter milites, ubi præcipue Senatus langueret auctoritas, ratio viribus obtemperaret, raro tamen quis ad Imperium attollebatur, niſi aut omnibus virtutibus, ut Nerva, Trajanus, Titus, Pertinax, Pius, Marcus, Alexander, Probus, Conſtantinus; aut fortitudine militari, ut Commodus, Caracalla, Maximianus, Decius, aut rerum geſtarum tali gloria, qua vitia obruerentur, ut Veſpaſianus, Adrianus, Severus, Aurelianus, Diocletianus, Julianus, aliique ceteris mortalibus præſtitiſſent. Et qui partim ſuis ſceleribus, partim offenſione ſcriptorum, inter monſtra hominum referuntur, aliqua tamen virtute adeo excelluerunt, ut ejus laudem

etiam

etiam apud poſteros in tanta vitiorum infamia conſervarint. Quis enim Tiberio doctior? Quis Nerone cultior? Quis Cajo eloquentior? Quis Domitiano ingenioſior? (*) quorum alter Oratores, alter Poetas omnes ævi ſui ſuperavit. Nam quid dicam de horum quatuor & ſimilium ſagacitate, magnificentia, liberalitate? adeo ut Romanorum Imperatores in priſcorum, quorum etiam facta vicerunt, Heroum virtutes, & vitia ſucceſſiſſe videantur. Cum enim non hereditario jure, ſed voluntate plerumque ac motu legionum aſcenderent ad regimen orbis terrarum; nemo tantam ambitionis & conſiliorum immenſitatem concepiſſet, niſi habuiſſet animum infinitæ dominationi æqualem, ideoque ſummarum pariter virtutum capacem & vitiorum. Nullus vero maximus animus, etſi vitioſiſſimus, abſque rerum optimarum ſeminibus, quæ inter opes & delicias corrumpuntur, quæque aliquando, ex ipſa corruptione per operas emicantia, perſtringunt aciem popularium ingeniorum, arbitria rerum tumultuario plerumque judicio, inconſulta cæcaque admiratione tribuentium. Tanti ergo ad Imperii gubernaculum, ſicuti mentes congruas motibus omnibus rerum humanarum, ita & leges univerſorum populorum rationibus convenientes oportuit adhibere: quæ ſcilicet naturæ communi hominum conſentirent, & civilibus negotiis quadrarent omnium regionum ac temporum. Unde non mirum, ſi populi, qui, abrupto communi hoc vinculo, ſibi proprios Reges crearunt, Romanas tamen minime dimiſerint leges, ne amitterent humanitatem, & regulas rationabilis vitæ. Quo magis iiſdem legibus, Magne Moſchorum Imperator, tibi receptis eſt opus, ac pacandos mores tot ac talium populorum, qui ſi bene indolem illorum didici, ſcientias facultateſque alias per te nuper ſibi patefactas in publicam & privatam fortaſſe perniciem traxerint, niſi beneficio quoque tuo Romanas leges, quæ rectum bonorum doceant uſum, aliquando accipiant, & complectantur Juriſprudentiam noſtram: quæ in civitatibus non opes modo regit, & jura cuiuſque tuetur; ſed imperat ſingulis ordinibus civium, & profeſſoribus doctrinarum, & magiſtratibus, aſſidetque Principibus, inter quos una & ſubjectos alit concordiam, dum officia præfinit, ac ſtatuit modos dominiorum, animiſque imprimit & commerciorum fidem, & contractuum auctoritatem, & magiſtratuum juriſdictionem, & Principum præcipue majeſtatem. Quo ſi ſtudio ingenia teneantur, & inter boni & æqui aſſiduo præcepta verſentur, ſenſim amittent feritatem eam, quam e moribus hominum nulla vis nullus carnifex excuſſerit; niſi per Juriſprudentiam cognitio juris, ac juſtitiæ perſuaſio metum pœnarum anteveneri t. Operum enim pravitatem pœnæ auferunt, non animorum: qui niſi ratione regenerentur, ſtatim noxias ad operas erumpent, quandocunque crimina vel celare fraudulenter, vel violenter munire licuerit.

Tuum vero, PETRE, regnum ſcimus quam varios diſcordeſque mores complectantur in tanto numero regionum, & volubilium ac ſeditioſarum gentium: quæ, antequam in hanc Imperii formam tua & majorum tuorum prudentia coaleſcerent, ſe invicem diu diſcerpſerant, mutuis cladibus prorſus perituræ; niſi dilaceratas provincias & membra divulſa collegiſſent, corpuſque de illis integrum compoſuiſſent arcelliti e Vareghis, (**) populis finitimis, Reipublicæ conſtituendæ Triumviri: quorum in auctoritatem & fidem ultro ſe dimicantes populi, ſuarum irarum & voluntariarum cladium pertæſi, tradiderunt; ut ſalutem, quam a ſe invicem impetrare non poterant, a poteſtate atque arbitrio acciperent alieno. Talium tu ingeniorum fervorem, atque mobilitatem nulla melius exercitatione continueris, quam ſtudio legum Romanarum, quibus ab impetu deducentur ad rationem, atque a rixis ad judicia transferentur, quæ majores noſtri præliorum loco ſubſtituerunt, ut res, quæ antea, non ſine frequenti cæde publicoque cum periculo per vim repetebantur, in poſterum non in acie, ſed in jure manu conſerta repoſcerentur, ac verum prælium

(*) Hic quoque locus adeo emicat, ut nobis parcere nequeamus, quin ipſum quoque fulgidula ſtella notemus.

(**) Accolis maris Balthici ad ſiniſtrum litus venientium e Ruſſia. Res ſeculo octavo, vel, ut alii malunt, nono contigiſſe fertur.

in imaginarium aliud feſtucarum conflictu imitatum converteretur. Legibus itaque his in Imperio tuo receptis eveniet, ut cives, vel in ſcholis de juſto & injuſto inter innumerabiles controverſias, vel in foro de jure quiſque ſuo per quotidianas diuturnaſque lites diſputantes, dum utiliſſimis quæſtionibus implicabuntur, a cogitationibus rerum novarum & motibus civilibus abſtrahantur; perque hanc ingeniorum ſalubrem longamque occupationem Principi ſecuritas, & civibus tranquillitas procreabitur.

Et quoniam Romanus civis non a natalibus, verum a legibus & moribus conſtituitur, ideo cum jure noſtro Romanam etiam civitatem per omne tuum imperium propagabis, noſque de Scythia, unde Radagaiſos, & Attilas extimuimus, novos Stilicones, & Aetios expectabimus. Quid vero tuis laudibus iſtiuſque imperii amplitudine dignius? quam ad regimen publicarum & privatarum rerum in conſilium tibi, ac tuis adhibere Solones, Numas, Craſſos, Brutos, Papinianos, Scævolas, Juſtinianos, totque alios ſive de Græcorum Sapientum, ſive de Romanorum Regum, Imperatorum, & Conſulum numero: quorum animus adhuc noſtris loquitur in legibus: quibus illi pari æquitate, parique omnium gentium admiratione, ac felicitate tuum quoque regnum adminiſtrarent, quibuſque propriam tu juſtitiam atque prudentiam ad poſteros tranſmitteres. Hac autem legum æquitate Romani longe amplius, quam triumphis ac præliis profecerunt. His enim innumerabiles quidem ex univerſo terrarum orbe palmas, caducas tamen & fragiles, collegerunt; illis vero præmium a Deo Optimo Maximo immortale ſibi meruerunt & infinitum, Religionis videlicet auctoritatem, & veritatem æternam concreditam fidei, ſapientiæ, ac probitati Romanorum: ut cœleſtis hic theſaurus in eorum animis velut in ſacrario receptus, & a fallaciis munitus latiſſima illorum dominatione populis traderetur univerſis; qui civilium negotiorum cauſa Romam convenientes, animorum ſalutem apud nos inveniebant, eamque ad ſuos redeuntes adducebant: adeo ut Romanis armis & legibus omnium rationum conventus divinitus videatur institutus, quo, ſicut humor e capite artus per omnes, ita Chriſtiana Religio ex una urbe, rerum humanarum & divinarum domina facilius & celerius in reliquum Imperii corpus ad cunctos populos diffunderetur. Hinc nexus communis Imperii, quo univerſorum hominum ſocietas continebatur, duplicatus mirabiliter fuit communione Religionis, quæ, cum profanam in ſacram auctoritatem convertiſſet, eam inermi Romæ tribuit immortalitatem, quam vana ſibi ſpe veteres ab armorum potentia pollicebantur. Habent enim Romæ ſacro ex hoc fœdere populi communia munera, communes dignitates, & ipſam ſupremam ſacrorum poteſtatem communem. Habent & civiles leges jure Pontificio munitas & explicatas, ut, quidquid præclari contineret Imperium, in Eccleſiam videamus eſſe translatum. Habent in conſpicuo rerum divinarum arbitrio judicii ſecuritatem ad controverſias dirimendas, ac tranquillandas animas, fruſtra pacem in privata ſua vel alterius auctoritate quærentes, & ad cohibendos civiles tumultus, quibus ex varietate Religionum regna quaſſantur, atque ad incertum vel popularem ſtatum revolvuntur, ſtatim ut unicus & ſummus Religionis interpres contemnatur. Habent poſtremo Romanæ auctoritatis cultores præter divina, quibus omnia ſubjacent, humana etiam bona, quorum ad culmen nihil profecto deeſſet, niſi deeſſes tu, cum quo deſunt plurima. Etenim per unum hominem terrarum novum Imperium, & Conſtantinum alterum acciperemus, ſi nobis complectendum dares te, non modo votis, verum & lacrymis omnium noſtrum vehementer expetitum, poſtquam tuo de beneficentiæ fonte haurire cœpimus, tuoque munere ſacris noſtris in ditione tua locum, & iter ad Sinas impetravimus. Quibus etiam ſacris tu ſi, Deo cœptis adſpirante, ſublimem in excelſo animo tuo ſedem præbueris, qualem ſparſeris lætitiam inter cœlites, qui virtutibus tuis plaudentes, & clam noſtris oculis in occurſum amplexumque tuum deſcendentes, floribuſque ſternentes humum tibi calcandam ad matrem communem animarum, novum filium cum tot regnorum comitatu venientem deducerent, præirentque in poſterum legiones turmaſque tuas Africam,

& A-

& Aſiam ſanctis, & felicibus auſpiciis noſtris ab impiæ dominationis, & æternæ damnationis calamitatibus liberaturas. Indeque te Trojano meliorem, & feliciorem Auguſto prædicaremus. Quod noſtris et Eccleſiæ univerſæ precibus annuat Deus.

Kalendis Majis MDCCVII.

ORATIO

DE JURISPRUDENTIA,

Ad Suos Juris Civilis Auditores.

DIvina Providentia, (*) qua univerſa ducuntur atque gubernantur, cum omnibus aperiatur eventis, tum duabus hiſce maximis humanarum rerum converſionibus mirabiliter ſeſe patefecit, diſperſione ſcilicet Judæorum atque fuga & victoriis Romanorum. Illis enim divini, at his humani juris inter mortales eſt ratio diſtributa. Judæi ſane patria profugi, quocunque terrarum penetrarent, cum divinæ ſecum legis arcana deferrent, commercio atque conſuetudine plurimarum gentium, ſcintillas divinarum notionum longe lateque diffuderunt: quibus etſi non omnes ante Chriſtum tenebræ ſolvebantur, tamen exceſſit e ſapientiorum animis multitudo Deorum, cultuſque illius abſurda ſuperſtitio deflagravit. Unde orta poſt Evangelii luce, cum in Apoſtolorum vocibus ubique pervolantibus Judæi patrum ſuorum vaticinia recognoſcerent, et exteri ſapientes præceptas Judæorum commercio notiones cum Apoſtolorum nunciis componerent; dum nova cum veteribus concurrebant, et Philoſophia cum Religione conſpirabat, univerſus terrarum orbis mira celeritate ad veri Numinis cultum exarſit. At humana ratio, e divina luce ſuſcepta, cujus dubius modo fulgor primorum parentum culpa ſuperfuit, morum barbarie, quæ ad omnes pene nationes veluti contactu proceſſerat, adeo langueſcebat, ut homines a belluis oratione magis, quam honeſtate ac moribus diſcernerentur. Sane Græcorum populus, non cultor modo ſed auctor atque inventor erat honeſtatis; verum quia ſuum auguſtos intra fines continuit Imperium, ſeipſum tantum publice, at exteros privata diſciplina Philoſophorum excoluit, minime vero nationes integras barbarie ſpoliavit; ſcilicet hanc Deus Optimus Maximus gloriam atque felicitatem Romanis reſervaverat, ut ſuis præliis condocefaceret genus humanum, genteſque ab ſe devictas non jugo premerent ſervitutis, ſed a ferinis moribus et ab immanitate ad veram libertatem, nempe ad honeſtatem et rationem, ſuis revocarent legibus, quibus tantum propagandis Populus Romanus felici victoriarum curſu, a divina providentia rerum humanarum arbitrium videtur accepiſſe. Non enim hominibus illi bellum indixere, ſed vitiis, atque, ut humanitatem homini redderent arma ſumpſerunt: cum ii, qui Romanis vivebant legibus, non tam victori populo parerent, quam Imperio rectæ rationis obtemperarent. Quamobrem ſubjectos illi ſuos raro nota ſervitutis inurebant, ſed honore amicitiæ atque ſociorum appellatione complectebantur: ſæpeque, illis a barbaris moribus ad Romanarum legum ſanctimoniam traductis, civitatem Romanam aperiebant & civilium honorum viam, quo intelligerent, non ſervos a Romanis tot bellis quæri, ſed comites atque conſortes honeſtæ vitæ, quæ a victorum legibus cunctis populis proferebatur. Quocunque igitur arma legeſque Romanorum incumberent, inde confeſtim iniquitas excedebat atque turpitudo.

Quemnam enim fugiunt impia filiorum & parentum apud Perſas conjugia, humanarum carnium epulæ apud Indos & Scythas, fratrum & ſororum nuptiæ apud cultiſſimos alioqui populorum Athenienſes, furtorum apud Lacedæmones licentia? Quis ignorat veterum Ger-

(*) Quemadmodum opuſculum primum librum ſecundum originum juris in compendio ſiſtebat, ſic hac oratione proponitur epitome earundem originum libri primi, adſperſis tamen quibuſdam novis, qualia fuerint commemoratio Jani Parraſii Conſentini, civis Gravinæ, p. 591., claſſis Juriſconſultorum ſemonum Deorum, *pag.* 593., & quæ ibidem de Antonio Auguſtino dicuntur: admonitio denique Theologorum, *pag.* 594. Exordium Auctoris de præſtantia Populi Romani in armis & legibus locum pedibus Auctoris ſæpe tritum aperit.

Germanorum feritatem, Gallorum truculentiam, Afrorum immanitatem, vel humanis victimis cædendis, vel fallenda fide, vel iniquis contractibus ineundis, vel obſcœnis, atque nefariis libidinibus exercendis, quæ flagitia, non vi, aut clam, ſed palam, ac rite ſuſcipiebantur? ea tamen omnia Romanis armis & legibus terga verterunt, ſuaſque ſecum abſtulere peſtes. Ita ut vincentibus Romanis non modo jus de injuria, fortitudo de ferocia, ſed humanitas de crudelitate, modeſtia de obſcœnitate, honeſtas de turpitudine; virtus denique de vitio & feritate triumpharet. Hinc D. Auguſtinus ait: *per Populum Romanum placuiſſe Deo terrarum orbem debellare, ut in unam ſocietatem Reipublicæ legumque perductum longe lateque pacaret*.

Optimis enim condendis legibus adeo Romani ſtuduere, ut dum victricibus armis provincias ingrederentur, ſi quæ illic honeſta inſtituta reperirent, in ſuas leges moreſque traducerent. Unde, ne alias attingam, Rhodiorum leges rei navali regendæ præ ceteris idoneas in civitatem acceperunt. Hinc jus civile non modo ex ingenita Romanis moribus probitate diſciplinaque ſapientum, ſed e melioribus gentium aliarum inſtitutis coactum fuit atque compoſitum, ut non tam unius populi jus exiſtimari debeat, quam honeſtas ipſa naturæ ſcriptis tradita, & communis ratio gentium univerſarum ad ſingulas, res, perſonas, eventuſque producta.

Hinc mirabilis illa Romanarum legum cum Moſaicis convenientia veteri JCto animadverſa: hinc liberarum etiam gentium in eas conſpiratio atque conſenſus. Hinc earundem etiam, cedente imperio, in univerſo prope terrarum orbe continuatio. Hinc jus civile, inundante barbarorum ferocia, ſolum illico vertit; barbarie vero abeunte, gradum revocavit, quo intelligamus, illud nonniſi cum probitate ac ſapientia cultuque bonarum artium coaleſcere. Quanquam enim quis Romanum Imperium ſibi excutiat, non tamen ſe unquam Romanis legibus exſolverit, niſi repudiet ſimul honeſte vivendi conditionem. Quiſquis enim recta ratione in ætate utetur, & honeſtatis anticipationem ad uſum civilis commercii deducat, per ſemet Romanis legibus conveniet; Romanuſque JCtus erit, quiſquis recte de moribus & juſtitia ratiocinetur. Romanum enim jus eſt honeſtas ipſa naturæ, quam exſculpſit e mentibus Philoſophia, Romanique mores pie ſancteque coluerunt. Nam, ne quid attingam de Romuli Tulliique legibus, certe Numa, qui propter ſapientiæ famam e Sabinis fuit ad Regnum evocatus, cum excelleret ipſe Græcorum Italicorum doctrina, duxit ex ea leges, quibus ferocientem populum demulſit & cicuravit: &, antequam in Græciam Romani legatos petitum leges mitterent, habebant in Italia præclaram Philoſophorum ſectam, unde morum diſciplinam tollerent. Ea erat Pythagoreorum Philoſophia, cujus inſtitutis omnis ea tenebatur Italiæ regio, ævo illo doctrina & omnium artium inventione atque elegantia præcellens, quæ, cum tota Græcis coloniis, moribus, & peregrinationibus celebraretur, Magna Græcia dicebatur. Ex qua cum in univerſam Italiam doctrina permanaret, tanta ſectæ illius apud poſteros manſit auctoritas, ut conturbato diſcrimine temporum, ii etiam, qui Pythagoram præceſſerant, Sapientes Pythagorei vocarentur; unde natum, ut Numa Pythagoreus haberetur, cum longo intervallo temporis Pythagoram antejerit. Fuit enim Pythagoras in Italia temporibus iiſdem, quibus Lucius Brutus Tarquinios Roma ejecit: qui error in mentes irrepſit, quia Pythagoreum nomen tanta erat auctoritate, ut non jam certæ ſectæ, ſed univerſæ ſapientiæ appellatio fuerit ac tota. Hac autem doctrina nequaquam crediderim caruiſſe Romanos, publicæ diſciplinæ recte inſtituendæ ſtudioſiſſimos, & in finitimorum ad Pythagoreos confluentium exemplis excitatos. Legati autem quærendis legibus miſſi, non modo Athenienſium & Lacedæmoniorum, ſed celebriorum omnium Græciæ atque Italiæ populorum leges deſcripſerunt, in quibus eminebant eæ, quas Magnæ Græciæ urbes a Pythagoreis acceperunt, quaſque etiam a tribus legatis fuiſſe deſcriptas, tradidit Servius in Virgilium.

Athenienſium autem leges, unde Decemviri potiorem juris Romani partem traxerunt, Draconem & Solonem, ut omnes norunt, auctores habuere, ſapientiſſimos illius æratis, qua ſtudia doctri-

narum

Digitized by Google

narum non ad inanem gloriam, ſed ad uſum Reipublicæ vertebantur. Leges vero Lacædemoniorum, cum ceteris Romam a legatis translatæ, manarent etiam a Philoſophia: quippe latæ a Lycurgo mortalium ſapientiſſimo, qui Homeri, ſapientum omnium parentis, atque magiſtri primus poemata vulgavit. Leges vero, e Grecia Romam relatæ, non modo Decemviros, qui prudentia potius & uſu rerum humanarum, quam literis valebant, & Græcum hominem habuerunt adminiſtrum, eumque doctiſſimum, qui auctor fuerat Romanis rogationis legum e Græcia petendarum. Hermodorus is fuit Epheſius qui tum in Italia exulabat, nullam aliam ob cauſam, ut Heraclitus apud Tullium tradit, a civibus ſuis expulſus, niſi ne quis inter eos eſſet, qui unus excelleret. Cum igitur jus noſtrum e Philoſophiæ ſinu defluxerit, ejuſdemque manu in Romano ſolo coaluerit, omniumque ſapientiam huc attraxerit; quid mirum, ſi a Cicerone XII. Tabulæ omnium Philoſophorum bibliothecis anteferantur? Quid enim eſt aliud jus Romanum, niſi ratio imperans, & armata ſapientia, ſententiæque Philoſophorum in publica juſſa converſæ? His autem jactis civilis Philoſophiæ fundamentis cohærebat optime, quidquid ſuper his exſtruebatur a Juriſconſultis, qui priſco ævo erant Pontifices, quorum e collegio, veluti ex tripode, reſponſa de jure proferebantur. Ac ſane hi non tam ratione atque ſcientia, quam æquitatæ nativa atque collatione ſimilium exemplorum, leges ad oblatas controverſias producebant, quod ſtudium appellabatur diſputatio fori, unde proceſſit priſca Juriſprudentia, quæ collectio erat atque complexio peculiarium quæſtionum atque diſſipatarum ſpecierum, quas vetuſtiores Juriſconſulti ex obſcura legum ſententia, per interpretationem eruta, definierant. Quo circa incondita erat initio Juriſprudentia & rudis, ut multis ac præcipue L. Craſſo deſiderium cieret juris civilis in artem redigendi; donec repertus eſt Ciceronis ævo, qui ad moralem Philoſophiam, quæ leges peperit, adjungeret rationalem qua Juriſprudentia deinceps tribueretur in ordinem, ac tandem in artem redigeretur; Servius is fuit Sulpitius, cultioris Juriſprudentiæ pater, qui Dialecticam e Græcia in Juriſconſultorum ſcholas advocavit.

Ea docuit ex pluribus ſimilibus in unum coactis conſtituere regulas, et ſingulas res ad ſua revocare genera; eaque rurſus in certas diſtribuere partes. Ea diſinitionibus Jus civile compoſuit, diſtinxitque diviſionibus, et ex conſtitutis antecedentibus conſequentia deduxit, rationemque tradidit, qua ignota ex notis eruerentur. Ea demum effecit, ut peritia in ſcientiam tranſiret, et uſus migraret in artem, quæque diſſipata erant vel confuſa, ſuam in ſedem quæque concederent. Quamobrem Philoſophia, quæ apud Græcos in otioſis controverſiis deliteſcebat, Romæ adhibebatur ad privatam utilitatem et publicam tranquillitatem explicandis legibus, et civium litibus privato Juriſconſultorum judicio ſopiendis. Tanta enim eorum erat auctoritas, ut ſæpe cives a contentionibus reſponſis ſuis avocarent. Unde merito M Tullius ex perſona L. Craſſi domum Jurisconſulti appellavit totius oraculum civitatis. Præter moralem et rationalem Philoſophiam Juriſprudentia ſociam ſibi atque adjutricem adhibuit eruditionem et notitiam vetuſtatis et priſcæ linguæ peritiam, quibus luminibus ſenſus veterum legum, novis moribus noviſque vocabulis mutatiſque ſignificationibus obſcurati, felicius evolverentur. Ex quo ſtudio ſcripta Juriſconſultorum non modo ſelectam, ac minime vulgarem eruditionem, ſed et mirum linguæ candorem imbiberunt, qualis vel cum aurea Ciceronis ætate contenderit; quam ingenitam juri civili eruditionem et ſcribendi nitorem diu poſt oppreſſam a barbaris Italiam exulantem princeps reduxit Alciatus. Hinc apud Gellium crebræ de proprietate vocabulorum, primæviſque ſignificationibus vetuſtiſque ritibus quæſtiones inter Juriſconſultos agitatæ.

Verum, ut orationem referamus ad Juriſconſultorum Philoſophiam, ſectam refert cognoſcere, ad quam illi potiſſimum ingenium appulerunt. Et quoniam jura vetuſtiorem originem traxerunt a Dracone Athenienſium legiſlatore, qui omnia fere delicta, quamvis imparia, æquali ſummoque ſupplicio plectebat; quod congruit

gruit ſententiæ Stoicorum, qui omnia peccata æqualia pronunciabant, quique ad honeſtatem omnia referebant, cunctaque ponebant in ſola virtute, quæ ſententiæ Romanis moribus virtutis amore flagrantibus facile adhæreſcebant, plurimumque conveniebant gravitati civilis doctrinæ: ideo univerſi fere Juriſconſulti ad Stoicam doctrinam confluxerunt, ejuſque ſectæ decretis rexerunt alueruntque Juriſprudentiam. Etenim Scævolarum familia, quæ propago fuit Juriſconſultorum, & Lucius Balbus, & M. Brutus, & quotquot fere ante Servium Sulpicium Juriſconſultis Græcas didicere literas a Stoicis fuerunt inſtituti, eorumque doctrinam Juriſprudentiæ contextam poſteritati tradiderunt. Ac ne ulla in re Juriſprudentia diſcreparet a Philoſophia, quæ mira ſectarum varietate diſtrahebatur, quamquam una Stoicorum ſecta Juriſprudentia contineretur, tamen ex Juriſconſultorum contentionibus etiam in jure civili ſunt facta divortia.

Duo enim Auguſti ævo claruerunt Juriſprudentiæ lumina Antiſtius Labeo, & Attejus Capito, doctrina pares, ingenio vero longe diſſimiles. Labeo enim hereditaria & nativa animi libertate, cum in omnibus fere vitæ actionibus, tum in definiendo ac reſpondendo nimis ingenio indulgebat, frenumque ſæpe numero mordebat: ita ut non modo veteribus Juriſconſultis opinionum novitate, ſed Auguſto etiam linguæ licentia contradiceret. Attejus vero & iis quæ ab antiquis tradita erant conſtanter hærebat, & in vitæ actionibus tempori ſerviebat. Principiſque gratiam ſemper veritate potiorem habebat: ita ut illius libertas eſſet aſperior, hujus aſſentatio pernicioſior: ille Principi, populo hic eſſet inviſus; ille ſpretis, hic vero adeptis honoribus clareſceret. Cum autem uterque ſe ad docendum ſæpe dediſſet, & juris ambiguitates contraria ratione dirimeret, atque in controverſiis alter ab altero diſcreparet; Atteji Capitonis doctrinam ejuſque in rebus dubiis opiniones complexus eſt Maſurius Sabinus, cujus diſcipuli Sabiniani ſunt appellati: Labeoni vero Nerva ſe adjunxit, Nervæ Proculus, a quo ſecta eſt orta Proculianorum. Itaque more Philoſophorum in variis juris articulis diu inter ſe Sabiniani & Proculiani confluxerunt uſque ad Julianum, Edicti perpetui compoſitorem: eos vero, qui erant ſub Papiniano, in illius ſententiam omnes arbitror fere conceſſiſſe. Cur enim dubitarint privati ſeſe Papiniano ſubiicere? cum Imperatores ipſi tantum ei tribuerint, ut ex ejus auctoritate Juris ambiguitates diſſolverent, & e diſcrepantibus Juriſconſultorum ſententiis eam præferrent, a qua Papiniani ſtetiſſet auctoritas. Quæ adeo invaluit, ut Juris audirores, qui primum ſtudiorum annum τοῖς πρώτοις, & Juſtiniano; alterum Edicto Prætorum dabant; tertium Papiniani libris occuparent, eoque ineunte feſtum diem Papiniano hilares celebrarent, & a Papiniani ſtudio Papinianiſtæ dicerentur. Ex hujus diſciplina prodierunt inter ceteros Julius Paullus, & Domitius Ulpianus; cujus tanta fuit in antiquitate veſtiganda ſedulitas, tanta de priſcis vocibus & originibus verborum atque primævis ſignificationibus anxietas, ut majorum ſtudio a minimis haud averteretur, & cum grammaticas quæſtiunculas aliquando importune ſuſcitaret, ſpinarum collector diceretur. & Greco vocabulo κατακατίς, quod ſæpe de literatoribus quæreret, exſtaret ne aliquod, an non exſtaret. Hic auditorem habuit Herennium Modeſtinum, in quo deſiit civilis Philoſophia. Is enim poſtremus ad Jus civile ſcientiam contulit, qui enim poſtea ſucceſſerunt, non tam ſcientia præſtitere, quam uſu, colligendis, præcidendis, atque digerendis veterum ſcriptis, quales, ut Tribonianum cum ſociis reticeam, fuerunt Hermogenianus, Gregorius, Leontius, Anatolius, Thalelæus, Salaminius, & qui ſub Imperatore Baſilio, ſive, ut aliqui opinantur, Leone, ut Juſtiniano gloriam compoſiti Juris eriperent, juſſu ſuorum Principum, e Juſtiniani libris interpolatis Græceque converſis, Baſilicorum libros condiderunt, quibus uſque ad Conſtantinopolis excidium Græci ſunt uſi, cum gloſſis Stephani Nicæi, Taddæi, Eudoxii & aliorum, qui προχειρῶ ac ſynopſi ſcribenda ſunt delectati, cujuſmodi eſt, quam Harmenopulus extulit, univerſi Juris epitome.

Italia vero primo a Gothis, deinde a Longobardis aliorumque barbarorum colluvie occupata, & priſca libertate Romaniſque moribus tandem exuta, non modo victricium ſuarum legum luce caruit,

ruit, ſed exoticus Longobardorum juribus diu obtemperavit, dominaque rerum humanarum leges accepit a ſervis & mancipiis quondam ſuis. Deletis autem Caroli Magni virtute Longobardis, legum barbariem ad Lotharium II. uſque retinuit, quo tempore in Amalphia libri Digeſtorum reperti, præmioque latæ opis adverſum Rogerium Piſanis traditi, poſteaque, capta Piſa, Florentiam tranſlati, Pandectarum Florentinarum nomen acceperunt. Fertur, autem conſtitutionum codex emerſiſſe Ravennæ, quo, ſimul cum ſumma Italici Imperii, legum etiam Imperialium incubuerat auctoritas, itaque reviviſcentibus Digeſtorum libris exarſere ſimul omnium ſtudia, cunctaque Italia ſuas ad leges recipiendas vulgandaſque converſa eſt, veluti ad imaginem veteris Imperii, atque ad monumentum priſtinæ libertatis. Erat eo tempore in comitatu Matildis Auguſtæ Juriſconſultus inſignis, Conſtantinopoli eruditus, Irnerius, quo adminiſtro maximis in rebus Lotharius utebatur. Is Imperatori auctor fuit Romani juris Edicto reſtituendi reducendique in academias & ſcholas, ut eo deinceps jure quacumque ipſius pateret Imperium, populi uterentur. Irnerius & ipſe jus civile Bononiæ ſibi ſumſit explicandum: quem poſtea exceperunt Bulgarus, Placentinus, Odofredus, Azo, & ejus diſcipulus Accurſius, qui non ſuos modo magiſtros (quorum tamen interpretationes adſcripſiſſe ſibi dicitur,) ſed omnes ante ſe cum Græcos, tum Latinos Juſtinianei juris interpretes, Cujacio judice, antecelluit, ab ipſo tandem Cujacio ſuperatus, a quo unico vinci optimum duco triumphum.

Atque hi cum diſcipulis corpus quidem Romani juris, involutum tenebris, quantum per obſcuritatem temporum licuit, detexerunt: mentem vero ipſam juris civilis, in Romanis antiquitatibus & ſaniori Philoſophia retruſam, evocare cœpit Andreas Alciatus, poſtquam Vallæ primum, deinde Politiani, & Jani Parrhaſii Conſentini vocibus excitata Latina, & Græca eruditio in patrium ſolum, ſimul cum priſca eloquentia & arte critica, remigravit. Alciatus enim a Jano Parrhaſio Græcis & Latinis literis inſtitutus, atque omnibus artibus elegantioribus excultus, primam extulit purioris Juriſprudentiæ facem, qua non modo Italiam, ſed Galliam illuminavit univerſam, quo conſueta civium invidia ſtomachatus, & ampliſſimis præmiis a Franciſco I. allectus, ad docendum in Bituricenſi ſchola jus civile conceſſit. Eo, ut ſunt Gallorum ingenia cupida rerum novarum, pronaque ad meliora pro vetuſtioribus capeſſenda, e regione univerſa ſummo ſtudio ad Alciatum concurrebatur. A quo juventus excitata tantum brevi promoverunt, ut integram nobis perfectamque reddiderint Juriſprudentiam. Itaque acceptam olim humanitatem ab Italis Galli, jure civili reſtituendo rependerunt. Vel unus enim Cujacius non omnes tantum interpretes vicerit, ſed ipſos pene dixerim veteres conditores provocaverit. Jactis autem ab Alciato ſeminibus, læta continuo ſeges civilis doctrinæ ex ingeniorum alacritate ac ſtudiorum aſſiduitate pullulavit, auditusque eſt in Gallia mirus concentus Juriſconſultorum, erudite interpretantium, & inter ſe de doctrina contendentium, quorum plerique a munificentia regia Biturigibus juventuti erudiendæ ingenti mercede conducebantur. Docebat etiam Avenione laude haud vulgari Æmilius Ferrettus Etruſcus, cujus in diſciplinam ſeſe tradidit Antonius Goveanus Luſitanus, vir in explicando jure civili tam acutus atque perſpicuus, & ſimul parcus, ut, ſi ſeriam huic ſcientiæ operam navare voluiſſet, neque paucis titulis explicatis exiguiſque variarum lectionum libris contentus fuiſſet, ne Cujacio quidem, ut ipſemet fatetur, in jure civili reliquiſſet locum.

Extulit eadem ætas Franciſcum Hottomannum, qui Tullianam ſcribendi venam attulit ad jus civile, eique reddidit Romanæ hiſtoriæ lucem, veteriſque Juriſprudentiæ cunabula eruit e Ciceronis libris, ubi recondebatur. Hic ſemel atque iterum vocatus, ut Biturigibus jus civile doceret, indeque factionibus ejectus, jactatuſque civilibus odiis, diu cum uxore ac liberis profugus & errabundus, attrita re familiari direptaque inſigni bibliotheca, Deo vindici deſertæ Religionis pœnas dedit. Novæ enim hæreſis ab eo ſuſceptæ perfidia omnem illi ſtudiorum fructum & gloriam abſtulit. Æmulatione doctrinæ graves geſſit cum Jacobo Cujacio ſimultates, quem in aliquibus libris non obſcure

ſcure carpit, cujuſque ingenii ſupra ceteros præſtantia ſimul ut eluxit, omnium Galliæ Juriſconſultorum invidiam laceſſivit. Hottomannus vero quanquam palam Cujacio detrahebat, tantum tamen ei tacito judicio tribuit, ut filio natu maximo in mandatis dederit, ne Davidis Pſalmos & Cujacii paratitla e manibus unquam deponeret: Hugonem Donellum, qui & ipſe Biturigibus magna laude docuit, jurique civili in artem redigendo haud infeliciter vacavit, ſocium habuit ſtudiorum & fortunæ, quem etiam ſcelus mutatæ Religionis diu agitavit.

Summa vero celebritate Biturigibus jus Romanorum expoſuit Duarenus, pari eruditione atque ſcientia, qui, etſi noſtratibus interpretibus fuerit iniquior, ſæpe tamen, quorum contemnit barbariem, arripuit doctrinam, cui ſuperfuſa ſermonis elegantia eſſet, ut faciem ſimul mutaret & dominum. Franciſcus etiam Balduinus in Bituricenſi ſchola eadem ætate docuit, egregiamque veteri Juriſprudentiæ revocandæ operam præſtitit, poſteaque ſe ad Germaniæ ſcholas erudiendas contulit, Tullianamque Juriſprudentiam e Ciceronis libris prolaturum ſe ſperabat, ſi otium aliquando in vita nactus eſſet. Eguinarius Baro, etſi non acutiſſimus in explicando, tamen ſtudioſus erat antiquitatis. Nec prorſus Connani ſtudium fuit inutile, qui ex uberioribus juris civilis locis ordine ſuo diſpoſitis commentarios contexit. De quo erudito alioqui viro Cujacius cujus integritatem judicii nullum unquam, neque odium, neque gratia flexit, *Connanus*, inquit, *doctiſſimus quidem vir*, *ſed non juris*. *Corrumpit judicium*, *& tempus perdit*, *qui illud in ejus commentariis ponit*. Humanius tamen velim de tanto viro.

Verum hos, atque alios ejuſdem inſtituti Juriſconſultos, poſt laceratum Romanorum Imperium eruditiſſimos, Jacobus tamen Cujacius perſtrinxit, & occupavit *ſtella exortus uti æthereus Sol.* Ornarunt enim alii atque explicarunt: hic vero peperit denuo Juriſprudentiam e Cujacii mente, velut Minervam e Jovis cerebro editam. Totidem enim ille Juriſconſultos expreſſit, quot ſibi ſuſcepit explicandos, ita ut in uno Cujacio Papinianum, Paullum, Scævolam, Ulpianum, Africanum, Modeſtinum ſimul cum ſua quemque dicendi forma revixiſſe crederes. Cogitando enim atque ſcribendo adeo refert mentes animoſque veterum, ut non collecta longo ſtudio, ſed ab ipſo primum omnis cum Juriſprudentia divinitus concepta videatur antiquitas. Imminentem omnibus Cujacii gloriam præſenſere ſui temporis Juriſconſulti, ac præcipue Duarenus & Donellus eum in Bituricenſi Academia Balduini loco adſcitum iniquiſſime tulerunt, ita ut ex diſcipulorum factionibus tumultus orirentur, quos Cujacius, feſſus æmulorum inſidiis, diſceſſu ſuo compoſuit. Quæ invidia mire ſtudiorum ei curam exacuit, itaque ſæpe prædicabat, Duareni ſtimulis acceptum ferre ſeſe quidquid in Juriſprudentia profeciſſet. Philologos & Hiſtoricos veteres nunquam a Juriſprudentia diſtraxit: eorum enim ſtudio, tanquam hamo, ſe in jure civili piſcari dicebat.

Sane qui Philologiam exiſtimet a Juriſprudentia poſſe divelli, idem petierit, ut navis communis cum ſocio dividatur. Verum ex omnibus Cujacii laudibus hanc duco maximam, quod Romanæ Religionis fuit in tanta Galliæ fluctuatione tenaciſſimus. Cujacio quem proprius collocem, habeo neminem præter Jacobum Gothofredum, Antonium Fabrum, & Barnabam Briſſonium. Is, ab adoleſcentia defendendis cauſis & forenſibus judiciis deditus, tamen iis temporum intervallis, quæ relaxandis animis vacant, adeo ſibi erat avarus otii, ut e medio forenſium occupationum pelago ad non minus laborioſum antiquæ Juriſprudentiæ ſtudium, velut in portum ſeſe referret. Itaque præter abſtruſa legum vocabula, parteſque alias juris veteris in lucem prolatas, ritus omnes atque ſolemniores verborum formulas, quibus civile ac ſacrum Romanorum commercium irretiebatur, ex infinita varietate ſcriptorum, obſcuriſque ambagibus mirabiliter extricavit, ita ut ſermonis elegantiam pluribus, huic vero uni ſacram atque ſolemnem Latinæ linguæ ſupellectilem debeamus.

Atque hos, initio ab Alciato facto, liceat mihi vocare majorum gentium Juriſconſultos, inter quos Cujacius omnium ætatum judicio ſummus erit Juppiter. Quid nunc vero commemorem Semones Deos, Dionyſium nempe Gothofredum, Petrum Fabrum, Rævardum, Corraſium;

Cocceium, Merillum, Maranum, Robertum, Charondam, Zaſium, alioſque numero potius illis majores, quam doctrina pares?

Non tamen adeo Italiæ vetit male, ut omnis cum Alciato ſuo Juriſprudentia in alienas terras commigrarit. Nam dum hic ei quieto vivere licuit ac Bononiæ juventutem erudire, plures peperit ſelectioris doctrinæ Juriſconſultos, etſi neminem prorſus cum Cujacio comparandum. Excelluit autem in primis Antonius Auguſtinus, qui ortum quidem ad Hiſpania traxit, doctrinam vero & gloriam ab Italia. Quam autem Bononiæ ſub Alciato ſcientiam auxit, adduxit in forum Romanum, ubi inter duodecim viros litibus judicandis, quos Rotæ Auditores appellant, a Pontifice lectus, collegium doctrina celeberrimum auxit ipſe nova ingentique gloria. Nec enim civile modo jus profanum, ſed & ſacrum atque omnem prope Romanam antiquitatem emendavit. Nec doctrinarum tantum, ſed morum etiam eluendis maculis natum diceres: tanto ardore atque ſpiritu in Tridentino Concilio adverſus temporum corruptelam pro priſca Patrum diſciplina dimicavit.

Poſtremo haud mihi reticebitur Guidus Pancirolus, illuſtriorum ſcholarum in Italia magiſter eximius, qui cultiori Juriſprudentiæ univerſæ antiquitatis notitiam erudítiſſimis libris comprehenſam attexuit.

Cum igitur, ut brevi narratione oſtendimus, Juriſprudentiæ Philoſophia incunabula dederit, eique lucem a barbarie ademtam reddiderit eruditio; ecquis juris civilis ſtudium faſtidierit, ut inconditum & rude, aut perfectam eruditionem ſine juris civilis cognitione ſibi aſſumſerit? Quid enim eruditius eſſe poteſt ea ſcientia, quæ cum arcanis Latinæ linguæ, cum antiquiſſimis Græcorum & Romanorum moribus reconditaque hiſtoria & exquiſita ratione temporum adglutinata eſt atque permiſta? Et quoniam pro variis Imperii converſionibus Juriſprudentia mutavit adſpectum, ut e ſingularum ætatum legibus recta ſententia colligi poſſit, eaque trahi ad ſimilia; mores illarum ætatum, regimen, magiſtratus, profani ſacrique ritus, & ſolemnia diſtinguenda ſunt atque notanda. Nam neque Decemvirorum ætas, qua utimur ad interpretationem legum XII. tabul. ſuffecerit explicandis poſterioribus Plebiſcitis, aut Senatuſconſultis, aut Prætorum Edictis, quorum temporibus aucta multitudine jus cæpit eſſe remiſſius atque benignius, quo facilius ad tantam ingeniorum atque morum varietatem flecteretur: neque libertatis tempora ſatis fuerint explicandis Principum conſtitutionibus, quibus novi magiſtratus, nova munera, novique ritus novis vocabulis exprimuntur. Quid de varietate negotiorum dicam, quæ varietatem peperit vocum? quarum ſenſum ſi abſque Philologia veſtigabimus perinde fuerit, ac ſi conemur ſine remis veliſque navigare. Cum autem tanta eruditio juri civili advolvatur, poteritne, qui legum ſtudia contemnit, ea eruditione non carere, aut qui ea eruditione caret, ſatis eruditum ſeſe gloriari? Quid? Oratores poteruntne ſine fraude Juriſconſultorum lectione abſtinere, quorum libri mira majeſtate atque ſplendore collucent? Quid enim dicam de Latinitatis candore poſteriori ætate neglecto fere ab omnibus & peregrina labe corrupto, a ſolis autem Juriſconſultis ad exemplum ætatis aureæ revocato? Quid commemorem Demoſtheneam eorum ſtili vim atque frugalitatem? Quid felicitatem prope Tullianam? Quid reſpondendi gravitatem Delphica tripode plane dignam? Philoſophi vero ſi juſti, atque injuſti cognitionem generatim ſuſceptam ſingulis perſonis certiſque negotiis & eventis definite velint adhibere, poteruntne ab aliis dirigi, quam a JCtis, non verbo, ſed re atque uſu, Philoſophis, quorum reſponſis communis vitæ officia ſingillatim & enucleate deſcribuntur, & juſti atque injuſti pondera ſingulis in cauſis atque perſonis mira æquitate librantur?

Theologi vero tandem, ſi nihil aliud a Juriſconſultorum libris addidicerint, invenient in iis, quo coarguant corruptam morum doctrinam, exempliſque ſeveritatis e juris conditoribus petitis opinionum licentiam coercebunt: quo pudeat nos Chriſtianæ legis auſteritatem profitentes, adeo remiſiſſe diſciplinam, ut a JCtis Evangelica luce deſtitutis interpretandi candore, amoreque juſtitiæ, atque ſententiarum gravitate vincamur.

Nunc obſecro vos, Adoleſcentes Juriſprudentiæ ſtudioſos, reputate animo ſtudiorum veſtrorum dignitatem, quo alacri-

 ter

ter eam ſcientiam inſiſtatis, in quam veterum novorumque criticorum eruditio, ſublimiorque Philoſophia, & univerſa hiſtoria, atque omnium temporum prudentia conceſſerunt: Dixi.

Habita Romæ.

ORATIO

DE CANONE INTERIORI, *

Ad suos Juris Pontificii auditores.

VEſtra, Juvenes, in hoc Archigymnaſio aſſiduitas atque modeſtia, veſtraque diſcendi cupiditas poſtulare videtur a nobis, ne proximis vacationibus vos abſque aliqua utilitate atque occupatione ſtudio veſtro digna dimittamus. Cum autem quotidie ſacros a nobis exterioris diſciplinæ canones accipiatis, decet ſane, ut inſtantibus jam ſolennioribus pœnitentiæ temporibus, recurrentibuſque annuis diebus funeris illius, unde nobis beatæ vitæ proceſſit æternitas, referatis hinc vobiſcum interioris diſciplinæ rationem, ex qua, quiſquis veſtrum ab ſtudio legum jus reddere aliis addiſcit, ſciat in poſterum, quod eſt longe difficilius, jus reddere ipſi ſibi, atque ab animo ſuo propulſare injurias corporis: quique totos dies a civili ſcientia docetur alios regere, norit, quod magis intereſt hominis regere ſemetipſum, nec modo cum civibus, dum in hac vita mortali moratur, verum & cum propriis affectionibus tuto ac tranquille ad beatam ſpem immortalitatis habitare. Quid enim prodeſt tribuiſſe cuique ſuum, exterioriſque juſtitiæ uſu compoſuiſſe lites alienas, quando animi noſtri litigiis diſcindimur, & nobiſcum perpetuam injuſtitiam exercemus, tradentes mentem in corporis poteſtatem, iramque atque cupiditatem ſupra rationem attollentes, permutatis contra naturæ legem ſingularum facultatum officiis?

Quo igitur ſimul tranquillitate publica quiſque propriam aſſequamur, oportet omnes juris regulas introrſum retrahere, artemque Juſtitiæ transferre ad animum noſtrum, ut iiſdem ſapientiæ luminibus, quibus injuſtitiam compeſcimus aliorum; injuſtitiam propriam, nempe noſtrarum cupiditatum intemperantiam, perdomemus.

Igitur quia pars noſtri, quaſi lumen & oculus interior, cognoſcendis diſcernendiſque rebus vacat; pars vero alia cæco appetitu ducta, volvitur in ſenſuum tenebris: ne ſimus, obſecro, adeo nobis injurioſi, ut naturæ diſſolvamus harmoniam, ſed potius ex divina inſtitutione regimen dominiumque noſtrorum omnium providenti facultati, verumque a falſo, & æquum ab iniquo diſtinguendi, unice permittamus. ubi enim nobis ratio, quæ gubernaculum eſt animorum, imperaverit, juſtitiam pariet interiorem; perinde atque lex civitatibus præſidens juſtitiam creat externam, cum ratio lex privata ſit, lex autem ratio publica, quæ de multorum ratione conſiliiſque coaluit, ut in communes cederet mores. Has boni & æqui arbiter aſſertorque futurus, niſi noverit in ſemetipſo locare partes, nunquam extra ſe certe profecerit, quantumcunque hauſerit e fontibus civilis & pontificii juris. Vir enim injuſtus quo peritior fuerit juris, eo peccabit profecto liberius, quia pœnas cavere didicit, ac peccandi tempus novit, locumque tutiorem.

Facultates autem animi recte locare, atque intra hominem fundare juſtitiam, humana ſimul docet ac divina ſapientia. Præ qua etſi humana caliget, utemur hac tamen, veluti cortice utuntur nare incipientes, neque omnino Philoſophiæ munera negligemus, quæ naturalis juſti-

(*) Huic orationi principem inter reliquas locum tribuimus, adeo ſancta eſt & plena optimæ frugis, dignaque, quæ ſtudioſis hominibus legenda detur, antequam ad reliqua acceſſerint. Commendat ea Auctor ſtudium pietatis &, quæ partes ejus ſunt, humilitatis & patientiæ Chriſtianæ, idque ſummo verborum & argumentorum pondere. Sine pietate autem etiam curæ noſtræ cinis ſunt. In tranſitu Philoſophiæ Platonicæ amorem profitetur, Philoſophiam ſimul perſtringens Scholaſticam, & ſimulatæ quorundam pietati opponens ſimplicitatem honeſtatis in ipſo uſu boni & æqui conſiſtentis.

juſtitiæ vires explicavit, aſſeruitque regnum rationis humanæ, in qua, velut in tabula; divinitas cum notitia ſui honeſtatis leges inſculpſit æternas. Quas profecto leges vitiis in hominibus conſepultas exſuſcitavere Philoſophi provocantes cognitionis igniculos ac divinæ naturæ ſimplicitatem pandentes tollenteſque multitudinis Deos: quorum auctoritate atque exemplis mortales miſeri vitia diu aluere ſua, dum ab Diis ipſis, quibus humanas affectiones adſcribebant, criminum omnium exordia ducerent.

Quamobrem Socrates, cum juſtitiam videret metu Deorum non ſatis munitam; diſputationibus ſuis prodidit pœnas interiores in animis injuſtorum, ad prætentem quoque criminum ultionem excubantes, quo intelligeremus vitia ſecum ſuos perpetuo circumferre carnifices, mœrorem nempe, tædium, pœnitentiam, & odium fugamque ſui: quibus calamitatibus ſibi cognatis injuſtitia regios inter apparatus miſerrime torquetur, & in opulentia faſtuque ſuo cruces inveniens acerbiſſime laniatur. Contra vero juſtitiam, etſi opibus omnibus exutam, continere tamen erumpentem ex ſeſe ipſos inter cruciatus beatitudinis fontem, animumque optime ſui conſcium in medio flammarum ingenti lætitia perfundentem, eaque pœnas omnes corporis exſuperantem, quibus notionibus, tanquam alis explicatis, Plato adeo ſuperne pervolavit, ut in libris *de republica* imaginem etiam adumbraverit infinitæ ac divinæ juſtitiæ, quæ humanitatis vitium emendavit.

Quid mirum igitur, ſi majores noſtri, & Eccleſia univerſa longo tredecim ſeculorum ſerie uni & ſummo Philoſophorum Platoni ſcholas aperuere Chriſtianorum? Quid mirum, ſi tam exiguum diſcrimen inter Platonicam noſtramque doctrinam poſt veteres Patres D. Auguſtinus animadvertit? Quid denique mirum ſi Platonici ante alios, ab ipſo exordio Religionis noſtræ ad Chriſtiana caſtra tranſeuntes, ad eam propugnandam ſe Apoſtolis obtulerunt? Illud vero mirum eſt maxime, quod Sophiſtarum primores, ne a magiſtris redire cogantur ad diſcipulos, aſſidue garriunt, Platonem nempe, utpote nobis magis affinem, exulare a noſtris debere ſcholis. Quaſi tutius cum hoſtibus, quam cum amicis fœdera ineantur, ac rectius nos homunciones conſulamus, quam Dionyſius Areopagita, Juſtinus Martyr, Athenagoras, Irenæus, aliique diſcipuli ac familiares Apoſtolorum. Adimunt igitur nobis Platonicam doctrinam, quæ priſcis Chriſtianis erat quaſi quædam naturalis initiatio pietatis, dum novam virtutis vitam ingreſſuros veterum vitiorum illecebris exſolvebat.

Verum enim vero Philoſophi emendandam quidem naturam humanam autumabant, rejectis deſideriis inanibus, non tamen radicis ipſius vitium animadverterant, atque corruptelam humanitatis univerſæ: qua niſi tota diſceſſerimus, nunquam exibimus a vitiis. Atqui non potuiſſent illi totum veterem hominem tollere, cum novum alium & meliorem ſubſtituendum non haberent. Suboluerat enim fortaſſe per Hebræorum doctrinam alicui ſapientum vetuſtiſſimo hæc humanæ naturæ contagio, veluti Herodoto, qui ex Othanis perſona dixit: *Φθόνος δὲ ἀρχῆθεν ἐμφύεται ἀνθρώπῳ*, *homo ab ipſamet origine ſua malignitatem contrahit*: ſed quiſnam alius caput hoc malorum, nempe hominem ipſum per naturam genitum, præcidiſſet; niſi Deus ipſe qui humana carne ſuſcepta, loco veteris novum reddidit hominem per gratiam procreatum? Cui alendo ſacramentorum nobis reliquit & Evangelicæ doctrinæ cœleſtem ubertatem, per quam dum noſmetipſos abjicimus, eoſdem nos longe felicius invenimus.

Nos enim ipſos abalienantes excutimus opum honorumque cupiditatem, & livorem, & invidentiam, aliaſque periculorum & anxietatum & laborum radices. Quibus amotis non modo temporariam, ſed immortalem tranquillitatem impetramus, deponenteſque caducum hominem, divinum in æternitate ſubimus: quæ merces immortalitatis non permutatione, ſed contemtu noſtri, & infinita æſtimatione meritorum Chriſti comparantur. Quibus induemur, ſi omnes appetitiones noſtras divinitati contrarias extinxerimus. Unde a Chriſto admonemur, ut, ſi per oculos cupiditates & libidines concipiamus, ipſoſmet nobis eruamus oculos, hoc eſt vitia illa, quæ ſunt nobis cariora ipſis oculis, extirpemus; ne, dum eis fruimur, totum corpus, nempe vitam beatam & ſpem divinitatis amittamus. Hinc & ab Evangelica doctri-

na homini ſui ipſius amor eximitur. Cum enim homo ſit concretio vitiorum, dum ſe quiſque diligit, aſſerit ſibi vitia illa, ex quibus miſerias contrahit ſuas, ut nullius odium tantopere noceat, quam amor cujuſque proprius. Hinc qui ſemet oderit, hoc eſt naturæ vitioſitatem humanæ abominetur, eadem opera ſeſe plurimum diligit: liberatur enim a vitiis, quæ ſævius tumultuantur in amatore ſui ipſius; dum indulgendo ſibi noxiarum cupiditatum intra ſe alit incendia. Hinc eadem divina ſapientia nos hortatur, ut condamus theſaurum in cœlo, ubi nulla ætate, nullo raptore conſumitur, opeſque negligamus humanas, quas longo labore paratas, & ingenti periculo cuſtoditas, fruendas, reliquimus aliis, aut potius profundendas. Opes enim nemo magni faciet, niſi qui earum quærendarum laborem periclitetur; ut, cum quæſitis ab ſe per mortem imminentem nemo fruatur, & relictas ab alio quiſque contemnat, nullæ divitiæ dominis proſint ſuis. Unde cogor, ſi per te, Clemens XI. licuerit, verbis tuis elegantiſſimis exclamare:

O fallaces divitias Chriſti paupertate damnatas!

Hinc ad infantium & parvulorum conditionem ac ſtatum a Chriſto revocamur; non modo ut recentem ab eo naturam expulſa veteri accipiamus, & ad puerilis animi candorem ac ſimplicitatem remigremus; verum etiam, ut vilibus & exiguis atque parabilibus contenti ſimus: ne quærendis majoribus ac difficilioribus longius a Deo & a nobis aberremus.

Et quoniam opinione noſtra falſo naturales neceſſitates augentur abſurdum fore oſtendit, ſi natura, quæ volucribus & plantis cibum veſtemque paravit, victum & indumenta inviderit hominibus, quibus, non modo terram, ſed & cœlum Deus benigniſſime patefecit. Ipſi nimirum nos propriis cupiditatibus neceſſitates nobis attraximus; cum hominem, ad mentis cultum procreatum, traduximus ad cultum corporis, vanis deliciis, veluti venenis, debilitantes robur noſtrum; ut præter naturæ dona opem petere cogamur ab artificiis hominum, &, cum nulli ſua regio ſufficiat, victum & veſtitum procul expectemus, vitamque totam in parandis vitæ ſubſidiis occupemus.

Superbiam vero & iram, quibus aſſidue jactamur, duobus potentiſſimis remediis compeſcuit, animi demiſſione, quam humilitatem dicimus, & caritate. Qui enim de ſe demiſſe atque humiliter exiſtimat, neque honoribus anteire concupiſcit, neque loco motus, ob acceptam injuriam excandeſcit, utpote ſuæ imbecillitatis conſcius. Quam ſane imbecillitatem quiſque profiteretur, ſi humanæ naturæ languorem & appetitionum vanitatem animadverteret, ut nihil aliud ſit animi demiſſio, niſi ponderatio humanitatis, ac recta æſtimatio cujuſque ſui. Quam ſi veram noſtri cognitionem accipiemus, neque bonis dignos nos, neque malis indignos arbitrabimur. Unde neque indignabimur, ſi non extollemur; neque, ſi deprimemur, omnino contriſtabimur; atque ita ſubacto animi tumore cruciatus effugiemus, qui non in parandis modo & amittendis, ſed & in gerendis honoribus perferuntur. Impetratorum enim honorum gaudium exhaurit ſtatim aviditas anxietaſque novorum; ut non tam lætum ſit præſtare minoribus, quam ſuperioribus cedere moleſtum: aucta enim dignitate creſcit ambitio, quæ ſi attigerit ſummum, nec habeat quo evagetur, tum, veluti Charybdis undas reſorbens ſuas, intra ſe vehementius exæſtuat, & omni ſpe feliciter, defuncta cupiditas vertitur in mœrorem. Qua de tempeſtate ſola nos a Chriſto inſtituta humilitas eripuerit: iram vero & prolem illius odium livoremque Chriſtiana ſola extinxerit caritas: quæ amorem hominis cujuſque proprium ſurſum extulit, atque ad unam reflexit infinitam divinamque naturam, quæ, cum ſit orbis bonorum omnium, jure ſuo ſibi vindicat amorem noſtrum, cum extra ſe nihil bonum atque amabile inveniatur, niſi quod ipſius Dei cauſa ejuſque juſſu proponitur diligendum; quale ipſum eſt hominum genus proximorum nomine veniens, ſine quorum amore mutuo nulla vel publica civitatum, vel privata pax extiterit ſingulorum. Non minus enim animus hominis odio & ira, quam ſeditionibus civitas turbiſque diſcerpitur. Unde non mirum, ſi amor cujuſque proprius, caritati oppoſitus, motum ac bellum excitat diſcordium inter ſe affectionum, quibus tum privatim, cum publice componendis caritas mutuam inter homines incommodorum tole-

Digitized by Google

tolerantiam, & commodorum voluntariam communionem inſtituit: quamvis igitur aliquibus Philoſophorum interluxerit veritas hæc humanitatis ab origine ſua vitiatæ, quod quidam ſignificare videtur, eum ait, præceptorem ſuum intellexiſſe,

—— vitium vas efficere ipſum

Omniaque ipſius vitio corrumpier intus: tamen mederi malo non poterant, quia totum hoc divinum erat reparationis opus: deinde quod cœleſti hoc miniſterio duarum caruere virtutum, quarum altera cupiditatem, altera oppreſſit iram, ut Philoſophi tantum ad exſcindendam, hæ vero divinæ ſatellites ad evellendam arborem vitiorum incumbant. Qui ſeſe igitur contemſerit, haud indigne feret, ſi ab aliis contemnetur, & læſus pœnas non repoſcet; ſed ultro remittens ultionem, imo & novæ ſeſe offerens injuriæ, non modo exarmabit alienam iram; ſed pudore afficiet aggreſſorem, eumque ab inimico ſibi amicum & obnoxium reddet ſola patientia, ſeu potius magnitudine animi. Magnificentius eſt enim condonare, quam vindicare injuriam: non enim condonamus niſi victo, nec ulciſcimur niſi majorem, aut parem; ut, qui obliviſcitur injuriarum, ſi non potentia corporis, at celſitudine mentis vindicat inimicum, ſibique atque aliis tranquillitatem pariat: ultio enim germinat, multiplicatque odia & pericula; remiſſio vero vertit odium in amorem. Ac ſi de nobis humiliter ſentiendo, alioſque Dei cauſa diligendo, facile feremus injurias inimicorum, longe facilius aliorum, ac præcipue amicorum, vitia ſuſtinebimus. Introſpicientes enim animi noſtri labem, trabemque oculis noſtris objectam expendentes, pro nihilo ducemus aliena ulcera & feſtucam in oculis amicorum; ideo aliis parcendum putabimus, ſi nobis ut parcatur, expetamus.

Quid vero dicam de moleſtiis, quæ veniunt a rebus inſenſibilibus, de morbis, de tempeſtate, de jactura rei familiaris, de morte atque calamitate neceſſariorum? hæc omnia, quæ neque militum copiis, neque opum abundantia, neque imperii magnitudine vincuntur, ſola nimirum patientia Chriſtiana ſuperantur. Hac eadem enim virtute, qua dominamur animis noſtris, res etiam ſubjicimus nobis externas, a quibus pro modo cupiditatum in adquirendo gaudium, & in amittendo triſtitiam capimus. Etenim ubi mentem conjicimus in æternitatem, noſtra rerum caducarum opinio ſtatim extenuatur, & earum ſive adquiſitionem, ſive jacturam tanti non putamus, ut ex felici, aut triſti eventu admodum commutemur. Unde nobis difficile non fuerit invicta tolerantia graves atque acerbos levare ac lenire caſus. Hanc vero adverſorum ferendorum facilitate opulentiores vix aſſequuntur, utpote qui plura poſſidentes tenacius hæreant rebus caducis, quarum amore irretiti alias fruſtra tollere conantur ad divinitatem, ad quam pauperes, utpote a rebus externis expeditiores, longe felicius convolarint. Subtractis enim divitiis & honoribus, quæ ſunt alimenta vitiorum, ſurgunt continuo germina per CHRISTUM conſperſa virtutum, quæ, ſi radices egerint interius, in exteriorem etiam cultum profundentur, & inſtar arboris bonæ ad aliorum etiam exemplum ſæpe florebunt.

Contra vero Phariſæorum pietas, quorum nunquam copiam defuturam Paullus & Chriſtus ipſe prædixit, inſtar arboris malæ malos etiam ferebat fructus: non enim gignebat niſi ſimulatores pietatis pares magiſtris, quia ritibus tantum occupabantur externis. Interius vero volvebant avara & ambitioſa conſilia, quibus expediendis imaginem ſumpſere ſibi perfectæ virtutis; cujus opinione, pravitatem animi ſui tegentes, majori auctoritate apud populum & magiſtratus vitam calumniabantur eorum, ſuper quorum ruina dignitatem ſibi molirentur. Hinc a CHRISTO ſepulcris comparabantur, quæ magnificentiam ſuam omnem promunt extrorſum, introrſum vero nil niſi putrorem, tabemque recipiunt. Hinc ab illo hypocritæ appellabantur, ſive hiſtriones; propterea quod applicarent vitiis perſonam probitatis, & livorem ſuum religione prætexerent: quibus fraudibus in hac vita, velut in ſcæna tantopere attollebantur, ut ab omnibus damnandi damnarent omnes, jus dicentes iis, quorum judicium ſubire debuiſſent, & præceptorum partes agentes, cum tranſire oportuiſſet ad diſcipulos, non ſolum ut aliorum acciperent, ſed ut veteratoriam ſuam deponerent artem vaferrimamque doctrinam, cujus fraudulentia ſerpens per nos vas divinarum legum interpraetatione

artes.

æterna jura furtim ſubjiciebat affectionibus humanis, & opinandi licentia implebat adeo vela cupiditatum, ut profeſſores illius, poſt quam rapacitati ſuæ pietatis cauſam prætendiſſent, neque a captandis hereditatibus, neque a circumveniendis pupillis, neque a devorandis viduarum ſubſtantiis abhorrerent.

Iidemque illi, qui laqueos tendebant legibus easque ancillas ambitioni propriæ reddebant, in rebus tamen exigui momenti tantam religionem adhibebant, ut refugerent, homines nempe meticuloſi, ac ſimplices, ægrotos curare Sabbato, divinumque Præceptorem noſtrum arguerent, quod beneficentiam ſuam hominibus eo die præberet. Unde illis oſtendit non hominem propter Sabbatum, ſed Sabbatum ritusque alios hominis cauſa fuiſſe inſtitutos; ideoque novos Moſaicæ legis doctores a ſenſu ejus aberrare longius, quod ſuperſtitioſa ſimul & captioſa verborum interpretatione voluntatem legum, nempe caritatem, extinguerent, cui nutriendæ lex ad homines per Moſen a Deo proceſſerat.

Cavendum igitur, Adoleſcentes, ne leges, quas addiſcitis, ſive Cæſareas, ſive Pontificias animo impuro contrectetis, veſtroque vitio ſenſus earum corrumpatis, atque adnitendum, ut interiorem identidem excolatis legem, expromentes ex vobis atque afferentes ad hæc ſtudia honeſtatem, caritatem & fidem: quibus diſcipulorum virtutibus, nihilominus quam præceptorum vocibus, leges illuminantur. Vertit enim eas quiſque in proprias affectiones, tribuens illis animum ſuum, ut pravus animus pravas etiam opiniones ex invitis utcunque legibus protrahat, quas tuentur argutiis Dialecticorum. Unde non mirum, ſi non modo judicia, ſed & mores hominum opinionibus regantur, a ſententia legum & canonum alieniſſimis. Quamobrem ei, mea ſententia, Deus meus fuit maxime propitius, qui parum inter Sophiſtas noſtros habeatur acutus. Is enim facultate carens tuendorum errorum, armiſque falſitatis exutus, minime noverit vitium cum virtute componere, neque audebit integra fronte dolum, ultionem, rapinas, injurias, uſuras, & nefarium quodcumque ſcelus legum auctoritate propagare. Unde communi ſenſu ductus humanitatis, jura ſive humana, ſive divina in partem accipiet candidiorem; tantoque amplius in cognitione veritatis, & boni & æqui arte profecerit, quanto minus in verborum fraudibus excelluerit.

Utinam vero illa perpetuo deploranda tempora, quæ acute delirando, & incaſſum obſtrependo, cum vulgi ſtupore vulgarique pompa, ingenti ſumptu tranſiguntur, cultu Latinæ linguæ civiliſque ac ſacræ hiſtoriæ ſtudiis a juventute occupentur! longe profecto minus eſſet vobis in addiſcendo difficultatis, & laboris nobis in docendo ſubeundum. Accepiis enim priſcis loquendi formulis, cognitiſque ab hiſtoria moribus cum Romanæ Reipublicæ, tum veteris Eccleſiæ, clavim jam legum & Canonum teneretis, atque radices attigiſſetis earum. Quam gravem ſane ac noxiam jacturam temporis incremento laborum cenſeo reparandam, ſimulque incumbendum, ut exteriorem diſciplinam, quam hinc aufertis, perpetuo animi cultu ad interiorem naturæ atque Evangelii legem revocetis. Dixi.

Habita Romæ anno Chriſti MDCCIII. IV. Non. April. Fer. 1. major. hebdomadæ.

ORATIO.

De Recta in Jure Disputandi Ratione.

Doctrinæ omnes atque ſcientiæ, arteſque illæ, quæ manus miniſterio non utuntur, ad duo genera ferme revocantur: quorum alterum ſolam contemplationem ſibi proponit, alterum vero diſputandi potius cauſa contemplatur. In contemplatione potiſſimum verſantur ſcientiæ rerum naturalium, quæ in Pythagoræ, Thaletis, Anaxagoræ, ac Democriti olim enatæ ſinu, initio in experimentorum receſſibus

(*) Occurrit hac oratione Gravina partim argutiis Dialecticorum, partim barbariei JCtorum Pragmaticorum. Oſtendit enim in priore eademque maxima ejus parte, juriſprudentiam Romanam arte ſyllogiſtica carere poſſe, parumque juris ſtudioſis prodeſſe enthymematum formas: dein a Clemente XI. Pontifice Maximo contendit, ut litterarum conſtituantur Profeſſores, ne vel præ imperitia Latini ſermonis adoleſcentulis neceſſe ſit fugere prælectiones juris Romani.

Digitized by Google

ſibus habitabant, ad Socratem uſque ac Platonem: a quorum præceptis ad aulicas atque ambitioſas conceſſere Peripateticorum ſcholas: ubi, depoſito veritatis amore, verborum laudem atque popularem gratiam præoptarunt: & quæ prius veris notionibus animos imbuebant, ambitioſo poſt acumine vanitatem armarunt: ut non iam ſoliditas rationum, quam theatralis quædam ſubtilitas & vulgarium ſententiarum obſtinatio in ſcientiis laudaretur.

Extincta deinde cum apud Græcos, tum apud Latinos eloquentia, doctrinæ, quæ a ſcholis Græcorum ad Arabas migrarunt, non ſolum veritatis, verum etiam ſermonis ac diſputationis amiſere laudem: & a perpetuæ orationis ubertate atque cultu, enthymematum & ſyllogiſmorum ſalebras tranſierunt.

Ad alterum genus doctrinarum, ubi ſæpius contemplatio diſputationis cauſa ſuſcipitur, ipſa pertinet eloquentia, quæ ſcientiis aliis verba ſuppeditat, & humaniores omnes literæ: interque civiles artes noſtra potiſſimum juriſprudentia, quæ recte cogitatis & recte itidem diſputatatis alitur atque coaleſcit. Quæ ſane juriſprudentia, florente Republica, atque etiam ſub Imperatoribus, quando barbaries nondum ſcientias operuerat, cum ſoliditate rationum, diſputandi quoque normam trahebat a ſcriptoribus illis veteribus, qui optime ab ſe inventa gravi concinnaque oratione proferebant.

Verum eadem bonarum artium ab Arabis orta lues tandem & juriſprudentiam hauſit, eamque conjecit in vortices dialecticorum: qui attriverunt acuminibus veritatem, & ſcholarum ſpinis lumen rerum atque perſpicuitatem ſententiarum prætexuerunt.

Atque hanc a naturalibus quidem ſcientiis peſtem, rixarumque vecordiam Philoſophorum noſtris temporibus in Italia, Germania, Gallia, Britannia præſtantiſſimi averruncarunt, ac priſtinam revocavere ſtudiorum ſeveritatem, ſacrumque illud repetiere ſilentium novorum inventorum ætate noſtra feraciſſimum.

Verum quanta dialecticæ ipſiuſque mentis humanæ corruptores in ſcientiis naturalibus peccent, quibuſve contumeliis Philoſophiam afficiant, nihil ſane refert mea. Illud tamen tacitum a me certe non tulerint, ne inutiliter ſim docendæ atque cuſtodiendæ juriſprudentiæ ſuſceptus, quod hunc diſputandi morbum in legum doctrinam per dimiſſos ab ſe invexere diſcipulos, qui, pro Græcis & Latinis literis notitiaque hiſtoriarum, captiones & concluſiunculas ad ſtudium juris civilis afferentes, perinde argutantur in legibus, atque ab ineunte ætate in ſcientiis aliis conſuevere. Quæ ſterilis atque perverſa diſſerendi ratio, cum ubique ſit noxia, nuſquam tamen exitioſior eſt, quam in divino humanoque jure. In illis enim ſcientiis, quæ ſola contemplatione abſolvuntur, falſa ratio ſuum non egreditur orbem: at error, a mente in divino humanoque jure conceptus, plerumque opiniones parit, quæ vel animos, vel patrimonia peſſumdant. Unde nihil magis juriſconſulto neceſſarium, quam recta & ſana minimeque fallax norma diſſerendi: pro qua ſi perplexandi morem arripuerit ſua falſitate judicii civilem quoque ſtatum, & opes atque fortunas aliorum evertet. Aſſuetus enim falſis rationibus, etſi alterius irretiendi maxime calleat artem, deſuetudine tamen veritatis viam nunquam noverit explicandi ſui, nec niſi fortuito juſti atque injuſti diſcrimen invenerit, ut ei tota vita ſit inter larvas in umbrarum prælio confligendum.

Hos ego juſtitiæ ſcopulos, & offendicula rationis humanæ, quantum contendere voce atque ingenio poſſum, conabor abrumpere; indicata breviter honeſta illa & verecunda, minimeque pervicaci norma diſputandi, qua majores olim noſtri ante Arabas utebantur: quæ ſicuti contra falſitatem ingenium exacuit, ita illud ſubjicit imperio veritatis: contra quam dicaeula illa & argutatrix dialectica vulgaris totos dies impudentiſſime latrat ipſa, & latrare doctrinas alias docet. Quæ mentes adoleſcentium eo fœdius corrumpit, quod non ſolum falſis rationibus, ſed etiam injuſtis laudibus eos ad ſuperbiam adducit atque jactantiam, ingeneratque animis una cum contemtu ſeverioris atque modeſtioris doctrinæ amorem popularis auræ, quam a teneris annis in corona ſophiſtarum ſingulis diebus aucupantur.

Vos vero, qui ad juſtitiæ ſtudium conveniſtis, adoleſcentes, nullam illius cognoſcendæ ſpem habetote, niſi allatas huc forte muſcipulas dialecticorum abjeceritis, eamque diſputandi rationem inſtitueritis, quæ ſicuti nunquam retegenda &

proculcanda falſitate defatigatur, ita con feſtim jubet cedere veris: ne, temere contendendo, mentem veritati oppoſitam induatis. Unde diſputationibus locus erit, quoad apta & congruenti exagitatione ſententiarum certa ex incertis exſiliant, & altercationibus veritas excutiatur: qua in lucem exeunte, veſtri judicii atque candoris erit, abire ſtatim a jurgiis, ne, dum juſtitiam addiſcitis, parentem juſtitiæ veritatem oppugnetis, ac bonum & æquum, cujus notitiam quæritis, a veſtris mentibus arceatis.

Et quoniam homines ad perſpectam veritatem natura ipſa ferimur, ideo nihil de arguendi forma laborandum, dummodo veritati propugnandæ, falſitatique confutandæ idonea ſit, atque apta ſenſibus, rebuſque conveniens. Etenim concluſiones veræ non e formis illis puerilibus argumentorum exoriuntur, ſed ex ipſius veritate materiæ: quæ quibuſcunque verborum formulis elueeat, ſuapte vi mentibus dominatur. An enim, ſi fueris forte probaturus Sempronium filium a Titio patre exheredari non poſſe, minus rem demonſtraveris, cum dixeris, non licere Titio exheredare Sempronium filium, quia filius exheredari ſine cauſa non poteſt: quam ſi dialecticus vitilitigator effectus, hunc ſyllogiſmum intorſeris.

Filii a patre ſine cauſa exheredari nequeunt:
Sempronius Titio eſt filius:
Ergo Sempronius nequit a Titio ſine cauſa exheredari.

O frigidam & ſtomachoſam! o vanam importunamque verborum circuitionem! ſi tribus perſpicuis vocibus communi more compoſitis rem ſimplicius expediſſes! At fortaſſe dubiæ res atque ancipites forma dialecticorum certæ redduntur. Itane? quaſi ex argumentorum forma, quæ venit extrinſecus, non ex interna facultate hominis res ipſas permeante, certum de incerto eruatur: nempe ope ſenſuum, & experimentorum, & notionum æternarum, quas ab ortu ſuo ſecum animi attulerunt. Quod niſi veritatem hiſce inſtrumentis adipiſcaris, fruſtra ſyllogiſmi adhibueris opem; non enim ante ſyllogiſmum unquam exſtruxeris, quam veritatem in ſyllogiſmum conferendam aſſequare. Veritas enim haudquaquam per tria illa ſyllogiſmi enunciata diſtrahitur: ſed tota continetur in primo. Unde ante veritatem cognoſcimus, quam ſyllogiſmum concluſerimus. Qui enim probat Stichum eſſe ſervum hoc ſyllogiſmo:

Omnes bello capti ſunt ſervi:
Stichus eſt bello captus:
Ergo Stichus eſt ſervus.

oportet animadvertiſſe Stichum inter bello captos in prima enunciatione ab inductione orta, ubi comprehendit omnes, antequam ad extremum ſyllogiſmi perveniret.

Quorſum igitur tua hæc, felix dialectice, mira formarum inventio: niſi ut plauſu & luero cum tuo adoleſcentium ingenia miſerrime torqueas, atque a contemplatione rerum abſtrahas ad ſterilium examen ſtudiumque formularum: unde aſſueſcant rationum veritatem ac falſitatem, non propria cognitione, ſed ex verborum ſono ac vocabulorum textura diſcernere? Unde non mirum, ſi praelara omnia Philoſophorum reperta prodiere, antequam ſophiſtæ noſtri ſuam explicarent enthymematum & ſyllogiſmorum aciem, rectæ rationis diu victricem. Cujus doctores, poſtquam tendiculis illis homines ad ſe converterunt, adeo arefecerunt ingenia, ut non niſi hoc abjecto præſtigiarum ſtudio, ad ſpem novorum inventorum redierimus.

Auferte igitur hinc procul a legum ſanctitate circulatoriam artem, quamque alii operam nectendis laqueis ponunt, vos in rebus locate inveniundis atque ſimpliciter exponendis, contentique potius eſtote loquendi more illo communi & humano, ut non furere, ſed ſapere: non bacchari, ſed ſedate atque tranquille differere in literariis quæſtionibus aſſueſcatis.

Ac ſi vere mentium ſobrietati ſtudetis, illud mihi etiam cavete, quod vulgo tamen palmarium dicitur; ne ſcilicet amplius urgeatis, atque interpolatum regeratis in adverſarios, quod ſemel recta reſponſione fuerit exploſum: neve libeat argumentum ſarcire fractum atque detritum. ſed potius ad aliud convolate, quamvis diverſo e fonte petendum. Nec enim penſi habetote ſophiſtarum uſum, quibus ii, videntur ſtrenui magis, qui diutius, in uno quod vocant, concludendi medio frigide conſtiterint, ac laqueum protenderint longiorem: ut non ante deſiſtant, quam digitorum percuſſione, atque etiam clamori-

Digitized by Google

moribus a corona comprimantur; quaſi glorioſum ſit perpetuare deliria, & pertexere operas aranearum. Nec reputant, longe rectius in aliis & ſolidis rationibus excogitandis, quam in una futili pertendenda, conteri tempus: minimeque intelligunt, utilius eſſe ingenio dirigendo, veritatique aſſequendæ, vel prorſus cedere ſententia, ſi veris reſponſionibus redarguare; vel hoſtem, ſi fueris ex uno loco depulſus, aliorſum adoriri. Nolite vos igitur ſi veritatem ſententiarum amatis, convicti ſemel, inſurgere denuo impudenter & gratuito eandem incudem tundere; vel abſcedite a prælio, laudem ferentes agnitæ complexæque veritatis: vel omnino aliquid novi tentate: ingenium non perplexitate, ſed varietate atque firmitate rationum exacuatis.

Duplex eſt autem in unaquaque ſcientia diſputandi ratio: alteram diſcriminis cauſſa diſſertationem appellamus: alteram altercationem. Prior utitur oratione perpetua & fuſa, propoſita quæſtione in utramque partem, Carneadeo & Academico dicendi more. Atque hæc ſcriptis mihi videtur & meditate tractanda, quo diſcant juvenes ad prælium parare ſe datoque ſpatio cogitandi, non invenire, modo ſed etiam ſeligere rationes; ac non ſolum cogitare ſapienter, ſed etiam exponere ſenſus ſuos eleganter; itaque ingenio & judicio matureſcant.

Altera vero, quæ altercatio dicitur, interrupto & brevi, alternoque ſermone perducitur. In hoc diſputationis genere, ubi voce; non ſcriptis, ex tempore; non compoſito dicitur, aſſueſcent adoleſcentes invicem ſe improviſo adorti habere ingenium in promtu, atque in tumultuario prælio expedire aliquid ſtatim conſiliumque in re ſubita capere. Unde modo ad unum, modo ad aliud genus diſputandi transferentur: hac enim exercitationis viciſſitudine in utraque facultate pares evaſerint, & ingeniorum tarditas exercitatione improviſa, celeritas vero inconſulta diuturnæ meditationis uſu temperabitur.

Porro quæſtiones vel infinitæ ſunt, atque a certis cauſis abſtractæ, vel finitæ, circumſciptæque rebus, perſonis, & temporibus. Illas dialectici theſes, has hypotheſes vocant: quas Juriſconſulti cultiores facti ſpecies, rudiores vero caſus appellant. In utraque illarum exerceri placet adoleſcentes, dummodo prius ad theſes, poſterius ad hypotheſes adducantur: ut imbecillæ adhuc mentes quæſtionibus illis a rebus adductis notiones colligant ſimplices & expeditas: ubi vero firmiores ætate ingenioque fuerint, præceptas jam notiones cum rebus perſoniſque miſceant atque componant: perinde atque in ludo literario prius elementa ſingula, poſtea illorum didicere nexus.

Sed video vos juvenes tacitis a me cogitationibus petere, ut locos aperiam, unde utilius in jure argumenta ducuntur: cum dialecticorum loci, quos communes appellant, omnino ſint inanes ac ſteriles, niſi materiæ tractandarum ſcientiarum expleantur: quæ ſi habeatur, ipſa per ſe argumenta ſuggeret, quamvis loci dialecticorum ignorentur. Hinc non eſt vocis diu laborandum in veſtigandis locis argumentorum in jure, ſi jus probe didiceritis atque abſtruſiores ejus receſſus penetraveritis. Patebunt enim inde, atque ipſæmet occurrent oculis veſtris dubitandi definiendique rationes, quibus in utramque partem diſputetur. Quamobrem non tam locis argumentorum indicatis, quam ratione juris addiſcendi recte demonſtrata opus habetis. Quod cum alibi præſtiterimus, idemque brevi typis vulgaturi ſimus; piget hic eandem cantilenam canere, potiuſque de locis argumentorum afferemus utiliora. Et quoniam per Juriſprudentiam neſcio quæ vagantur enunciata nullius omnino uſus, ne dicam ſenſus, e gratuitis interpretum aſſertionibus, non ex ipſis profecta legibus; horum vobis nullam, ſive in opponendo, ſive in reſpondendo rationem ducendam cenſeo: ne ſuper otioſis aliorum commentis rixas fruſtra ſeratis.

Igitur, ſi me audieritis, primæ vobis & celebriores argumentorum ſedes ipſæ fuerint leges, vel cum propoſita opinione, vel ſecum pugnantes: ut legibus inter ſe commiſſis, collatiſque utrimque interpretationibus, certiorem reddatis earum ſententiam. Quarum legum in ſpeciem diſſentientium ſegetem vobis e ſuis diſputationibus uberrimam protulerit in primis Ubertus Giſanius aliiqui viri doctiſſimi, qui hoc Juriſprudentiæ ſtudium navarunt egregie. Ac ſi legum repugnantia nulla occurrat, argumenta contra oppoſitam ſen-

tenti am recte trahentur a generalibus regulis juris civilis: iiſque deficientibus, advocanda erunt ex hiſtoriis lumina illa juris, quæ nobis in digeſtione legum Tribonianus uti ſupervacua ſubduxit: quæ ſi neque hiſtoriæ ſuppeditaverint, excurrendum eſt ad notiones juris naturalis, & mens, quæ rationes exterius collectum ierat, introrſum retrahenda: ut ex innata mentibus lege prematur, quod ſcripto conſtitutoque jure non fuerit expreſſum, idque more juriſconſultorum veterum, qui, quod in duodecim tabulis aliiſque legibus & Prætorum Edictis fruſtra quæſiſſent, petebant e morali doctrina Philoſophorum, qui doctores fuerunt juris gentium, ac primores communis naturaliſque legis interpretes.

Ut autem tum diſputando, tum definiendo, quod plurimum refert, interpretum atque auctorum delectum habeatis, ac noritis, cujus in qua quæſtione præcellat auctoritas; ſeparandæ ſunt controverſiæ illæ, ubi quæritur cognitio antiqui juris & germana ſententia legum ab iis, quæ in forum tendunt, & ab Irneriana ſchola, communi populorum uſu, ad ætatem pervenerunt uſque noſtram.

Etenim in ſincera & germana intelligentia Romani juris, omnes quorum ſanum ſit ſinciput, quoſque pudeat alienæ ignorantiæ blandiri, primas tribuerit Alciato, Cujacio, Donello, Duareno, totique interpretum eruditorum ſcholæ: qui Græca & Latina eruditione abditos vulgo recluſere ſenſus. In foro autem jure imperaverit Accurſius, & Bartolus, eorumque numeroſa & fœcunda, ac perbeata familia, quorum receptiores opiniones, etiam ſi ex eruditorum expoſitione, veterumque legum teſtimoniis, atque antiquitatis fide manifeſto erroris coarguantur, tamen in quæſtionibus ad forum redundantibus merito palmam tulerint, ſi repetitis exemplis in tribunalia manarint, inque communem tranſierint contrahendi & judicandi morem: quam enim firmitatem a juris ratione non habent, eam accipiunt a temporis auctoritate populique uniuſcujuſque conſenſu; qui, ſicut ſciens prudens mutare ſibi potuit legem, ita jure ſuo alienum errorem pro lege ſibi conſtituit. At ſi juris ratio antea latens poſteaque interpretationibus eruditorum expreſſa, non publici conſenſus majeſtati, ſed vulgarium interpretum turbis adverſetur: tum certe perfecta ſententiæ veritas merito vicerit errorem, nullo examine, ſed bruta & vervecea ſcribentium crudelitate, in allegationum ſarciminibus propagatam.

Quo magis etiam ad utilitatem publicam, nedum ad privatam eruditionem atque ad antiquitatis cognitionem, ſunt eruditorum interpretum exemplaria verſanda: tum ut e diſſentientibus inter ſe vulgarium auctorum ſententiis ea præferatur, cui germana juris ratio ex eruditorum libris auxilio veniat; tum ut ſi quis novus error in forum impendat, veræ juriſprudentiæ freno atque auctoritate coerceatur.

Unde haud me pœnitet ab ineunte ætate hos triviſſe auctores atque in ſcriptis meis Accurſianæ ſcholæ interpretationes ubi uſus venerit, illorum luminibus adſperſiſſe: quamvis noſtra docendi ratio a cultioribus interpretibus arceſſita, in hac meritoria temporum Juriſprudentia tam paucos attrahat, ut me prope deſperem auditores inventurum, [*] ac jam caſſa nuce uriliorem habitum iri vererer: niſi confiderem te pro tua, Eminentiſſime Quæſtor, clementia perſpectaque diu in publico regimine judicii æquitate, voſque, hujus Archigymnaſii Præſides humaniſſimi, utilitatem cujuſque noſtrum e ſcriptis docentium æſtimaturos, non vero ex numero diſcentium, qui ob ætatis imbellicitatem inopiamque conſilii, crebriores plerumque ad forenſem verſutiam confluunt: quam ad doctrinam, cujus alioqui præſtantiam & ubertatem in collegis meis invenient longe majorem.

Atque illud mihi maxime adverſatur, quod pleriq; rudiores, quam venerant, a ſtudiis redeunt humanitatis: ſine quibus mecum nemo certe profecerit, niſi, ut illiteratis placeam, cogar dediſcere meliora. Verum hanc, mehercule, mihi linguam prius exſcindendam dabo, quum te ſancte literarius pudor proſtitutam impuris auribus, aut ſuſceptam, cultam-

(*) Memento piſcatoris in ſcopulis deſtituti, quia eſca non utebatur piſcibus grata. Juris enim Romani origines parum appetebantur ab adoleſcentibus Romanis, quia non faciunt πρὸς τὰ ἄλφιτα. Mirere tamen conſtantiam, qua & vitam pro recta docendi ratione ponere paratus eſt, & modeſtiam, qua ſtudiis collegarum alia via incedentium minime obtrectat. Obſecratio ea, qua dein Clementem XI. obteſtatur, magna dicendi vi eo, quo propoſitum erat, decurrit.

tamque mihi diu tuam, divine Cujaci, doctrinam & inſtitutionem, propter eorum imperitiam commutem, qui lucri, non juris artem arreptum veniunt, potiuſque, non modo munus qualecunque maximum, ſed & vitam depoſuero, quam rectam ſententiam, ſine qua in vita nihil mihi fuerit amabile. Procul igitur inculti omnes a me ſunto, profanamque mentem alio auferunto; neque ullus bonarum artium expers ad nos ingreditor.

Atque utinam, Clemens Maxime, tibi per temporum difficultates liceat celſitudinem iſtam animi tui, divina ſemper & immortalia contrectantem terrenaque omnia & humana prementem, referre tantiſper ad curam literarum, tecum quidem perpetuo vigilantem, nunc vero ad tempus conſultiſſime conſopitam. Sane auctis præmiis quotidianaque docendi opera præceptoribus omnibus imperata, hic ſub oculis noſtris ingenia ſtudiis ad juriſprudentiam utilioribus educarentur: Pontificiaque hujus loci Majeſtas præ ſcholis aliis non civibus modo, ſed finitimis & exteris celebraretur. Non enim cogerentur juvenes obire alibi curſum ſcientiarum & bonarum artium, quarum, propter prælectionum raritatem, vix hinc licet arripere particulas, excepta medicina & jure civili, quibus poſt Innoc. XII tua quoque ſingularis providentia quotidianam paravit perennemque ſedem.

At proh dolor! tempeſtas temporum, & comes bonarum artium calamitas opem interea eximit illius, quem ipſæmet ad commune beneficium extulere, Principis. Quamobrem Doctrina, moræ nimis fortaſſe impatiens, ad tuos, Clemens optime, provoluta pedes, uſuram repoſcit earum virtutum, quas tibi ſuo de ſinu ad humanarum divinarumque rerum incrementum effudit. Ad te illa, Pontificum benigniſſime, madentes attollit oculos, atque inopiam ſordeſque ſuas oſtentans, per dextram iſtam beneficentiſſimam obſecrat & obteſtatur, ne, quæ tibi glorioſiſſime peperit imperium ſervire turpiter, atque ſubeſſe cogatur imperitis, quorum ſuperbia & opulentia doctos viros, veluti deditos oblatoſque ſibi hoſtes, proterit atque proculcat. Hiſce in anguſtiis te, Pater Beatiſſime, appellat, repetitque ſibi alumnum ſuum, qui privata in fortuna privatiſque opibus ſummos Principes donis erga literas & largitionibus anteivit. Hunc orat, ne tu fontem tum exareſcere patiare, cum ſibi ſperat uberius profluxurum: Idque a te contendit alacrius, quod per bonas artes, tibi ab ſe traditas, univerſa juvatur ſibique obligatur Eccleſia, quæ tuis conſiliis ab exemplis antiquæ diſciplinæ ductis ad priſtinam pietatem reflectitur, atque ad veterem revocatur Pontificiæ vocis honorem tot poſt ſecula redditum graviſſimis tuis concionibus: quibus Pontificia majeſtate Latinam elegantiam attollis, eademque opera Chriſtianam pietatem illuſtras atque propagas in pectoribus eruditorum.

Atqui ne illud de te dicatur, quod de Achille Neſtor: *Οἶος τις ἀρετῆς ἀπο ὀνήσεται.* Hujus tu divinæ imitationem eloquentiæ velis Pater Beatiſſime, tranſmittere ad poſteritatem ſtudiis inſtaurandis, adhibendiſque aſſiduis ac diuturnis Græcæ ac Latinæ eloquentiæ cultoribus: quos unice ſpes aluit beneficentiæ tuæ, quorumque nulli melius quam tibi perſpicua ſunt merita & labores, qui eos ingenti ſtudio toties Pontificibus aliis commendaſti. Sic Tranſalpini tandem illudere deſinent Italiæ: unde ad eos tantum afferuntur ineptiæ ac flagitia indoctorum, quibus fere ſolis opes apud nos, & par opibus temeritas ad librorum editionem, in Italici nominis ludibrium ſuppetunt.

Verum quid ſtultius, quam ex tam exigua mora, ſub te Principe, de literarum ſorte dubitare; Quaſi neſciamus, majora quæque cœpta longiori meditatione opus habuiſſe.

Attollite igitur animos vos, & laboribus gaudete ſuſceptis, quotquot exemplo ſuo Clemens Maximus ad literarum gloriam excitavit: creſcit enim, dum protrahitur, magnum, quod animo verſat, opus; providaque iſta ſua & Fabiani maturitas rem literariam longe magnificentius atque felicius opinione noſtra reſtituet.

Habita in Romano Archigymnaſio XVI. Kal. Dec. MDCCI.

CA-

CANONES DISPUTANDI.

Sed ne ſuperiora diſputandi præcepta vobis excidant, juvenes, placuit ea brevibus aliquot capitibus, adhibita priſca legum ſcribendarum forma, & antiqui ſermonis majeſtate, comprehendere: quos Canones ſive regulas, diſputandique leges appellamus.

I.

SOPHISTARUM CAPTIONIBUS ABSTINENTO, CONTRAQUE PERSPECTAM VERITATEM INGENIUM NE CONTENDUNTO.

II.

VERBIS PERSPICUIS, COMMUNIQUE LOQUENDI MORE UTUNTOR: ATQUE, DUM RATIO PATESSIT, DE ARGUMENTORUM FORMA, SOPHISTARUM EXEMPLO, NE LABORANTO.

III.

PRIUS IN THESIBUS; POSTEA IN HYPOTHESIBUS EXERCENTOR.

IV.

ALTERCARE MODO ALTERNIS EX TEMPORE; MODO SCRIPTIS PERPETUA ORATIONE DISPUTARE GAUDENTO.

V.

ARGUMENTUM SATIS EXPLOSUM NE REGERUNTO, NEVE OBSTINANTO; AC SI DIUTIUS CONTENDERE LIBESSIT, ALIUNDE PETUNTO.

VI.

OBJECTIONIBUS RESPONSIONE SOLIDA RENITUNTOR: SI DEFIT, HONESTIUS TACENTO.

VII.

CONTRA OPPOSITAM SENTENTIAM LEGE ALIQUA REPUGNANTO, LEGESQUE LEGIBUS COMMITTUNTO, ET IN SPECIEM DISSENTIENTES, ABSTRUSA SENTENTIA ERUENDA, IN CONCORDIAM REDIGUNTO.

VIII.

IN FORENSIBUS QUÆSTIONIBUS AGITANDIS ACCURSIANI, AT IN VERIS SENSIBUS LEGUM ERUENDIS CUJACIANI PRÆFERUNTOR.

IX.

SI LEGUM REPUGNANTIA NULLA FUAT, COMMUNES JURIS REGULAS OPPONUNTO: SI NEC ESCINT; PRIMO VETUSTUM JUS EX HISTORIIS; DEINDE MORALES RATIONES A GRÆCIS PHILOSOPHIS MUTUANTOR.

X.

QUI SECUS FAXINT BLATERONES HABENTOR, DOCTORUM COETIBUS EXCLUDUNTOR, ERRORIBUSQUE SUIS PERPETUO TORQUENTOR.

ORATIO

DE REPETUNDIS FONTIBUS DOCTRINARUM.

QUoniam ſcientiæ [*] fere omnes, vel ad naturales referuntur cauſas, vel ad cognitionem divinitatis, vel ad morum & legum notitiam humanarum: ac naturales quidem cauſæ ſenſibus & experimentis eruuntur; cognitio divinitatis oritur e religionis oraculis, mores vero & leges civilibus continentur inſtitutis: hinc tres jam inde ab initio uberiores doctrinarum patuere fontes: quos non raro am-

(*) Suadet hac oratione Gravina ſuis, ut rejecta ſcientia compendiaria, qua plerique ſola inſtructi vehementer ſibi ſapere videntur, rerum naturalium ſtudium ex ipſa rerum natura, Theologiam ex ipſis ſacris codicibus, jus ex ipſo canone & jure Juſtinianeo diſcant. Inter hæ artes exagitat Caſuiſtarum, quibus hi verborum captando cortices eluſerunt vim Sacræ Scripturæ & canonum, effeceruntque, ut majori ſeveritatis laude floreant ſcripta JCtorum paganorum, quam ipſorum caſus conſcientiæ. Cape exempla infanæ ſapientiæ & nimium fallacis aſtutiæ. Commendaverant Chriſtus & Apoſtoli jejunia ſubigendis facilius cupiditatibus noſtris. Caſuiſta vero inter ſolida diſtinguens & fluida etiam tempore jejuniorum aliis horis, quam quibus cibus capitur, " potiones indul„ get Indicas, non tantum nutrientes & ſenſus oble„ ctantes verum etiam vetitas incendentes cupidita„ tes. „ Voto quoque paupertatis ſatisfactum opinatur Caſuiſta, ſi pecuniam manibus non attigerit, quamvis id agat in dies, ut degiutiat agros pupillorum & ſubſtantiam viduæ.

ambitioſi præceptores artificiis occuluere ſuis, ut ab eis, non vero primævis ex originibus, literæ peterentur: natura ſcilicet rerum, quæ ſedes eſt Philoſophiæ: ſacti codices, quæ ſunt germanæ Theologiæ templa: & juris Romani Juſtinianea volumina, quibus integra Juriſprudentia conſervatut.

Etenim antiquiſſimi Philoſophorum, quominus abundabant libris, eo naturæ arctius hærebant, animiſque ſuis diutius in rebus ipſis, quam in aliorum cogitationibus habitabant, libereque peragrabant omnem univerſitatem: utpote quorum ingenia nullis auctoritatibus contraherentur, neque irretirentur certis præſcriptiſque definitionibus, quatum ad formulam poſteriores Philoſophi ſectarum auctores retum ſummam redegerunt, quibuſque cogitationes ac facultates intetcepere noſtras.

Vetuſtiores namque illi, qui nullo populari plauſu auferebantur, ſolo ſtudio veritatis duce, notitiam cauſarum experimentis evocabant, itaque de univerſa natura diſſerebant, ut cum innumera de ratione rerum ſingulatum, ac de primordiis rerum univerſarum, præclaraque de motu ſiderum, de ortu, & interitu ſublimium & inferiorum ſpecierum, de animis & affectionibus humanis, invenirent; nunquam tamen ponerent noſtræ cognitioni fines; neque ſpem poſteris adimerent plurium deinceps inveniendorum: quibus veſtigandis facis inſtar præibat tatio magiſtrorum.

Quamobrem Plato, qui ſcriptis ſuis ſcientiam comprehendit omnium ante ſe ſapientum, ſive Græcorum, ſive barbarorum, exemplo veterum quærere magis; quam decernere aſſuetus, non tam adſtruendo, quam evertendo docet, inſtitutaque ambigendi arte detegit humanam ignorantiam: ut, ſi qui prius aliqua opinione ſapientiæ inflaremur, poſt Platonis lectione non aliam ſapientiam agnoſcamus, præterquam conſcientiam erroris noſtri; quoque magis ratiocinando progredimur, eo amplius neſcire atque ignorare diſcamus.

Sed cum ad eam diem natura rerum omnibus ad obſervandum occurreret, receſſit fere ab oculis, poſtquam poſteriores Philoſophi mentes hominum rebus ab ipſis ad propria decreta, ſive ſingularum dogmata ſcholatum, avetterunt: ut veritas, quaſi tota in præceptorum volumina commigraſſet, non amplius a natura, ſed ex illorum opinionibus unice peteretur. Quique primi præcipuis definitionibus & enunciatis univerſa concluſerint, Ariſtoteles fuere, Chryſippus, & Epicurus: quorum primus Academicorum veterum, alter Stoicorum, poſtremus Democriticas doctrinas in rerum infinitatem tendentes finitam ad tationem coanguſtarunt. Huc pertinent ea Ciceronis lib. 1. *de legibus* cap. 13. *Verum Philoſophorum more, non veterum quidem illorum; ſed eorum, qui quaſi officinas inſtruxerunt ſapientiæ, quæ fuſe olim diſputabantur ac libere, ea articulatim diſtincteque dicuntur.* Cumque antea ſapientia pet manus familiariter traderetut, in publicam lucem prodiens involvit theſauros ſuos, foraſque promſit, pro vulgi ſenſu tantum, colores veritatis; ita ut velamenta magis illius ad nos, quam veritas ipſa pervenerit.

Tranſlata igitur ad harum trium ſectarum principes omni auctoritate ac poteſtate doctrinarum, curæ hominum, quæ antea rebus ipſis incubabant, convolarunt omnes ad intetpretationem ſententiarum cujuſque ſectæ doctorum, qui res ad vulgi gratiam deflectentes, noſtramque inveſtigandi libertatem circumſcribentes, infinitam rerum varietatem e noſtris mentibus excluſerunt. Hinc inveſtigatio cauſarum, quæ feliciter ad Platonem uſque proceſſerat, quæque antea novi ſemper aliquid proferebat, exortis tribus illis finitoribus doctrinarum, continuo inſtitit atque quievit: donec proximis ſeculis eruditorum ſtudia Platonis auctoritatem jamdiu intermortuam ſimul cum ipſius neſciendi ac perſcrutandi arte ſuſcitavere, atque ejus lectione ſolvere nexus animorum; quo liberi excurrerent ad ſpecies ipſas naturaſque rerum nudas & ſimplices: quarum luce vel nova efferentes, vel ex oblivione vetera revocantes, vocem nobis reddidere veritatis.

Longe vero alia ratio eſt divinæ ſapientiæ, quæ cum humanas facultates exſuperaret, & ad nos ab ipſo rerum omnium Auctore deſcenderit, non attollenda, ſed deprimenda mentis noſtræ fiducia comparatur. Quo minus enim nobis adrogamus, eo majora feremus a Deo, qui dona ſua non pro acumine ac ſublimitate ingeniorum, ſed pro

pro modeſtia & demiſſione animorum ſua e ſolius beneficentia profert.

Quo plus igitur divinis pertractandis mens humana ſibi permittit, quoque ſuarum confidentia virium liberius exultat, eo minus aſſequitur, longiuſque a germano & nativo cœleſtium ſenſu dilabitur.

Hinc non mirum, ſi ea expreſſiora erant ſub Apoſtolorum ſimplicitate, quam ſub nova illa ſubtilitate Philoſophorum, qui ſacrorum librorum ſenſum a propria doctrina trahentes, plerumque tota erraverunt via, ſecumque tantam hominum turbam pertraxerunt, ut ſæpius ab inteſtinis factionibus Chriſtianorum, quam externis ab injuriis Eccleſia intremuerit. Unde, ut religionis veritas e diſputationum ambagibus eriperetur, convocanda fuit auctoritas & oraculum conſulendum Eccleſiæ univerſæ in conciliis Epiſcoporum, ubi communibus ſingularum Eccleſiarum vocibus privatarum opinionum ſeditio componebatur, editis canonibus, nempe regulis, quibus non modo ſenſus committeretur veritatis, cui hæretici ſuis argutiis inſidiabantur, ſed etiam comprehenderentur mores incorrupti veterum Chriſtianorum; quos mores prava vivendi conſuetudo penitus deleviſſet, niſi univerſorum Præſulum ſtudia, teſtimoniis ex toto terrarum orbe conductis, duce atque auſpice ſummo Pontifice, Chriſtianæ inſtitutionis memoriam uſque ab Apoſtolorum ætate repetiiſſent, ut in tota canonum ſerie, per plurium ſeculorum curſum ad nos uſque deducta, imaginem Apoſtolicæ vitæ, velut in ſpeculo, contemplemur.

Et quoniam verba nulla ſunt ad ſententiam exprimendam aptiora illis, quæ cum re ipſa in mente naſcuntur, quæque germana ſunt primarum ſimulacra cogitationum; ideo ſincerus Apoſtolicæ inſtitutionis & Eccleſiæ univerſæ ſenſus non aliunde melius colligitur, quam e lectione ipſa Canonum, qui Evangelicis ſenſibus, & Apoſtolicis conciliorum vocibus contexuntur. Quam nobis lucem prope abſtulerunt immania volumina privatorum interpretum, quibus priſcus candor obtenebratur, ut, quo longius per interpretationes aliorum a primis auctoribus evagamur, eo turbatiores hauriamus opiniones. Nam ſicuti rivus longius a fonte diſcurrens venam obliviſcitur ſuam, imbuiturque terrarum ſapore, qua perfluit, ita procul a ſuo capite per aliorum ingenia traducta veritas affectiones imbibit ſingulorum, exutoque ſplendore nativo, colores mentium atque opinionum ſuſcipit alienarum; ejuſque lumen, veluti ſolis radius de una rerum facie in aliam ſæpius remiſſus, crebris inciſionibus & iteratis caſibus elangueſcit.

Quid igitur miremur amplius tantam noſtrarum ſententiarum & morum cum veteribus dictatis atque inſtitutis diſſenſionem & pugnam, ſi veritatem amplius in domicilio ſuo non quærimus, relictaque radice commentitios excutimus ramos, volvimurque aſſidue per ineptias interpretum eorum, qui canonum verba violenter torquent ad ingenium ac tempus lucrumque ſuum; quippe pulſa e Chriſtianis moribus veteri ſeveritate, novam ignotamque morum attulere licentiam, Chriſtianam inſtitutionem ex auſtera & gravi remiſſam reddentes atque præfractam.

Et ne, reviviſcente antiquorum canonum ſtudio, fraudis ſuæ redarguantur, auctoritatem nituntur omnem vetuſtati detrahere, tanquam veteraſcere queat id, quod eſt æternum ac temporis expers, qualis eſt ſapientia virtuſque divina, quæ immutabilis cum ſit, de ſe ita prædicat: *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quidquam fieret a principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret;* aut tanquam Chriſti præcepta, perinde atque eorum ingenia, temporibus & potentiæ famulentur, vel tanquam recta ratio ſimul cum humanis moribus convertatur.

Quamobrem privatas opiniones, privatoſque ſenſus unius aut alterius familiæ, non tam a divinarum, quam ab humanarum rerum ſtudio profectos, prius doctrina ſententiaque Eccleſiæ univerſæ fraudulenter obducunt, ut apte in eos cadat illud Antonii ad alterius factionis homines: *Caſtra Pompeii Senatum appellatis.* Atque ita audent corruptelas ſuas antiquitati præferre, quaſi ratio Chriſtianæ inſtitutionis, & lex interior exteriori mutatione ac novis interpretum deliriis extingueretur.

An enim Eccleſia dimiſerit unquam ſuſceptum ſemel pietatis & juſtitiæ ſenſum, qui divinæ portio eſt, & immutabilis immortaliſque naturæ? An verſatilem nobis Chriſtus tradidit volucremque doctrinam, ut quæ Apoſtolorum tempore vera fuit ratio

pie-

Digitized by Google

pietatis, ea mutatis moribus hominum dilabatur. An quia non amplius Eccleſia exigit a nobis exteriores illas pœnas, ideo condonatos nobis reputavimus actus internæ virtutis, quibus pœnæ illæ reſpondebant, quippe laborioſis earum adſpectibus exprimebantur.

Etenim exteriora opera pietatis, qualia ſcilicet ab Eccleſia injunguntur, quid aliud ſunt, rogo, niſi pietas interior, tanquam arborum ſuccus in fructus & palmites erumpens? Quid niſi virtus animorum occurrens oculis, & corporeæ imagines internæ ſanctitatis? Hæc ſi non omnia, neque ſemper, neque ab omnibus pœnis Eccleſia judicialibus in vita repoſcit; nihilo tamen minus exigit a nobis animum ad ea pronum atque compoſitum. Qui ſi vera pœnitentia teneatur, ultro ſubibit mœrores & luctus, cœleſtium curarum umbras & nativos pietatis ſinceræ colores; ultroque corpore ac mente jejunans, abſtinebit voluptatibus iis, unde culpam contraxit, ac ſponte ſua pœnas amplectetur, peccatorum ultrices & comites voluntarios virtutum Chriſtianarum.

Humanam nimirum naturam, ad divinitatem potiundam ab initio procreatam, ac deinde progenitoris noſtri vitiô a ſpe illa prolapſam, priſtinum in gradum ac ſortem Deus reſtituit eadem noſtra natura induenda, ſuſcipiendiſque hominum in ſe culpis, quas oblatione ſui ipſius & vitæ profuſione mirabiliter expiavit. Etenim nihil perfectioni magis, quam vitium adverſatur: unde, ut a Deo reciperemur, malum infinitum infinita bonitate fuit exhauriendum. Nos vero, Chriſti morte reviviſcentes, vires identidem adquirimus ad divinarum virtutum imitationem; in quibus niſi vitam tranſegerimus, vita migrantes divinitatis commercium fruſtra ſperemus. Nihil enim Deus amplectitur ſibi diſſimile: ſolis autem virtutibus divinæ naturæ imaginem reddimus; nimirum, ſi pœnitendo Chriſti merita nobis adſciverimus, caventes in poſterum, ne amore caducarum rerum, immortalibus mortalia præferendo, infinitaque injuria, quod ad nos attinet, naturam divinam afficiendo, in imum denuo miſeriarum devolvamur.

Qui rerum caducarum amor, in ſingulos actus noſtros aſſidue obrepens, pœnitentia eſt etiam aſſidua depaſcendus, & abſtinentia extenuandus, ut unde ille cedit, eo ſubeat amor divinitatis, ac ſtudium virtutum æternarum, quarum impedimenta pœnitentiæ operibus removentur: ut, quæ videtur diſciplina ſeverior, ea revera ſit ducenda mitior, cum præparet abdicationem ſui ipſius, quo unice ſpectare debemus, & abſtinentiæ conſuetudine acerbitatem extinguat illam, qua humani ſenſus afficiuntur, cum primum abducuntur a diuturno uſu voluptatum, unde certe ſumus abducendi, ſi propoſitum nobis finem attingere cupiamus. A quo niſi æternum aberrare velimus, præſtanda nobis erunt ea, quæ Chriſtiana religione profitenda ſpopondimus. Et quia Deo placere non poſſumus, niſi diſpliceamus nobis ipſis, cum ſtudio rerum creatarum ſui etiam ipſius amor eſt in primis abjudicandus, nec fructus mortalium bonorum, ſed uſus tantummodo capiendus; itaque in hac vita manendum, tanquam ſi ſingulis momentis ſit exeundum.

Ad quem animus ſola pœnitentia comparatur, quæ ſubtrahendis rebus, ac ſenſibus atterendis vitam traducit ad conſuetudinem mortis: ut, quo pluribus viventes abſtinemus, eo morientes minus amittamus, minus contriſtemur: cum vivendo totidem gradus mortis ſuperaverimus, quot ſenſus nobis extinximus rerum humanarum. Unde quod voluptuoſis extremum eſt vitæ, id pœnitentibus extremum eſt mortis & vitæ immortalis exordium.

Abeant igitur ſuæ cum doctrinæ blanditiis noſtrates magiſtri, qui, ut ait Ennius, *ſui quæſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias*, quique abſtinentiæ deſuetudine tenacius implicant animos rebus caducis, & negligentia pœnalium operum in vita difficultates omnes coacervant ad tempus mortis, ut, cum hominem tamdiu prodiderint cupiditatibus, cogant eum contra dominos & diuturnos ſuos poſſeſſores dimicare, poſtquam opes vireſque omnes longæva mentis, & proxima corporis ægrotatione conſumſerit. Faceſſant a Chriſtianorum ſcholis fallaces illæ diſtinctiunculæ liquidorum & ſolidorum, quibus jejunium reſtinguendarum cupiditatum remedium potentiſſimum ſuſtulerunt, quibuſque, ut D. Hieronymi verbis utar, *abſtinentiæ nomen quæſivere* deliciis; ut audeant,

audeant, o frontem hominum! præter horas cibo ſtatutas permittere jejunantibus indicas potiones, non modo contra jejunii naturam & legem triſtitiæ nutrientes ac ſenſus oblectantes: verum etiam contra commune fas hominum vetitas cupidines incendentes.

Ultro a nobis abigamus fraudulentas illas honoris exæquationes cum vita, in quibus interpretes, privatam injuriæ ultionem inter Chriſtianos inducentes patientiæ legem penitus evellerunt. Exulet etiam, & Pontificiæ vocis imperium aliquando vereatur opinio eorundem illa, quæ cum carnis uſu reliquam abſtinentiæ obligationem exſolvebat.

Ac ne per ſingula portenta opinionum in infinitum excurramus, reſpiciant aliquando divini juris fontes, ejuſque non verbo, ſed vim poteſtatemque tenentes, dimittant captiunculas illas ſuas, quibus verborum apiculas aſſidue aucupantes, honeſtaque nomina vitiis imponentes, laxiores regulas humani commercii peſtes, fallaci ſacrorum canonum explicatione in priſcæ diſciplinæ perniciem ſibi adrogata, tamdiu protegunt.

Etenim vero pudeat vos divinitatis interpretes, integritate atque candore ſententiarum ſuperari a veteribus Juriſconſultis, qui cum nulla vera religione, ſed ſola honeſtate naturali emendarentur, controverſias tamen morum longe definiere ſeverius, & interpretationis regulas longe tradidere graviores. Quas utinam præceptores vos noſtri aut ab illis arripuiſſetis, aut arreptas rerum humanarum cauſa non abjiciatis. Dupliciter, Paulli & Ulpiani ſententia, lex infringitur, aut cum contra legem aliquid committitur, aut cum callida interpretatione ſenſus illius eluditur, illud contra legem eſſe dicunt, hoc in illius fraudem. Contra legem facit, inquit Paullus, qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem vero, qui ſalvis verbis legis ſententiam illius circumvenit. Quid enim conſervas mihi ductim, ſi ſententiam diſſolvas, licereque putes, quidquid nominatim non prohibeatur? cum præter expreſſa occurrant alia innumera, quæ occulto legum judicio damnantur; quæque fidus & candidus interpres, uti rectus miniſter earum ad tribunal pertrahit conſcientiæ ſingulorum: qui, niſi ſibimet auctoritate fallacium interpretum aſſentarentur, in ſententia legis ultro concederent, cum multo plura comprehendat ſenſus legis, quam ſonus verborum, quia, ut ajunt Juriſconſulti, longe plura ſunt negotia, quam vocabula. Hinc ſubjicit Ulpianus: *fraus legi ſit, ubi, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit*: & quo diſtat *ῥητὸν ἀπὸ διανοίας*, id eſt, *dictum a ſententia*, hoc diſtat fraus ab eo, quod contra legem fit. *Non enim oportet*, ut leges ipſe clamant, *jus civile captare, neque calumniari, ſed qua mente quidque dicatur attendere*. (*a*)

Tu vero, noſter miſericors, qui aliis libenter indulges, ut largius indulgeas tibi ipſi, quo gratior ubique ſis, & proceribus præſertim acceptior, dum verba legis teneas, nihil pendis conſilium legiſlatoris; ut ſi quis extremam paupertatem hac formula imperaverit, *pecuniam ne attingo*, tu noxam omnem amótam putes, dum quis manus a nummis abſtineat ſuas, dextera vero præter neceſſitatem utatur, & opera miniſtrorum: quæ ſi ratio valeret, nihil pauperius eſſet Regibus atque Tetrarchis. Mendacium aliis noxium leges univerſæ damnant: at tu bone confeſtim crimine liberas eum, qui verbum jaculetur anceps, ut audiens in fraudem inducatur, quaſi leges verba mendacii prohibuerint, non animum nixumque fallendi: nec tibi videris diſſolvere legem, quando ſtatuentium voluntatem hac præſtigiarum arte fruſtraris, qua, ubi e re tua fuerit, nigra in candida continuo vertis, ac, juxta Æſopicum illud, eodem ex ore frigidum & calidum efflas: Quamobrem vos ita notavit Comicus illis verbis: (*b*)

Rogationes plurimas propter vos populus ſcivit,
Quas vos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam,
Quaſi aquam ferventem frigidam eſſe ita vos putatis leges.

Atqui non ita Lacedæmonii divitiarum interdictionem a Lycurgo, neque mendacii prohibitionem a ſuis venientibus legibus Perſæ acceperunt: Chriſtiani, vero qui exem-

(*a*) *L. penult. ff. ad exhib.*

(*b*) Plaut. *in Curc. act.* 4. *ſc.* 2. *v.* 25.

exemplis innocentiæ atque candoris populos ad nos olim traximus univerſos, nunc proh pudor! adeo affectionibus propriis puriſſimæ ac ſimpliciſſimæ legis verba conturbamus, ut officiis noſtris juſti atque injuſti diſcrimen fere ab univerſorum oculis abſtulerimus.

Quamobrem quæſo vos, novarum interpretationum auctores, ſi quem Chriſto habetis honorem, cui profecto credo vos habere plurimum, nolite obſecro committere amplius, ut illud in noſtros mores ab hoſtibus conferatur, quod ſuis de temporibus Livius pronunciavit: *Nondum*, inquiens, *quæ nunc tenet ſeculum negligentia Deorum venerat, nec interpretando ſibi quiſque jusjurandum & leges aptas faciebat, ſed ſuos potius mores ad eas accommodabat.*

Nolite denique nos obtundere amplius, ac regerere commentitium illud veſtrum Eccleſiæ ſilentium, quaſi tacendo illa contra innovationes veſtras antiquas pietatis leges abrogaverit. Neque, ſurdi cum ſimus, mutam exiſtimemus Eccleſiam. *In plateis*, inquit Salomon, *divina ſapientia clamitat, in ſummis excelſiſque verticibus ſupra viam in mediis ſemitis ſtans juxta portas civitatis in ipſis foribus*. Loquitur nimirum Eccleſia, loquitur ſemper & perpetuo clamitat ſacrorum canonum vocibus, quamvis nos longa deſuetudine non amplius exaudiamus.

At ſi ſacrorum canonum codices evolvere pigremur, quin mentem vertimus ad ſolemnes Eccleſiæ cærimonias, & ad pſalmos atque hymnos, qui ſacris peragendis quotidiano cantu funduntur, e quibus vocibus quid aliud acceperimus, niſi rerum omnium contemtum & abſtinentiam voluptatum artemque noſtrorum ulciſcendorum criminum. Reſonant perpetuo templa pœnitentiæ præceptis, & Prophetarum, Apoſtolorum, atque Evangeliſtarum ſcriptis prælegendis abſtinentiæ legibus reboant ædes ſacræ, nunciantque parietes ipſi priſcæ præcepta virtutis, per ſacros omnes impreſſa ritus: nos vero, vel quia corpore præſentes, mente abſumus; vel quia melodiam auribus, non vero pietatem animo captamus; vel quia longa negligentia obcalluimus, pro ſaliaribus carminibus & veterum mancipationum formulis documenta illa pietatis accipimus, & Eccleſiæ vocem, inde prodeuntem auresque noſtras fruſtra verberantem, quærimus in privatorum quæſtuoſis opinionibus, & ſui ipſius amore corruptis, puramque Canonum & ſacrorum librorum ſcatebram deſerentes, ciſternas petimus diſſipatas.

Verum, ſi ad verba Canonum obſurduimus, oculos tamen attollamus ad viam iſtam diſciplinæ veteris imaginem; quam, ut conſpectior eſſet omnibus & temporibus & gentibus, inſculpſit nuper Deus in ipſomet Eccleſiæ capite CLEMENTE XI. cujus ex ore atque operibus vera pietas vocem & faciem emittit ſuam. Neque enim ille alio nomine maximam, quam diu recuſavit, ſacrorum poteſtatem accepit, niſi ut ſummum ſubeundo moleſtiarum, & extremum ſeveritatis & abſtinentiæ ſibi & ſuis imperando; immortalibus concionum ſuarum verbis, perennibuſque Chriſtianarum virtutum exemplis panderet omnibus verum Eccleſiæ ſenſum, & priſcæ diſciplinæ lucem reſtitueret.

Atqui, ſi oblivione veterum canonum effluit nobis graviorum præceptionum utilitas, nihilo majorem fructum capimus e legibus humanis, quas rabularum ſtrepitus, & procellæ forenſes pene merſerunt. Quotuſquiſque enim eorum, qui foro ſunt operam daturi, hac ætate ſtudium Romani juris ab ipſo contextu legum auſpicatur, & non potius a jejuna & exili aliqua congerie ſterilium definitionum ac puerilium regularum? quas ubi ſex menſibus defunctorie percurrerint, & aliquantiſper indicem aliquem rerum judicatarum perreptaverint, continuo ad ſubſellia prodeuntes, tanquam ex tripode fundunt juris oracula: ut noſtris temporibus frigida fuiſſet ac tenuis illa tua gloriatio, Marce Tulli, qui Servio Sulpicio, ſi tibi ſtomachum moviſſet, Juriſprudentiam triduo profeſſurum te minitabaris: id enim jam de ſe nobis quiſque puerulus pollicetur, dum elementorum literariorum ordinem teneat memoriter, quo ſit ad confulendos indices librorum idoneus, & primoribus labris ſordes illas conſceleratæ Latinitatis attigerit.

Proh veſtram fidem! Quirites, quo ruunt mores legeſque illæ, quibus condendis omnem Græcam ſapientiam ad vos traduxiſtis, quarumque ſalubritate nationum omnium vitia emendaſtis? En quo vergit ſanctitas legum illa veſtrarum, quæ vobis jus in animos

mos & corpora tribuere barbarorum; quibus bello perdomitis, communione Romani juris non ſervitutem inhumano & bruto Perſarum Aſſyriorumque more, ſed rectum afferebatis uſum libertatis, quam leges veſtræ diſtributione rationis, & exercitatione juſtitiæ a violentia & a vitiorum nexibus expediebant. Quo nomine, Quirites, juſta bella ſemper & pia geſſiſtis, juſtumque in orbem terrarum imperium vobis paraſtis. Jus enim naturæ ipſum, quo immanitas rationi ſubjicitur, ſubegit legibus veſtris barbaras gentes. per vos ad humanitatem a feritate traductas.

Has, obſecro, leges, Quirites, eone tradidiſtis aliis, ut vos amitteretis, an potius ut in illis gloriam perpetuo conſervaretis veſtram, & apud omnes populos Latinæ locaretis fundamenta virtutis? quo, ubicuncunque jura veſtra conſiſterent, ibi, erepta quamvis dominatione, nomen tamen & prudentia regnaret, ac juſtitia nunquam interitura Romanorum. Quæ, diſſoluta militari diſciplina, per quam terrarum orbem diu coercuiſtis, omnia tamen vivunt adhuc, viventque ſemper in Latinis hiſtoriis & legibus, ad quarum contextum ſi mentes referetis, & earum ſententiam, quam vel ignorantia, vel verſutia forenſis interpolavit, repetetis e ſcriptis ipſis conditorum, & mentibus majorum, unde deſcenderunt, occurſu atque conſuetudine ſimilium ingeniorum priſcarum virtutum ſemina continuo veſtris in pectoribus refloreſcent, alenturque memoria laudum legumque veſtrarum: a quarum diuturna lectione rationem accipietis, qua caſus omnes regatis humanos, vertenteſque vos in veterum formam animorum, revocabitis Romanos mores, diſcetiſque ab illis lenitudinem cum ſeveritate miſcere, ſummumque jus æquitate temperare, providere ac præcidere captiones, tamdemque aſſueſcetis cogitare atque invenire ſimilia. Eodemque ſtudio patebunt etiam vobis aprici amœnique receſſus non Latinæ modo, ſed Græcæ etiam erudirionis, quæ noſtris eſt interſperſa legibus e Græca ſapientia natis, & Græcarum diſciplinarum fructu per Juriſconſultos veteres enutritis.

Ut non mirum, ſi contemta in foro cognitione antiquitatis, legum quoque uſum amiſerimus, earumque locum ſubjerint opiniones inconſultæ atque avaræ pragmaticorum, ſive potius tabellionum atque ſcribarum, quarum turbinibus adeo Romanæ ſanctiones obruuntur, ut ſublata juris poteſtate ubique dominentur arbitria, nec jam homines legibus, ſed leges hominibus obſequantur, neque ad aliud ſupereſſe videantur, niſi ad triſtem reminiſcentiam antiquæ majeſtatis. Adeo ut de noſtris temporibus Plautum vaticinatum exiſtimem, cum ait:

Mores perduxerunt leges in poteſtatem ſuam.

At vos, qui Romana jura impune, imo & ingenti veſtro cum lucro ac dignitate conturbaſtis, contenti ſaltem fuiſſetis veſtra fallendi felicitate, neque librorum veſtrorum peſtilentiam poſt mortem veſtram nobis reliquiſſetis, in fraudem conjicientes poſteritatem, depulſam per vos non modo a primis conditoribus juris; ſed ab Accurſianis etiam, & Bartolinis aliiſque melioris notæ interpretibus, tanquam ab auctoribus nullius uſus. Vah homines emortui pudoris! Ecquid erubuiſtis imperitiam veſtram defendere mentitia legum deſuetudine, ac ſubducere aliis, quæ vos propter barbariem & ignaviam veſtram, & præcipue propter ignorantiam Latini ſermonis omnino deſperaſtis? Itane vero? Quoniam orbem Romanæ juſtitiæ ad univerſa patentem, & humanos eventus omnes caſuſque ſingulos civilis vitæ, vel expreſſe, vel tacite comprehendentem, pro modo ingenioli veſtri ad paucas contraxiſtis quotidianarum quæſtionum: ideo nos reliquas controverſias infinitas vobis ignotas non ex legum codicibus, neque ratione ulla ducta e radicibus juris; ſed ex auctoritate, ſive ex erroribus veſtris definiemus? cogemurque univerſi deſipere propter deſipientiam veſtram, qui labem hanc in Juriſprudentiam effudiſtis, quique majeſtatem ac reverentiam legum transtuliſtis ad ſomnia privatorum & ad res judicatas? ut Romana monumenta boni & æqui averſa videamus ab uno aut altero indocto & mercenario emtoque ſcriptore, cui auctoritatem peperit error in plurium ſcriptis aut fraudulenter, aut imperite multiplicatus.

Hanc obſecro librorum inſaniam, & legum veſtrarum calamitatem atque contume-

tumelia depellite aliquando, & mercimonium hoc nugarum procul auferte, Quirites, redeuntes ad Juſtinianeos libros, nempe ad ſedes ipſas Romanæ Juſtitiæ, de qua ſi hominum pravitate opes haurire non licuerit tantas, quantæ ab injuſtia & ignorantia profluunt, animum tamen priſcum illum inde recipietis veſtrum opum fortunarumque contemtorem, & immortalium bonorum compotem, virtutum nempe maximarum, quæ a Romanis proficiſcuntur inſtitutis. Quibus e legum veſtrarum ſanctimonia ſuſcitatis, Latina Juſtitia Latinumque nomen impoſterum imperabit.

O R A T I O

DE INSTAURATIONE STUDIORUM,

Ad Clementem XI. Pontificem Max.

CUpientem ſæpe numero me retegere vitia ſtudiorum, & rationem emendandarum artium diuturnis cognitionibus mihi collectam pendere meditantem, revocavit modo ſemidoctorum inſolentia, qui rationibus iiſdem, quibus doctrinæ formam peperere ſibi, vitia tuentur, audacia nempe ſua & errore alieno; modo vero in tanta oblivione publicæ utilitatis abduxit exitus aliqua deſperatio: cum animo vix unus aut alter occurreret, qui quam poſſet maxime, idem & vellet opem ferre doctrinis.

At poſtquam, CLEMENS OPTIME, divinarum humanarumque rerum poteſtas ad te devenit, & literæ ſpem, innocentia ſecuritatem recuperaverit; redditus eſt etiam ille mihi animus erga ſtudia, quem abſtulerat obtrectatio perditiſſimorum hominum, qui cum gravioribus doctrinis iraſcerentur, & literulis eorum ridicule inflarentur, ſuum in me ſtomachum eruperunt, quem voce atque ſcriptis cultum ſeveriorum artium excitaturum ſuſpicabantur; fuiſque vitiis mihi per ſummam impudentiam tributis, meam tenuem qualemcunque operam ſtudioſis eripere voluerunt.

Quando igitur nos, qui vix per livorem & inſolentiam illorum recte ſentiendi facultatem retinebamus, nunc tuo ſub imperio libertatem etiam recepimus recte dicendi, ut jam liceat impune præ nobis ferre meliora; non gravabimur ea repetere animo, atque in medium adferre, quæ diffluxerant; nec pudebit eadem ad tuum, SAPIENTISSIME PONTIFEX, adducere judicium, ut, omnia ſi reſpueris, nos errore liberemur; ſi quæ vero tibi probentur, ea conferantur ad emendationem ſtudiorum; itaque alterutrum vel mihi privatim, vel aliis publice proſim; præſertim cum ſtudiorum regimen nuſquam ſit magis quam Romæ neceſſarium, ubi præmia potius doctrinarum, quam ipſe doctrinæ appetuntur: ideoque plura perturbate ac præmature arripiuntur ab adoleſcentibus, opinionem tantum eruditionis, non ſine fraude publica, ſæpe apud Principes ambientibus. Etenim utilius eſt cum publice, tum privatim ignorare prorſus literas, quam profiteri falſas, cum longe crebriores errores ex variarum rerum confuſa cognitione, quam ex earum ignorantia oriantur. Quo plura enim perverſe diſcimus, eo majorem facultatem ad alios ac noſmetipſos decipiendos adipiſcimur.

Quod ſi ſtudia literarum ab recta inſtitutione deerraſſe oſtendero, ut certe deerrarunt, per quem unquam reducentur in viam, niſi per eam poteſtatem, quam ingeniis & moribus expiandi, atque ad rectam operum, & ſententiarum normam referendis CHRISTUS in inter homines locavit? Nam, ut ait Plato, non ſuam tantum Princeps debet curare, ſed & aliorum etiam colere atque augere virtutem. ἄρχοντος, inquit, ἐςὶν οὐκ αὐτὸν μόνον ἀγαθὸν εἶναι ἀλλὰ καὶ τῶν ἀρχομένων ἐπιμελεῖσθαι, ὅπως ὡς βέλτιςοι ἔσονται.

Eam vero poteſtatem quiſnam mortalium ad cultum literarum libentius quam tu flexerit atque felicius, qui per doctrinarum ſeriem, continenti laborum curſu ad hunc dignitatum verticem evolaſti; quique privatus adhuc regiam beneficentiam bonis artibus adeo exhibuiſti, ut literarum tutelam in morem tibi verſam, etiam antea crediderimus, & quidquid ſummum eſt Pontificiarum curarum, non tantum ex lege muneris tui, ſed proprio Marte videare præſtiturus.

Quod igitur omnium philoſophorum ſententia traditur, virtutum & vitiorum initia

tia, & progreſſus oriuntur ab educatione puerorum: irritæ ſunt enim leges, niſi educatione in animis hominum inſerantur. Unde Diotogenes Pythagoræus, *Τὼς δὲ νόμως*, inquit, *ὐκ ἐν οἰκήμασι, καὶ θυρώμασιν ἐπήμεν δεῖ, ἀλλ' ἐν τοῖς ἤθεσι τῶν πολιτευομένων, τὰς ἐν ἀρχᾷ πολιτείας ἁπάσας, νέων τροφά.*

Leges non ſunt domibus & oſtiis, ſed in civium ingeniis includendæ. Unde autem civilis regiminis initium? a juvenum educatione. Sic ille. Neque enim edictorum frequentia, ſed recta inſtitutione vitæ ac perſuaſione virtutis vitia tolluntur, quia non pœnis hominum animi, ſed doctrina mutantur. Quamobrem qui remedia vitiis adhibent ſine malorum extirpatione per bonam educationem, imitantur eos, qui victus ratione minime mutata pharmacis utuntur, e quibus nulla ſanitate corporis morborum ſollummodo mutationem ac varietatem aſſequuntur. Puerorum autem ingenia propter flexilem ætatem & vacuitatem curarum, ſunt oppido idonea bonorum itidem & malorum ſeminibus concipiendis pariter atque retinendis. Quidquid enim in ſimplex ac nudum ingenium initio illabitur, brevi coaleſcit; atque ubi ſemel radices protenderit, nova & adventitia poſtmodum excludet. Virtutum autem, aut vitiorum amor arripitur ex eorum exemplo, a quibus homines educantur. Hinc ingenia nobilium puerorum, plerumque ſunt ad virtutem hebetiora, præſertim in Italia, quia hic educantur a mulieribus in roſa, inter gregem ancillarum, eis vili obſequio mollique cultu blandientium; proniora vero ad vitium propter inſolentiam laborum & conſuetudinem voluptatum. Ac ſicuti muliebri educatione pueri abducuntur a virtute, ita vulgaribus erroribus ab nutrice hauſtis deflectuntur in poſterum a veritate; ut non mirum, ſi poſtea, dum veros rerum æſtimatores audiunt, quæ veriora ſunt, ea ducant abſurdiora.

Sed jam ad incommoda tranſeamus, quæ veniunt a viris, ac primo a præceptoribus Latinitatis, qui nihil magis laborant, quam ut augeant docendo difficultates, quas in Latinam linguam invexerunt multitudine atque involucris regularum, quibus addiſcendis abſumitur tempus longe utilius atque jucundius in vocabulorum explicatione, ac bonorum auctorum interpretatione traducendum. Etenim præceptis magis ad ſcribendum, quam ad intelligendum utimur: ſtultum eſt autem irretire præceptis ignorantem adhuc vocabulorum ſenſum & uſum, qui legendis tantum arripitur explicandiſque ſcriptoribus. Quorum conſuetudine nos nec opinantes regularum lucem animo concipimus; quam in regulas deinde ſtilus etiam incurret ipſe per ſe, more illorum, qui non arte, ſed natura loquuntur: cum ex naturali locutione regulæ, quas diſcimus, collectæ initio fuerint. Verum quia ſola conſuetudo non arcet errorum periculum, niſi præſto ſit ratio, quæ uſui tribuat auctoritatem, regatque certa cognitione ſtilum ſcribentis; ideo poſtquam peritior aliquanto qui explicandis auctoribus evaſerit, ſi ſe ad ſcribendum conferet, opus certis habebit, quibus ducatur legibus, ut, ſi quando imprudenter ab auctorum conſuetudine aberraverit, memoria præceptorum. Eſt enim difficile continere animo exempla ſingula: ideo ex pluribus eorum induſtria conductis communis quædam fuit colligenda & evocanda ratio, quæ peperit regulam formamque perpetuo hærentem animo, cogitationeſque noſtras dirigentem, quæ nobis adſit, ubi exempla deſtituant. Quo circa tum paucas (*) oportet eſſe regu-

(*) Scopum orationis ſatis monſtrat rubrica ejuſdem. Conſilium autem Auctoris de regulis paucis puero præcipiendis cuivis æquo judici probabitur. Ut enim regularum multitudine opprimitur & a ſtudiorum amœnitate repellitur puerilis ætas; ſic in lectione & uſu perpetuo auctorum veterum aluntur ſtudia ejuſdem regulis paucis. Minime enim ſuſcribendum putamus ſententie eorum, qui ſine ullis regulis ſolam lectionem ſufficere putant, cum longum iter ſit per exempla, breve per præcepta. Quamvis autem ſenſus communis docere videatur, ignota per nota innoteſcere, adeoque linguam Latinam, quod & Auctori videtur *pag.* 630. regulis vernaculis tradi oportere, noſque ea via pleroſque hodie in docenda ea incedere videamus, tamen minime animadvertere licet, hoc docendi genere multum profici. Ubi enim ſunt, qui nunc Latine melius ſcribant, quam olim Politiani, Turnebii. Scaligeri, Caſauboni, Gronovii, iis annis nati, quibus regulæ Latini ſermonis nondum niſi Latine tradebantur. Itaque dicendum eſt, regulas Latinas quoque, ſi paucæ ſint, iiſque a fido interprete lux effundatur, etiam ſua Latinitate juvare diſcentes, ut dum regulas diſcunt, exempla ſimul imbibant, imprimis cum contentio induſtriam noſtram acuat, eademque nimia rerum diſcendarum facilitate remittatur.

regulas, tum etiam uberes, lateque profuſas, ne ab exilitate multiplicentur, ut iis retinendis minime ſufficiamus, aut nimio ſtudio eas conſervare cogamur, diſtrahamurque ab aſſidua lectione veterum, itaque revolvamur ad plurium exemplorum difficultatem, cui vitandæ regulas invenerunt.

Igitur ſtatim puer flexiones nominum, aut verborum ſimul cum aliis grammaticæ rudimentis memoriæ mandaverit, ad ſcriptores eſt adducendus, eique, ut nobis olim diſcentibus mos erat, præbendus in primis Ludovici Vivis nitidiſſimus, atque utiliſſimus exercitationum libellus, e quibus domeſtica & familiaria primum hauriantur, atque quotidiana vocabula dicendique genera illa, quæ in uſu vitæ frequentius occurrunt: ita enim pueri notis in rebus matereque ſua intelligendi facilitatem invenient, & ſimul cum delectatione utilitatem. Quid enim inhumanius, quam ingenia puerorum expertia prorſus rerum humanarum, ignaraque omnino civilis vitæ irretire negotiis publicis aut Græcorum, aut Romanorum, in quibus veteres verſantur auctores, & ad obſcuritatem linguæ addere obſcuritatem factorum, quorum in vita nondum animo acceperunt exempla: qualis plerumque materies eſt epiſtolarum, & orationum Tullianarum, aliorumque librorum, qui pueris initio proponuntur: cum ante detinendi fuiſſent in humilioribus ac notioribus argumentis, atque a puerilibus exercitationibus traducendi ſtatim eſſent ad Phædri fabulas, & ad Terentianas comœdias; neque materie obſcuras, neque oratoria verborum circuitione moleſtas: cum ſententias Comici contineant in medio poſitas, & orationem fundant ſermoni familiari ſimilem, nullo nempe ſeveriori artificio inflatam, aut contortam; ſed fluentem & liberam, atque ſimplicem, cujus candorem & proprietatem illi ætati facile adhæreſcentem, ubi adoleverint, nec opinantes oratione reddiderint, atque ſtilo. Plautum tamen ad ætatem rejicimus grandiorem, atque ad maturius judicium, ne aut impuritate rerum, aut inſolentia verborum ſimplicitas puerilis imbuatur, utcumque iſte non modo copia, ſed & proprietate ſermonis, & lepore vernaculo ceteris fortaſſe fluat abundius.

Scriptores alii præter Comicos vel antiquarum fabularum exemplis referciuntur, vel negotiis plerumque implicantur publicis, ut, qui ſine fabularum, aut hiſtoriarum cognitione illos adierit, videatur ſine face per tenebras aberraturus, vixque unquam percepturus rerum ſenſus, quibus ignoratis vis quoque latet atque notio vocabulorum. Ideo in Ovidii libris Metamorphoſeon ſunt exercendi, donec mentes factis illis impleantur: cumque iis conjungenda Juſtini lectio hiſtoriarum, ut una opera cognoſcat breviter puer quidquid ficti, aut veri ferat antiquitas, uſque ad tempora Romanorum: quorum res geſtæ initio per compendium petendæ ſunt a Lucio Floro, & Vellejo, & ab epitome præſertim Liviana hiſce ambobus longe ſimpliciori atque candidori, utpote quæ res geſtas exprimat propriis & convenientibus verbis, abſque fuco & argutiis, quibus non ſatis Vellejus & Florus abſtinuerunt: unde periculum fuerit, ne puerorum animi fallacibus illis & meretriciis orationis ornamentis a nervoſa & virili ſcribendi conſuetudine abducantur.

Ubi autem breviter Græcorum & Romanorum tempora percurrerint, ac ſummam quandam acceperint eorum, in quibus aliorum ſive poetarum, ſive oratorum, ſive hiſtoricorum oratio frequentius vertitur, tum iis Princeps omnium ad perpetuam exercitationem ſtili tradendus eſt Cicero, explicatis ante brevioribus illius epiſtolis, orationibuſque facilioribus, promtaque ſimul vel ex Plutarcho, vel ex recentiori ſcriptore illius vita: ut ex factis peculiaribus illorum temporum Tulliana ſcripta clarius pateſiant. Eamque lectionem comitabitur Livius, Salluſtius, Cornelius Nepos, & Cæſar, quos excipiet ſtudium, & explicatio poetarum Virgilii potiſſimum, & Horatii, Ovidiique: etſi neſcio an propter ſermonis proprietatem præire debeat Catulli, Tibulli & Propertii lectio: quo enim iſti humiliora tractarunt, eo minus coacti fuerunt voces a nativa ſignificatione abſtrahere ad ſublimitatem novitatemque rerum. Atque ex his aliiſque ætatis aureæ ſcriptoribus, quæ Auguſti ævo concluditur, carpenda ſunt atque proferenda pueris faciliora ex ordine, atque honeſtiora, ut ſingulorum auctorum ingenium ſtiluſque deguſtetur: atque

que inter explicandum flectendæ ſunt mentes puerorum ad obſervationem ſyntaxeos cujuſcunque verbi, & agnitionem præceptorum, quæ commiſſa cum exemplis, & ad uſum aſſidua ſtili exercitatione traducta, firmius inoleſcent animis, quam recitata memoriter.

Porro in traditione præceptorum id meo judicio peccatur in ſcholis maxime, quod, quæ ad Latinæ linguæ intelligentiam requiruntur latine præbentur, atque ita obſcura per obſcuriora panduntur. Etenim regulæ ad auctorum ſenſus referandos inſtitutæ, ipſæmet indigent eadem clavi cujus uſum a regulis petimus. Quid autem abſurdius, quam petere lucem a tenebris, & linguæ intelligentiam quærere a præceptis eadem lingua nondum intellecta conſcriptis? Cum naturalis rerum ordo poſtulet, ut ad obſcura per aperta pergamus, ac vernaculis vocibus regula illa tradatur, cujus ad aliam linguam aperiendam eſt uſus. Et præterea longe facilius hærent memoriæ clara, quam obſcura præcepta. Nihil gravius enim, nihil ærumnoſius, quam ediſcere prorſus ignota. Quo novo ſupplicii genere afficitur ætas illa hominis maxime innoxia, nempe puerilis, quæ pœnas in ludo literario pendit ignorantiæ magiſtrorum.

Præter obſcuritatem, non leve incommodum parit multitudo præceptorum, & exceptionum, quarum copia regulam aliquando adeo extenuat, ut inutile fuerit redegiſſe in regulam, quod tot exceptionibus erat exhauriendum; quod accidit, cum paucis ab exemplis regulæ concluduntur: tum enim ex exemplis contrariis, atque de regula excluſis oriuntur exceptiones. Unde quo ſunt anguſtiora præcepta, eo magis & præcepta ipſa & exceptiones increbreſcunt, perinde atque hydra ſecetur. Quamobrem eas utiliores putaverim regulas & commodiores, quæ minores numero quidem ſint, complexu vero latiores, e quibus quam minimum carpat exceptio.

Igitur e tanto numero grammaticorum, is meo judicio ſtudia Latinitatis ineuntibus maxime proderit, qui e Sanctiana ratione ſuas eruerit regulas. Siquidem grammaticorum natio partim vetuſtior eſt, partim recentior. Vetuſtior grammatica non tam rationibus, quam obſervationibus coaluit, a quibus artem traxere ſuam Deſpauterius, & ejus diſcipulus merito laudatiſſimus Emanuel Alvarus. Prudentiores vero ad naturalem rationem, duce philoſophia, & ad ſimpliciora principia obſervationes revocavere ſuas, unde numerum regularum utiliſſime minuerunt: quorum princeps Julius Cæſar Scaliger, qui grammaticæ partes ad philoſophorum examen rraduxit, & Franciſcus Sanctius; qui ſyntaxin potiſſimum ab uſu adegit ad ſcientiam, eamque in multis dicendi generibus latentem per ellipſim expedivit: quorum e ſcriptis breves una & ampliſſimas compoſuere regulas Voſſius & Scioppius. Verum quia rationibus, quibus agglutinantur Sanctiana præcepta, puerilis ætas eſt impar, utcunque breviſſima illa ſint, atque ſimpliciſſima, ideo commodior erit ad ſcholarum uſum Voſſii grammatica minor, quæ hodie in ſcholis Belgicis celebratur. Ea enim & a philoſophorum ratione progreditur, & facilius flectitur ad captum puerorum; quorum ſi quis a ſcholis dimiſſus Latinitati ſtudere velit impenſius, ei labor eſt ſubeundus major, cumque veteribus nova conjungenda, & ad Scaligeri Sanctiique lectionem addendus etiam Alvarus, qui Deſpauterium ad aptiorem digeſſit uſum.

Verum quoniam eloquentia rebus conſtat & verbis, quæ rebus pandendis ſunt neceſſaria, ideo ubi pueri ſignificationes ordinataſque compoſitiones verborum calluerint, adducendi continuo erunt ad fontes rerum, quos minime aperit vulgaris illa ſteriliſque rhetorica, verborum potius coloribus notandis, quam ſententiarum radicibus proferendis idonea. Diſputaturus etenim copioſe aliqua de re atque eleganter, eam noſſe opus habet e ſuis cauſis, & percurrere ſingulas partes illius: huic enim, ſi ad eam cognitionem diuturnum auctorum uſum adjunxerit, verba ipſa de re ultro ſe offerent.

Hominum porro diſputationes omnes, vel in certis ſcientiis artibuſque verſantur, qualis eſt Juriſprudentia, ſcientia rerum naturalium, Aſtronomia, & artes denique omnes, quæ aut mente, aut lingua, aut manu expediuntur; vel occupantur in moribus hominum, ac regimine civili, rebuſque poſitis in communi cognitione atque uſu, nempe virtutibus & vi-

& vitiis, atque affectionibus animorum, negotiiſque privatis, aut publicis, quæ crebrius & facilius in conſuetos hominum ſermones incurrunt: ex quibus eorumque cauſis vetuſtiores Rhetores longe graviores atque utiliores, duce potiſſimum Ariſtotele, artem conflavere ſuam: quæ non tam in dipingendis imaginibus verborum conſtruendiſque membris orationis, & enthymematis elenchiſque nectendis; quam in exponendis humanarum cupiditatum & actionum cauſis, diſtinguendiſque virtutibus a vitiis laborabat. Quamvis autem aliæ artes atque ſcientiæ peculiares dignæ etiam cognitu ſint homini eloquenti, deque omnibus oblata occaſione diſputaturo: tamen, cum vis ingenii humani nequeat univerſa ſuſtinere, oratoris facultas potiſſimum redigitur ad mores hominum, & facta civilia, reſque illas, in quibus hominum omnis fere vita traducitur. Etſi haud negaverim, influere multa ex varietate cognitionis in os dicentis, quæ orationem illius reddunt pleniorem, etiam ſi de re vulgari loquatur: ita ut in humilibus etiam & quotidianis diſputationibus ingenium emineat ſapientis.

Sed quia res affectioneſque humanæ patere ſatis nequeunt e definitionibus Philoſophorum, niſi acceſſerit uſus hominum & lux commerciorum, ideo rhetorica illa veterum robuſtior & ad ætatem differenda maturiorem. Intereaque pueri, abſoluta grammatica Latina, eodem ſervato docendi ordine, quem in ea præſcripſimus, literis detinebuntur Græcis; quarum initia e Voſſii accipient grammatica minori, additis exercitationibus grammaticis in præcipuos ejus linguæ ſcriptores, quas ad Clenardum attexuit Anteſignanus. Eas continuo exercitationes excipiet Homeri lectio, qui omnium ſcriptorum inſtar erit: cum optimi quique ab eo profluxerint, vixque aliquod ſit, aut bene cogitatum, aut bene dictum, cujus primordia non ſparſerit Homerus; a quo nata eſt non Poetarum lingua modo, ſed & Oratorum, Philoſophorum, atque Hiſtoricorum; qui omnes ab Homero ſumſere lumina ſententiarum, & dicendi colores atque formas; ut is unus eloquentiæ ac ſapientiæ univerſæ commune ſit elementum. Ei vero interpretando facilitatem adoleſcentibus attulerit ſummam clavis, quam vocant, Homerica: cujus vicem ad ſcriptores alios explicandos præſtiterit Robertzonii Lexicon, ſive Schrevelius auctior: quo utentes neceſſe non habebimus veſtigare themata, ſive capita verborum irregularium atque defectivorum, ut vocant: etenim ibi modos temporaque omnia notata; eaque ſuis inflexionibus deſcripta inveniemus; ita ut a declinationibus nominum, & conjugationibus regularium verborum ſtatim vertere nos poſſimus ad jucundiorem exercitationem, nempe ad ſcriptorum interpretationem. Hoc enim lexico adhibendo de irregularibus verbis, atque defectivis, memoriæ noſtræ tantum hærebit ab uſu, quantum ad auctores ſuppetat intelligendos: ſiquidem hanc linguam ſcriptionis cauſa vel nullus addiſcet, (*) vel, ſi hoc etiam conetur, facilius poſt auctorum intelligentiam linguæ anomalias aſſequetur.

Eodem tempore, quo Græcæ docentur literæ, erudiri etiam poterunt adoleſcentes communioribus Rhetoricæ præceptis, quæ ſcilicet non tam ad inveniendum proſunt, quod unice a Philoſophia petendum, quam ad diſponendam & ornandam orationem: qualia ſunt ea, quæ in Rhetoricis ad Herennium continentur. Qui libri neglectis centonibus & ineptiis recentiorum, ſumma cum utilitate ſtudioſis anteponentur.

A vulgari Rhetorica, & a ſtudio linguarum conſuevere pueri ad ratiocinandi ac diſputandi artem, nempe ad Dialecticen, decedere, quæ perinde atque Rhetorica fuerit inanis, niſi materiam ſibi vel ex communibus rebus, vel e ſcientiis aliis contrahat. Quantumcumque enim quis definitionis regulas calleat, nunquam tamen recte ſine rei definiendæ cognitione definiet. Fac enim ſit quis legatum definiturus, qui legatum tamen ignoret, neque diſcrimen inter legatum & hereditatem intelligat, certe utcunque dialecticam ſuam

(*) Quam diſſimile hoc antiquis u:bis ſtudiis, quod Gravina quenquam futurum diffidit, qui Græca ſcriptionis cauſſa diſcere velit. Adeone linguæ alicujus ſtudium profitebitur ingenium nobile, quam non, ut legendo, ſic ſcribendo; imo fando quoque exprimere cupiat. Paulo poſt pro Cicerone, vel quiſquis is eſt, ad Herennium, quandoquidem hi libri valde ſteriles ſunt, commendarem Fabii *præcepta oratoria*.

ſuam excutiat, numquam neque fortuito, legatum delibationem hereditatis appellaverit. Contra vero ubi didicerit, hereditatem eſſe jus in univerſam ſucceſſionem; legatum vero particulam ex bonis hereditariis teſtamento detrahendam, etſi nullam definiendi teneat regulam, tamen tam perſpicue legati naturam nobis expediet, quam ſtructor murarius parietis, aut faber lignarius menſæ: ita ut in ſuo quiſque artificio, Dialectices omnino expers, tamen plus definiendo polleat, quam Porphyrius aliquis, aut Simplicius, aut Averroes, aut Philoponus, aut ipſemet Ariſtoteles, qui, cum ineruditorum opinione ſit in Dialectica legislator & princeps, ac pro inventore illius habeatur ab ignaris antiquitatum; neſcio quanta in rebus præſertim naturalibus & cœleſtibus ex vero definierit cum omnia ex arte definire contenderit. Pergamus vero, & a Dialectica diſtinguendi regulas petamus: uter quæſo heredum differentiam oſtendet expeditius, Dialecticus ne, an Juriſconſultus, qui probe tenet, heredum alios eſſe ſuos & neceſſarios, ut filiusfamilias, alios neceſſarios tantum non ſuos, ut ſervus: alios neque ſuos, neque neceſſarios, ut extraneus? an Dialecticus, qui vix heredum nomen fando acceperit? niſi multum referre putemus, quod dialecticus qui jura noſſet, hæc diſtinxiſſet longe ſubtilius, arteque ſua tria illa membra imparia redegiſſet ad æqualia duo, eorumque alterum in minora totidem diremiſſet, nempe ita: *Heredum alii neceſſarii ſunt, alii extranei; neceſſariorum vero alii ſui, alii non ſui:* Quæ diviſio quamvis e ſummo artificio veniat, adoleſcentibus tamen longe majus negotium faceſſit, utpote quæ mentes in æquo inſiſtentes, diviſione alterius membri deorſum trudat, nempe in duos illos inferiores gradus, in quos diviſit vir ille mirabilis heredes neceſſarios: cum ex alia pinguiori quidem, ac utiliori tamen atque faciliori, tria illa feliciter eademque progreſſione mentis recta percurramus. Propterea contenti fuerunt juriſconſulti multa diſtinguere, ac definire craſſius ne nimio artificio atque ſubtilitate ingenia diſcentium exeruciarent. Quorſum enim ea in dividendo ſuperſtitio atque anxietas, ſi res quibus aperiendis diſtinguendi ars fuit inventa, per pinguiorem diſtinctionem erunt longe promptiores; diſtinctio vero ſubtilior tenebras potius multiplicatione partium inducit, iiſque comminuendis res oculis ſubtrahit? Sed locos jam ſubeamus argumentorum, quos non Rhetores modo quæſtus cauſa, ſed & Cicero Senator Romanus & homo Conſularis tanti fecit, ut librum de iis conſcripſerit ad Trebatium; credo, ut tempus in eis addiſcendis poſitum lucraretur. Age itaque, num is, qui ſciat donationem cauſa mortis referri ad ultimas voluntates, probare non poterit eam eſſe revocabilem, niſi a nugigerulis noſtris didicerit, omnia, quæ conveniunt generi ſpeciei etiam convenire; propterea que revocabilem eſſe donationem cauſa mortis, quia ſpecies eſt ultimarum voluntatum, quod omne genus eſt revocabile? quaſi non ſatis fuerit enunciatum, ex jure illud aſſumſiſſe, quo totum argumentum ſine ulla ope dialecticæ concludatur. Tandem ut ad judicium de vero & falſo veniamus, cujus eruendi facultatem ſibi præ ceteris adrogant præſtigiatores iſti, per illas trutinas veritatis, quos modos argumentorum appellant. Nempe per monſtra illa verborum perterrefaciendis pueris inventa, *barbara*, ſcilicet, *celarent*, *felapton*, *feriſon*, & ſimilia: ſi Titius moriens centum habebat in bonis, adita vero hereditate reperiatur minus, hereſque legatis oneratus velit ea pro deminura parte deminuere repugnantibus legatariis; nonne ſatis erit habere a ſcientia juris regulam illam, quæ tradit in definienda quarta ſpectandam eſſe patrimonii quantitatem, quæ ſupereſt tempore mortis, non tempore aditionis, ut facile judicetur legatariis idem præſtandum, quod obtinuiſſent, ſi heres tempore mortis, confeſtim adiiſſet: an vero judicium hoc nullo modo proferetur, niſi contorqueatur arcus Dialecticorum, & argumentum conferatur in figuram illarum aliquam, quæ veluti picta tabella objiciat oculis hujus judicii veritatem, & homines de re contendentes trahat ad concertationem verborum? Quando igitur dialecticis regulis, neque ad inveniendam, neque ad ſecernendam veritatem opus habemus; num ideo hanc prorſus artem nobis tanto ſtudio a veteribus

com-

Digitized by Google

commendatam abjiciemus? minime id quidem. Etenim, utcunque ſpem fruſtretur noſtram, haud tamen indigna eſt, cui partem aliquam otii noſtri tribuamus, trium ſcilicet, aut quatuor menſium exercendo expediendoque ingenio, ut conſueſcamus introſpicere, ac rem volvere quoquo verſum per partes & genera: dummodo meminerimus hujuſce artis ſtudium non ſua, ſed aliarum doctrinarum cauſa ſuſcipiendum eſſe: ne, dum inſtrumentum excolimus, more ſcholaſticorum ipſum obliviſcamur opus. Illud etiam nobis perſuadeamus oportet, quæ faciliora ſunt hujus artis, atque breviora, ea uſus eſſe majoris, caveamuſque, ne pueros ad fallendum & calumniandum, inque rebus perſpicuis rixandum aſſueſaciamus, ut ſæpe inter diſcipulos tenebrionum uſuvenit: qui, dum inepte, ac ſumma cum patrimoniorum jactura garriunt in circis & crocitant, pro literariis exercitationibus exhibent populo deridenda ſpectacula, perinde ac ſi e plauſu ſtultorum Ædilitatem, aut Præturam, aut ſpem Conſulatus aſſequantur. Quamobrem prudentiſſime Plato non ante annum trigeſimum, poſtquam longo uſu per bonam educationem virtutes imbiberint homines, caute atque parce Dialectica præcipit imbuendos, ne acumine ſuo ſibi blandientes exerceantur contra juſtitiam & veritatem. Etenim, ait, adoleſcentuli diſputationes deguſtantes iis veluti per luſum in contrarias partes utuntur, invicem ſe redarguentes, ac tanquam catuli proximum quemque ſibi diſtrahentes, ac ſermone ſuo lacerantes; ideo non a ſenticeto labyrinthoque ſcholarum ars iſta petenda, ſed a candidiori aliquo cultoque ſcriptore, qui more veterum eam elegantibus verbis, ac Latinis potius, quam Gothicis, & Arabicis vocibus, quales nunc habemus, explicarit, ut ingenti cum laude fecit Groſcius; qui ſua in Dialectica & rerum delectum habuit & vocabulorum, quæ de Tullianis fontibus hauſit una cum exemplis, ad ſingulas Dialecticæ regulas accommodatis.

Cum autem Dialectica emendandæ menti potiſſimum ſtudere debeat, certe omnium hoc optime Geometria præſtiterit, quæ mentes ordine certo a certis quoque ducit, ſimplicibuſque principiis, unde obſcure diluuntur, diſſolutaque componuntur, & compoſita in ſuas dirimuntur partes, ut hac recta diſſerendi conſuetudine mens aſſueſcat ſemper inſiſtere ipſius rebus, atque ita omnis cogitatio ſerieſque omnis argumentorum progrediatur a veris, & mens exuat ſibi ſenſim quod e vulgari judicio temere ac ſtulte conceperat, neque deinceps admittat, niſi quod ordine illo expenſum fuerit & exploratum: unde hac una ſcientia veteres facile retexuntur errores novique præcaventur. Neque enim Geometria in ſola quantitate vertitur, ſed in rebus omnibus, quæ ordine geometrico pertractantur. Nam affectiones quantitatis minime Geometriæ ſubjiciuntur tanquam unicum illius opus, ſed tanquam exempla clariora & ſimpliciora, in quibus Matheſeos poteſtas magis perſpicua cernitur, utpote quarum notio ab ipſa natura mentibus imprimitur. Ceterum undecunque ratiocinando ita progredimur, ut e notis ignota devolvamus, & a ſimplicioribus ad compoſita ſuis feramur gradibus, ac dividendo a compoſitis ad ſimplicia deveniamus, ibi nihilominus atque in quantitatis affectionibus, mentem ad Matheſim exercemus. Si qua enim patere homini veritas naturaliter poteſt, ea ex ipſamet mente humana educitur, ſi confuſæ rerum notiones in ordinem ab adminiſtra veritatis Geometria tribuantur. Quidquid autem Geometriæ ſatis fuerit Profeſſori divini humanique juris, ad quem potiſſimum inſtituendum iſta meditamur, præbebit Euclides a Mercatore digeſtus. Cui ſtudio recte attexetur Aſtronomia, quam breviter arripere licuerit a Gaſſendo, itemque Geographia, quæ facile ac celeriter addiſcetur ab introductione Cluveriana, quam recens habuimus auctiorem.

Cum quis igitur per Dialecticam & Geometriam naturales animi facultates promorit atque direxerit, antequam doctrinas attingat alias, ad caput veritatis fontemque notionum omnium, nempe ad naturæ ſtudium, ſe tantiſper conferet, quoad generales rerum cauſas, & univerſitatis hujuſce generationem ordinemque, ac motum, ſive ortum interitumque rerum pro viribus mentis humanæ comprehenderit; ac ſi per ſingula non excurrerit, attamen proſpexerit univerſa, mentemque illam depoſuerit anilem, educatione muliercularum, & conſuetudine imperitorum ſom-

niis atque ineptiis circumfuſam: ut vel hoc nomine ſapere incipiamus, quod aliquando delirare deſtiterimus, ignorantiamque noſtram perſenſerimus; ac, ſi non hauriamus lucem, ſaltem tenebras excludamus. Summus enim eſt humanæ ſapientiæ gradus imbecillitatem propriam & perpetuam ignorantiam ſibi conſcire contemplatione principiorum. At undenam creperam hanc & dubiam utcunque lucem vulgares tenebras diſſipantem eliciemus? Num, quod quatuor jam ſeculis deploranda temporis jactura, & inexpiabili Sophiſtarum ſcelere fruſtra tentatur e ſcholis Peripateticorum? Cujus familiæ primores præſertim Arabes non alio admirabilem alioqui vim ingenii ſui tetendiſſe videntur, quam ad alimentum vulgarium opinionum, ope atque auctoritate Philoſophiæ, facultatem omnem dialecticam convertentes in munimentum præjudiciorum, docentes poſteros errare ſubtilius, verbaque ſenſu vacua, & e barbariæ fœcibus educta pro rebus ipſis obtrudentes. Quid igitur ſperandum ſupereſt ab ea ſchola, quæ tam longo curſu ſeculorum æſtuantibus innumerabilium hominum ingeniis nihil novi adhuc extulerit, neque ignoti detexerit quidquam; ſed vana opinione ſapientiæ curioſitatem, & facultatem etiam omnem inveniendæ veritatis abſtulerit? Quem ſane morbum non alia ratione pellere licuerit, quam cognitione ignorantiæ, quæ de Socratis diſputationibus animadvertitur: ut, ſi ante ſapientiam nobis adrogantes in nugis, tanquam ſolidis in rebus, acquieſcebamus, ſtultitia dehinc patefacta pergamus ulterius, & extrema tentemus, Platonem invocantes ducem, (*) qui, dum notiones temere acceptas oppoſitis, atque undique contractis rationibus exagitat, mentem ex falſa opinione ſcientiæ ad agnitionem ignorantiæ translatam ad eas attollit cauſas, e quibus pax atque tranquillitas oritur animorum.

Hinc Socrates, qui omnibus fere Platonicis in libris doctor inducitur, omiſſis cauſis rerum ſingularium quarum cauſarum cognitione minus indigemus, ſtudium complexus divinæ humanæque naturæ, atque univerſitati rerum, extraxit inde artem vitæ beatæ, omniaque contraxit ad uſum hominis, atque ad regimen doctrinamque morum, ut juſtitiam, quæ civitatem ſervat incolumem & ſingulis civibus tranquillitatem parit, urbibus præficeret, atque in mentium humanarum arce locaret, repoſitis aliis rerum naturalium ſtudiis ad curioſitatem potius alendam conferentibus, quam ad pacem procreandam animorum. Veritatem autem Plato non e fallacibus humanorum ſenſuum experimentis, ſed ex æterna divinitatis notione in animis noſtris inſcripta feliciſſime repetiit, ut fauſto ſidere ductus ad Chriſtianæ religionis oras ratiocinando fuerit appulſus. Is enim ſolidis, & ineluctabilibus argumentis dicit unum eſſe Deum, qui cura providentiaque ſua ſumma ſimul & infima, maxima pariter & minima complectatur, quique non donis & muneribus ex vitiorum proventu proficiſcentibus, neque ſcelerum fructibus; verum cultu virtutis & innocentia teneatur, ac ſola morum emendatione placetur, atque ita Poetarum theologiam explicuit ex erroribus vulgi, a quo inde ſuperſtitio illa ſumma veterum trahebatur. Philoſophi enim fabularum interiorem ſenſum eruerunt, & ex earum velamentis expedierunt naturalem divinitatis notionem, Dei ſimplicitatem aſſerentes, eique affectiones detrahentes humanas: ita ut ſtudio divinæ veritatis offenſionem incurrerint ignavæ ac ſtolidæ multitudinis, quæ Deos expetebat plures, in factiones diſtractos, & contagionis humanæ participes, quos nullo juſtitiæ ſenſu tantum cæſis pecudibus demulceret, tanquam non Dei *ſint omnes feræ ſilvarum*. Cum igitur Deos ideo vulgus coleret, ut perpetuos

(*) Exemplo Cardinalis Beſſarionis & Marſilii Ficini, Platoni ſtudere unice videtur Noſter, eundemque Ariſtoteli vehementer præfert. Plato tamen inprimis in Politicis methodi laude cedit Ariſtoteli. Noſtri utrumque commendare ſolent, quotquot non delectantur calumniis veterum. Siſti enim iiſdem ajunt, quicquid fuerit ſapientiæ veteris paganæ, cui quæ admixta ſint ſcoria, ſecerni debeant. Ex ſententiis, quas recenſet Gravina, apparet, neminem Platone propius Chriſtianis acceſſiſſe, quare & veteres Eccleſiæ Patres tantopere ſcriptis ejus delectabantur. Lites inter Platonem & Ariſtotelem componere tentavit Gabriel Buratellus in *conciliatione præcipuarum controverſiarum Ariſtotelis & Platonis*, edita Venetiis 1573.

petuos honorum, divitiarum, ac voluptatum largitores haberet: Philoſophis, qui benevolentiam Dei, virtutum exercitatione, odioque vitiorum excitandam præcipiebant, donaque impiorum indigna, & inviſa Deo reputabant, multitudo vehementer iraſcebatur: quia, ſublata ſuperſtitione amotiſque venalibus Diis, facultatem ſibi redimendorum criminum, & ſuarum cupiditatum adminiſtros ademtos arbitrabantur.

Plato autem, ut veram virtutem notionem ſuperſtitione avulſam animis redderet, hominem juſtiſſimum expreſſurus, amovit a juſtitia illius omnia lucra & præmia, quæ ab hominibus perſpectæ virtuti aliquando tribuuntur, eidemque homini juſto amorem ademit aliorum, ac famam etiam opinionemque juſtitiæ, ut, juſtiſſimus cum ſit, injuſtiſſimus reputetur: ne per opinionem juſtitiæ commodi aliquid, aut honoris ab hominibus aſſequatur: neve ad ejus virtutis cultum ab aliquo emolumento vocetur: ſed ſolius juſtitiæ ſuæ conſcientia beatus: pro nihilo ducat aliorum de ſe opinionem, unde juſtitiæ cauſa in odium univerſorum adductus, graviterque ac diu calumniis injuriiſque vexatus, tandem flagellis cæſus cruci ſuffigatur. Quam ſane perfectiſſimam extremæ juſtitiæ formam, poſt homines natos, in ſola Jeſu Chriſti perſona videmus exſculptam. Is enim, oratione atque opere juſtitiam redarguturus Phariſæorum, quæ tota verſabatur extrorſum, neque ſenſibus animi, ſed macie vultuque ac labiis & veſtibus exprimebatur, benefacta ſua tegebat, preces & jejunia mirabileſque actus ab oculis aliorum auferebat. Hæc enim ſæpe ſubiata plauſu & admiratione hominum, ab amore ſupremæ juſtitiæ ad humanæ gloriæ ſtudium traducuntur. Unde honores omnes & opes, propriique generis nobilitatem a ſeſe abdicans oblata ſibi regna repudiavit quo inter cetera ſignificaret, juſtitiam in ſemetipſa ſummum habere præmium, ac propriam felicitatem in Deo locare; cujus felicitatis partem nullam neque amore ſuo tribuerint homines, neque odio eripuerint. Ac tandem qui unus fuit juſtiſſimus utpote juſtitia ipſa opinione tamen hominum injuſtiſſimus, ſuſceptis in ſe omnium injuſtorum pœnis poſt longam & acerbiſſimam divini corporis lanienam, medius inter capitalium criminum reos, vitam in cruce profudit. Quo ſuum quoque juſtiſſimum hominem his verbis libro 2. *de Republica* Plato producit: Γυμνωτέος δὴ πάντων πλὴν δικαιοσύνης, καὶ ποιητέος ἐναντίως διακείμενος τῷ προτέρῳ. μηδὲν γὰρ ἀδικῶν, δόξαν ἐχέτω τὴν μεγίστην ἀδικίας, ἵν᾽ ᾖ βεβασανισμένος εἰς δικαιοσύνην. τῷ μὴ τέγγεσθαι ὑπὸ κακοδοξίας, καὶ τῶν ὑπ᾽ αὐτῆς γιγνομένων, ἀλλ᾽ ἤτω ἀμετάστατος μέχρι θανάτου, δοκῶν μὲν εἶναι ἄδικος διὰ βίου.

Et paulo inferius:

Ὅτι οὕτω διακείμενος ὁ δίκαιος μαστιγώσεται, στρεβλώσεται, δεδήσεται, ἐκκαυθήσεται τὼ ὀφθαλμώ. τελευτῶν πάντα κακὰ παθὼν ἀνασχιν διλευθήσεται.

Cum igitur Plato ex Clementis etiam Alexandrini, & priſcorum judicio Patrum adeo feliciter ad perfectam veramque juſtitiam ratiocinando collinearit; quis, obſecro, ſua ſine fraude neglexerit alimenta legis naturalis ab illius doctrina utiliter affluentia? & non rectius exiſtimaverit, (quod & ille profitetur in Epinomide) admirabilem illam ſapientiæ vim notitiamque rerum divinarum ab ſe ſcriptis traditam, commigraſſe in Græciam a Syris, quos promiſcue pro Hebræis accipiebant? itemque ab Egyptiis, quibus longa mora & commercia finitima Hebræorum non pauca, neque obſcura ſapientiæ divinæ oracula reliquerunt? Unde ad ſe Græci derivarunt non vulgarem illam & ſuperſtitioſam, ſed ſanctiorem, & retruſiorem Philoſophorum Theologiam, & Philoſophiam Poetarum arcanam, pro qua Socrates mortem oppetiit, multitudinem Deorum tollentem, divinæque naturæ ſimplicitatem a vulgi deliriis vindicantem, & beatitudinem in Deo ipſo & interna juſtitiæ perfunctione condentem; cujus notionem Egyptiorum ſapientes deterſerant ab Hebræis. Idem quoque Plato, haud ſecus quam Chriſtiani, amorem ſui ipſius fontem reputat malorum omnium, radicemque cupiditatum univerſarum, quibus humanus animus dehoneſtatur. Cum enim divinitatis luminibus ad immortalia feratur, dilectione ſui ad caduca deprimitur, mergiturque corpori voluptatibus; quamobrem qui corporis nimio amore ſui ipſius indul-

Digitized by Google

indulget, maxime detrahit menti, unde fons erumpit humanæ vitæ, quæ in cogitando ac percipiendo verſatur: ita ut morbus animo conceptus, in affectiones, facultates, actio-neſque hominis penetret univerſas. Iterum Plato corporea natura priorem atque antiquiorem oſtendit naturam eſſe animorum, ab eaque motus ducit initium, omnem præterea corruptionis cauſam illinc excludens, æternitatem aſſerit illius. Unde colligit, mentem primævam, & infinitam, quæ tempore infinito rebus creatis omnibus anteivit, immotam ipſam, omnia moviſſe, ac movere perpetuo: ut inde initium & progreſſus, generatio & interitus rerum devolvatur. Ex quibus non modo erroris convincuntur ii, qui naturam divinam funditus tollunt; ſed eorum etiam, qui Deum quidem aſſerunt; verum a cura & gubernatione rerum ejiciunt. Ubi enim Plato docuit, mentem infinitam eſſe corpore antiquiorem, facile comprobat, facultates ac virtutes infinitæ mentis, quæ in providendo regendoque verſantur, præiſſe corporibus motum a Deo ſemel acceptum perpetuo trahentibus: ex quo motu a voluntate divina rebus impreſſo, varietas rerum, & ſtatus earum exoritur: unde ſecluſa divinitate, quæ lucem rebus & vitam continenter tribuit, cæca & mortua eſſent univerſa. Oſtendit autem omnia corpora, & quæ a corpore procedunt, ſuimet interitus intra ſe cauſam continere; at animum ſolum, utpote imaginem divinitatis, qui vitam involuto ſibi corpori tribuit, excludere a ſe omne mortis initium; ideoque ſolum animum, pereuntibus rebus creatis ceteris, æterno tempore permanſurum. Verum Platonis cum religione noſtra conſenſum non eſt noſtrum explicare: cum id abunde, ac longe dignius præſtetur a veteribus Patribus, ab illius doctrina venientibus: quam doctrinæ Chriſtianæ præ ceteris interſeruit Auguſtinus; adeo ut Platonem non tantum pro magiſtro Philoſophorum, ſed etiam pro diſcipulo videatur habuiſſe Prophetarum, quem ſenſum ſchola Chriſtianorum uſque ad Bernardum SS. Patrum ultimum præ ſe conſtantiſſime tulit. Unde non mirum, ſi ſcholaſtici noſtrates, omnium Hiſtoriarum ignari, antiquitatem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, non tempore, ſed memoria metientes, & cognitione ſua, non ultra quatuor proxima regni Ariſtotelici ſecula tranſeunte, haud erubeſcunt ignorare Platonem, ac magiſtri loco ſubjicere diſcipulum: qui non modo præceptoris, unde abſtulit quidquid habet boni, & unde nunquam ſine famæ ſuæ ac veritatis jactura diſcedit; ſed & omnium ante ſe Philoſophorum doctrinam per ambitionem & malevolentiam adeo interpolavit, ut, ubi propria luce carebat, poſteris etiam inviderit alienam; rerumque cauſas, quaſi per ſe non ſatis ignotas, obruerit obſcuritate orationis: cujus artificio ita ſuos deludit interpretes & diſcipulos, ut, unde minora diſcuntur, inde majori ſapientiæ opinione ridicule impleantur.

Ubi autem quis generales rerum cauſas, & initia etiam affectionum omnium humanarum attigerit; detexeritque rerum ſingularium & univerſarum inter ſe nexum ac vinculum, confeſtim accedet ad cauſas civilis regiminis progreſſuſque ſocietatis humanæ: ut perſpectis moribus hominum, cognitiſque rebus tum publicis, tum privatis, atque communibus, norit de illis utram velit in partem honeſte diſputare, atque ad voluntatem ſuam flectere animos hominum verbis & rationibus, de morali civilique Philoſophia peritis: quæ merito locum apud ſaniores homines artis Rhetoricæ ſubierit. Quid eſt enim aliud Rhetorica, ſecluſis puerilibus illis verborum ſtruendorum præceptis, niſi rivus erumpens e facultate civili, quam πολιτικὴν vocant, & ex ſcientia morum atque affectionum humanarum: quibus de cognitionibus ſuaſionis & diſſuaſionis ratio, ſimul cum publici privatique regiminis arte colligitur. Ac morum ſane affectionumque humanarum notitia profluit abunde ab Ariſtotelis Rhetorica, in quam ille contulit quidquid e Platonicis diſputationibus, ſive pronunciatis, ſive ſcriptis arripuerat. Nam quæcunque rhetoricorum libris Ariſtoteles comprehendit, ea fere, omnia ſparſim tradita in Platonicis dialogis invenimus: ut non mirum, ſi hoc, quotquot Ariſtoteles reliquit, operum ſit præſtantiſſimum, ſimul cum libris Politicorum: in quibus nihil eſt inutile, aut falſum, niſi quod revocari nequeat ad Platonem. Nam libri moralium, ubi eadem

Digitized by Google

eadem quoque fere cum Rhetoricis argumenta tractantur, propter eorum ſubtilitatem, ad uſum utilitatemque civilem ægrius perducuntur. Quippe qui non tam humanos mores & quotidiana negotia, quam ſapientis vitam & beatitudinis cauſas contemplentur. Quas inter cauſas dum bona exteriora corporis includit, felicitatem ſapientis, quam Stoici ſimul & Epicurei, utcunque de fine diſcrepantes, ad ſolius virtutis efficaciam referunt; Ariſtoteles vulgi aſſentator a poteſtate ſuſpendit rerum fortuitarum.

Præſtiterit igitur inſtitutionem ſapientis vitæ ſuſcipere Platonicis e libris, quo ſuperiorum omnium ætatum, atque gentium univerſarum, & veterum Theologorum, ac Poetarum ſapientia confluxit: præſertim vero ex libris de Republica, & de Legibus, ubi uberiores affectionum, & rerum humanarum cauſæ panduntur, & cum privatæ, tum etiam publicæ felicitatis rationes ad ſolam honeſtatem retrahuntur. A qua honeſtate manare oſtendit Plato ſubjectorum ſimul & Principis utilitatem pariter atque tranquillitatem: quam ſi Platonem, ſive potius rectæ rationis vocem, audiamus, extinguuntur vitia, quæ animum, quo irrepſere, pavoribus complent, & anxiis curis, inter quas exagitatur quiſquis alios imperio ipſe abuſus exagitat. Unde tyrannus longe ſibi gravior eſt, quam civibus: cogitur enim timere ſingulos, dum terret univerſos: hauriendiſque ſubſtantiis aliorum, libidinem auget ſuam, indeque ad majorem adducitur egeſtatem, quæ non ampliandis opibus tollitur, ſed cupiditatibus extinguendis. Hinc longe ſemetipſum crudelius, quam ſubjectos populos excruciat. Ab unius enim hominis atroci dominatione pedibus patet effugium; vitiorum vero ſævitiam nemo vitaverit, niſi effugiat ſemetipſum. Quam dum Plato miſerrimam tyrannorum imaginem oculis noſtris objicit, facile ſententiam evertit, ac rationes refellit illorum, qui ſuis præceptis dominationem in ſceleribus & fraudibus exſtruunt, regnandique artem in piraticam & prædatoriam vertunt; ut a nullo melius, quam a Platone, Machiavellus, cum ſuorum decretorum æmulis Hobbeſio, Spinoſa, & Bodino proſternatur. Cujus Machiavelli atrox principis & immanis inſtitutio, non modo non verax, nec utilis, ſed neque ignota eſt, neque nova iis, qui Theognidis & veterum tragicorum aliorumque poetarum evolvere libros: quorum ſententiam Plato Traſimacho Sophiſtæ attribuit in lib. *de Republica*, ut eam invictis rationibus e mentibus hominum exſtirparet. Unde vulgares rerum civilium præceptores, & impietatis adminiſtri, qui ſapere ſupra veteres opinantur purgamenta illorum, & reiculas antiquitatis opiniones, tanquam novum aliquod inventum, in Machiavello cum publicæ libertatis communiſque tranquillitatis pernicie admirantur.

Cum his autem ſtudiis, rhetoricorum, ſcilicet, Ariſtotelis, & civilis doctrinæ moraliſque Philoſophiæ, recte conjungentur Ciceronis opera de arte dicendi, ac libri præcipuæ de oratore, qui, ut libris Philoſophorum acumine atque ſcientia cedant; longe tamen præſtant uſu rerum peritiaque forenſi. Quæ oratori eſt adeo neceſſaria, ut, niſi, quod e libris aliorum accepit, cum rebus ipſis proprio experimento, ſuaque actione vitæ contulerit, oratione ſua non veritatem reddere, ſed ſcholam olere videatur. Quamobrem is eloquentia excelluerit maxime, cujus vita non ſolum inter præcepta mortuorum, ſed inter viva exempla, in medio morum, & affectionum, atque caſuum humanorum longo civilis exercitationis curſu traducatur. Ad quæ ſi lux acceſſerit præteriti temporis, & memoria rerum geſtarum ſimul cum Poetarum ad noſtram utilitatem confictis narrationibus, oratio dicentis omnibus verborum & ſententiarum luminibus abundabit. Ipſæmet enim ſententiæ colores offerent & ornamenta verborum, ſi proprietates eorum calleamus; neque difficile fuerit optime dicere, ſi recte cogitare didicerimus. Nec minoris fortaſſe facienda ſunt veterum poetarum carmina, quam libri Philoſophorum. Etenim antequam Philoſophi ſcholas aperirent, & in publicas diſputationes argumenta rerum educerent, ſapientia omnis a ſuis inventoribus conjiciebatur in fabulas, carminibuſque tradebatur. Solutam enim orationem diu poſt ſapientiæ ſtudium accepimus, neque antequam velamenta fabularum præceptis Philoſophiæ detraherentur. Quamobrem præter Orpheum, Muſæum, Homerum, theologoſque

que ceteros, qui non ſolum numeris, verum etiam poetica inventione circumdedere ſapientiam; illi etiam, qui artificium fabularum repudiarunt, veluti Pythagoras, Empedocles, Parmenides, Solon, ſcientiam alligavere metris, ut ſuavius deflueret in aures, & mellea carminum ſuavitate animos duceret. Quamvis vero poſtea metri vincula Philoſophia egreſſa eſſet, & ſoluta etiam oratione diſcurreret; Poetæ tamen minime renunciarunt Philoſophis docendi munus. Unde ſecluſerant quidem Philoſophi poeſim: poeſis vero nunquam a Philoſophia diſceſſit, niſi poſterioribus temporibus, cum flos Græcæ ac Latinæ ſapientiæ jam emarceſceret: quemadmodum & apud nos, qui, cum a Dante Aligherio philoſophiam cum poeſi conjunctam, & per Petrarcham ac Boccatium, aliosque ſub eodem fœdere conſervatam acceperimus, poſtea diremto conjugio illo, poeſim philoſophia, hoc eſt ſpiritu, & vita privavimus, contenti tantummodo aurium lenociniis. Ut enim aliquot veterum Græcorum & Latinorum poetarum reliquerint Philoſophis inveſtigationem naturæ, rationem tamen divinarum humanarumque rerum, Theologiam nempe, ac moralem ſcientiam, nullo pacto dimiſerunt; neque ſatis habuerunt commovere animos, aureſque perſonare ſtrepitu verborum; ſed reddendis per imaginem caſibus humanis, deſcribendiſque in ſimulatis perſonis animis noſtris, objecerunt oculis formam humanitatis, graviſſimiſque ſententiis paſſim interjectis mentis curationem, & vitæ regimen oſtenderunt: ut a nulla Philoſophorum ſchola, quam ab Æſchyli, Sophoclis, Euripidiſque ſcena ſapientiæ meſſis exſurgat uberior. Nemo etenim veterum Poeſim attingebat, niſi cultus, & locupletatus a Philoſophis; unde auferebat ſecum acumen & copiam ſententiarum: quorum aliqui ſolo Philoſophorum nomine contenti fuerunt, quamvis eminere potuiſſent in numero Poetarum. Talis Plato fuit: quas enim ſcripſerat tragœdias, combuſſit, ne, ut ſuſpicor, qui Philoſophis fama & plauſu antecellebat, alia in re cuiquam videretur inferior. Unde contemta metri lege, colores, fabulas, & ſpiritus Poetarum, quibus dictionem ſuam attollebat, ad Philoſophiam traduxit: ut Poetico dicendi genere, quo forſan ab æmulo ſuo Euripide ſuperabatur, ipſe Philoſophos antecelleret.

Ac fortaſſe longe graviora & retruſiora veteres Poetæ ſub involucris fabularum, quam Philoſophi ſuis diſputationibus ad nos tranſmiſere: illi enim quia ex propria plerumque, vel amicorum perſona loquebantur, ne plebis offenſionem ſuſciperent, multa reticebant; cum illi ex heroum veterumque regum perſona effuderint multa liberius, & ſub earum larva multitudinis errores non raro redarguerint, ac tyrannos verbis carpſerint alienis: ut poſteris aliquanto ſolertioribus ad reipublicæ regimen longe uberiora fortaſſe, quam præcepta Philoſophorum, e tragicorum & veterum Poetarum verſibus expedienda ſuperſint. Eandem ob cauſam Philoſophi vetuſtiores, Anaxagoras, aliique multo ſolidiora de ſuis promſere latebris, quam recentiores, qui publicis in ſcholis, & in communi luce profitebantur.

Hactenus adoleſcentes ad ſapienter cogitandum recteque dicendum inſtituimus: nunc, ut eæ facultates cadant in uſum publicum, & in communem utilitatem, via pandenda eſt ad ſcientiam divini humanique juris, quo ſtudia viri civilis omnia referuntur. Atque ut a jure civili exordiamur, omnis ejus cognitio pendet ab interpretum delectu, quorum pars eruditione ſua enuclearunt leges; pars vero garrulitate, atque importuna ſubtilitate contriverunt. Quamobrem is nobis potiſſimum quæretur interpres, qui a legibus, quas explicandas proponit, minime aberret ad inanes & intempeſtivas quæſtiones, neque argumentandi cauſa levem quamlibet & commentitiam legum repugnantiam aucupetur, ne ad ipſam earum difficultatem interpretationum moleſtiam adjungamus. Quæ noſtratium vitia ſedulo Græci caverunt interpretes Baſilicorum, qui neque a legum veſtigiis diſcedunt, neque vanis oppoſitionibus conantur tranquilla & perſpicua conturbare. Hoc morbo maxime laboravit Accurſius, qui levibus quibuſque diſcriminibus inutiliter notandis, in tranquillo commovet ſæpe tempeſtates. Is tamen unus eſt, qui inter ſuos arctius hæreat legibus: alii enim

ab

ab eo profecti procul ſolverunt a portu, & ab earum conſpectu longius receſſerunt. Sunt autem duæ interpretum claſſes, quæ verbis legum propius inſiſtunt, vulgaris altera, in qua princeps Accurſius; altera ſelectior, & eruditior in qua tempore quidem & inventionis laude primas ageret Alciatus; niſi poſtea omnium, quotquot fuerunt, aut fortaſſe futuri ſunt, laudem Cujacius anteiſſet. Utriuſque tamen claſſis principes oportet ad examen legum adhibere. Accurſius enim cum ſocio Viviano mira facilitate facti ſpeciem tyronibus exponunt, & viam doctioribus feliciter ſternunt ad forum, quotidianis quæſtionibus & rebus proponendis, atque tractandis: Cujacius vero abſtruſiorem ſententiam retegit legum, & e latebris juris antiqui mentem eruit Juriſconſultorum; ut receptiora quidem ab Accurſianis; a Cujacianis tamen veriora promantur. Ideo neutri negligentur, quia illi uſum, iſti ſcientiam præſtant, qua pro re nata, vel confirmatur uſus, ubi cum ratione conveniat, vel, ſi deflexerit a ratione, corrigitur: niſi obſtiterit ignorantia judicum, qui contra Juſtiniani præceptum, (a) imo & contra rectæ rationis normam, hoc præcipue tempore non legibus cauſas definiunt, ſed exemplis, quas deciſiones vocant; quarum inauſpicata volumina Romanam juriſprudentiam in Romano ſolo ad perpetuum ætatis noſtræ dedecus obruerunt. Cum autem tam eruditis ad antiquitatis interiorem notitiam, quam forenſibus ad pleniorem juriſprudentiæ cognitionem utiliſſimum ſit origines evolvere, ac fundamenta detegere Romani juris; neutris tamen ob obſcuritatem & varietatem rerum, tot voluminibus diſſipatarum, vacet ea de Cujacianis interpretibus efferre; tribus nos libris, quos de originibus ſcripſimus, eas complexi ſumus, ut legentium oculis juriſprudentia ſelectior integre atque ordine ſuo ſubjiciatur. Noſtrum enim conſilium fuit, ut, qui Juſtinianeas inſtitutiones primo ex Perezio, poſtea ex Vinnii notis, & commentariis probe calluerit, libris noſtris adhibendis per feraciſſimam Digeſtorum ſilvam expeditius progrediatur. Accurſiani vero, quorum primores Bartolus, Baldus, Jaſon, Caſtrenſis, Alexander, etſi leges ipſas aliquando involvant potius, quam expediant, & Accurſium ſæpius, quam leges interpretentur; in tractandis tamen forenſibus quæſtionibus adeo pollent, ut iis ætate noſtra ſimul cum Accurſio & ipſiſmet legibus alto pulvere merſis, & ab ignorantia conculcatis juſtitia exſulet a foro, & cauſidicorum loquacitas, ac libido judicantium in alienis patrimoniis impune dominetur. Judices enim olim, ſi non ratio legum, Accurſii tamen, ac Bartoli digna ſane obſequio refrænabat auctoritas, atque ad juſtitiæ ſenſum, ſi non propria ſcientia, mens ſaltem revocabat aliena. Oportet enim, ut legibus quam plurima concludantur, & affectionibus hominum arbitrioque viventium quam minimum permittatur: ferinam enim naturam continet affectio; lex autem utpote ratio pura, affectionis eſt expers, continetque tantummodo divinum. Nunc vero, pulſis omnibus Juriſconſultorum familiis, ſive Cujacianis, ſive Accurſianis, & Bartolinis, tantum librorum ſuorum venenis exſultant in foro rabularum duces, qui mortui, cum obſtrepere deſierint, tamen amentiæ ſuæ ſegetem nobis in eorum ſcriptis reliquerunt; quique, ſi Diis placet, ratiocinio ſe præſtare gloriantur, ut ſuæ, ac diſcipulorum avaritiæ velificent, & propterea probro ſibi ducunt aliorum auctoritati parere, Charondæ nimirum qui ſint, & Platones, aut Lycurgi, & Solones ad dandas, & inveniendas, non ad accipiendas, & interpretandas leges accurrentes. Quorum ſtultitia, & aliorum ignavia evenit, ut, quidquid olim captis auſpiciis, conſultis Pontificibus, referente Conſule, aut Tribuno, in conſpectu populi Romani, vocatis comitiis, poſt ſuaſiones ac diſſuaſiones oratorum, ac diuturnam & maturam civium deliberationem ſtatuendum fuerat, nunc a ſomniculoſo, aut madido aliquo fori operario, & vulturio togato, nempe a Ridolphiniſta quovis, qui non alium magiſtrum, præter ſcribam & tabellionem agnoſcat, per ſummam temeritatem & impudentiam calami ductu decernatur. Jam enim ante ſaluberrimam privatarum ſcholarum prohibitionem exorti erant, qui Ridolphino, tanquam Juſti-

(a) *L. nemo C. de ſent. & interlocutor. Judicum.*

Juſtinianeo codice domi prælegendo, trimeſtri ſtudio abſolutam Juriſprudentiæ cognitionem juvenibus ore ferreo promittebant. Horum igitur duces non ſatis habent ignorare ipſi leges, & uſum bonorum interpretum, niſi propriam inſcitiam ſtilo ſuo peſtilentiſſimo, & voluminibus immaniſſimis tranſmittant in poſteros: qui lectione illa pudenda, & clientibus maxime deploranda procul auferuntur a puris luminibus juris, & a majorum veritate: quorum vice dedecora illa Juriſprudentiæ, ac fori piacula complectuntur, pari cum eis veſania furentes, & contra graviores Juriſconſultos audaciſſime blaterantes. Quamobrem legibus, & civili ratione ſimul cum Juriſconſultorum auctoritate dejectis, tam bona hominum, quam exiſtimatio, & vita ignorantiæ, avaritiæque patent. Quam Juriſprudentiæ calamitatem, & Juſtitiæ ruinam, niſi, CLEMENS OPTIME, qui & noſti, & potes, & velle debes, quamprimum avertas, juventute ſaltem triennio in publicis ſcholis detinenda, & ipſorum Juſtinianeorum voluminum explicatione imperanda, reſtituendaque Accurſianorum ſaltem, & Bartolinorum interpretum auctoritate, rejectis farciminibus tabularum; verendum erit, ne brevi a Juriſprudentia, quæ Pontificiam quoque Juriſdictionem texit atque munivit, & exteros majorum tuorum olim ſubjecit oraculis, converſis modo rebus, ad mores judiciorum Scythicos omnino tranſeamus. Neque vero debet Princeps præſertim ſacer, & juris tam humani quam divini cuſtos ac moderator, quidquam promovere magis, quam ſacram & civilem Juriſprudentiam artemque juſtitiæ: qua neglecta, vel de die in diem extracta, ut quam creberrimas, & longiſſimas ad templa Divorum ſupplicationes habeamus, & orationem quantumcunque multiplicemus, a Deo, Iſaia teſte, (a) nunquam exaudiemur, quia, ut alius Prophetarum ait; *Juſtitiam ejus neſciamus*. Quis autem eam neſciens exercuerit? aut quomodo jus reddiderit aliis, qui prius ipſe non accepit: aut quandonam accepiſſe potuerit imberbis adoleſcens, & imperitus, ac pene puer, qui ferulæ manum nuper ſubduxit? nunc autem, janthina indutus, e ſella curuli ſententiam proferens, neque diſcere dignatur amplius, neque ignorantiam ſuam alia novit arte, quam impudentia definiendi, & pronunciandi facilitate diſſimulare.

Sed jam a jure civili decedamus ad ſacrum, atque ab humanis legibus ad divinas aſcendamus; nempe ad jus Pontificium, quod partim a divinis fluxit libris, partim a jure civili: cujus cum peritiſſimi eſſent Decretalium, quas vocant, conditores, quamplurimis regulis ac definitionibus e ſanctiori Juriſprudentia ſuſceptis jus Pontificium expleverunt, & ſemina ſapientiæ cœleſtis aluerunt honeſtate naturali, a Deo etiam in noſtris inſculpta mentibus, cujus apud Græcos Philoſophi, apud Romanos vero Juriſconſulti vindices fuerunt atque cultores. Ac ſi quid liberius, aut ſeverius a jure civili definitum Pontifices inveniſſent, coercuerunt juris divini auctoritate, aut mitigarunt, idem in noſtrate jure civili præſtantes, quod veteres Prætores temperando Decemvirali jure, atque ſupplendo conſueverant. Hinc videat juventus foro vacatura, qualem gratiam habeat iis, qui ſe juris Pontificii Doctores, abſque pleniſſima Juriſprudentiæ cognitione ac rerum forenſium uſu, profitentur. Qui ſi meminerint quales, quantique Juriſconſulti fuerint Pontifices, a quibus epiſtolas Decretales, & jus omne Canonicum forenſe accepimus; minime in alienam poſſeſſionem irrumperent, nec forenſium rerum, ſed tantum ſacrorum diſciplinam ſuſciperent explicandam, neque alios quærerent auditores, quam juvenes familiæ ſuæ ſacris operaturos: ne forenſem juris Pontificii partem contrectantes, utrumque ſimul, & ſui ordinis legem & doctoris officium prodere cogerentur, fallentes pariter ſuos & alienos. His fortaſſe, ac juventuti, quæ auctoritate illorum ab idoneis Doctoribus abducitur, ſalubre fuerit audire Cujacium hæc de Canonum conditoribus referentem. Etenim de Innocentio III. (b) ſcribit *Cetera quoque fere omnia ſumſit ex jure civili, & omnino quidquid præclarum eſt in hoc jure, ex jure civili*

(a) Iſaias *cap.* 1. Baruch. *cap.* 4. *num.* 13.

(b) ad *cap.* 15. *de ſent. & re jud.*

Digitized by Google

vili eſt, nec hujus interpres idoneus quiſquam, niſi fuerit juris civilis peritiſſimus. Et de Gregorio IX. (*a*) *Duo hæc capita ſunt Gregorii, auctoris hujus collectionis, qui ut in ea collectione aliquid de ſuo inſereret e jure civili, ultro, non aditus a conſultoribus ullis, aut litigatoribus, pleraque ſumſit, & inſeruit.* Et alibi de Innocentio (*b*) rurſus. *Et Pontifex quidem in hoc capite ex jure civili, vel ex interpretibus juris civilis: fuit enim Innocentius, qui eſt ille Pontifex, juris peritiſſimus. Et totum quidquid ſcribit in hoc capitulo ultimo, ſatis prolixe eſt ex gloſſis juris civilis, quarum pleræque factum eſt, ut vim ſumſerint per Pontifices, qui ex eis Decretales confecerunt, & generales conſtitutiones.* Ac de Gregorio IX. iterum alibi, (*c*) *Plus petitur re, vel ſumma, loco, tempore, cauſa. Quod Gregorius IX. auctor hujus conſtitutionis ſumſit ex Inſtitutionibus Juſtiniani, & ex Pauli libr. 1. ſententiarum. Et quidquid omnino eſt relatum in conſtitutione hujus tituli, ex jure civili eſt, ac proinde ſecundum jus civile interpretandum: ex quo quidem ſolo jure habent, quod petant Pontifices, exornandorum ſuorum Decretorum gratia.*

Omitto Berouın, Antonium Contium, Gentilem, alioſque haud abſimilia de jure Pontificio tradentes. (*d*) Nam quos Cujacius, univerſi juris poſt hominum memoriam conſultiſſimus, non abſterret; quænam alia gravior cohibuerit auctoritas? niſi publica Principum, & magiſtratuum, & præcipue ſacrorum Pontificum poteſtas: quæ non alio vertetur utilius, quam ad emendationem divinæ atque humanæ Juriſprudentiæ, itemque ad delectum idoneorum interpretum, ſubmotis iis, qui juventuti Juſtitiæ lucem intercipiunt, ſcientiam profitentes alienam: qua in re verenda eis eſſent verba Chriſti dicentis: *Væ vobis juriſperitis, quia tuliſtis clavim ſcientiæ, ipſi non introiſtis; & eos, qui introibant, prohibuiſtis.*

Qua vero jus Pontificium e Sacræ Scripturæ, ac SS. Patrum locis, & veterum Conciliorum Decretis componitur; præferenda eſt huic ſtudio fax etiam divinorum librorum, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, quæ Canonum rationes pandat, ac nubes diſpellat abſurdarum opinionum; quibus hujus Juris recentiores interpretes, quos Caſuiſtas appellant, paucis exceptis, in veteri Eccleſia plane hoſpites, rationem interpretandi ac definiendi de rebus ad mores pertinentibus magis a Porphyrianis & Averroiſtis, quam ab Apoſtolis & Evangeliſtis trahentes Chriſtianas morum leges, non ad præcidendas, ſed ad alendas ac propagandas rerum caducarum cupiditates, violenter perduxerunt: ita ut lex frugalitatis atque caritatis in quæſtum atque impotentem dominationem importuniſſimis interpretationibus detorqueantur. Quibus profecto tenebris locus eſſet in Eccleſia nullus, ſi aſſidua Evangeliorum lectione, atque cognitione vetuſti moris, & ſtudio Conciliornm, ac ſacræ hiſtoriæ peritia dialecticas captiones, verſutiloquas Arabum ſcientias excluderemus; eorumque loco adoleſcentibus, brevi ad juris Pontificii ſtudium acceſſuris, una cum Eccleſiaſtica Hiſtoria Romanum in manus traderemus Catechiſmum: unde ſolida & ſincera Theologia longe melius & uberius, quam ex immenſa Scholaſticarum nugarum ſegete colligitur. Hinc nos in noſtris Pontificii juris inſtitutionibus, ubi res ferret, lumina ſparſimus Apoſtolicæ diſciplinæ, ac mores Eccleſiæ veteris, origineſque rerum oblata occaſione retulimus; ut noſtrates adoleſcentes a magiſtris omnis cum ſacræ, tum profanæ eruditionis expertibus, ad nos venientes, hoc utiliſſimo & gratiſſimo ſimul doctrinæ poculo exciperentur: quo hauſto, ipſi per ſe ad pleniorem Conciliorum notitiam, & diuturniorem ſacrorum librorum ſanctorumque Patrum lectionem exardeſcerent.

Supereſt nunc ſupremus divinæ ſapientiæ gradus, nempe Theologia: cujus tradendæ rationem nemo alibi, quam Romæ, invenerit meliorem; poſtquam eam Dominicanæ familiæ Patres depromere cœperunt e fonte ſuo, nempe de D. Thomæ libris: quorum prælectionem quotidianam proprio ſumtu Caſanæta Cardinalis beneficentiſſimus, & vel hoc tantum nomine opti-

Q 2

(*a*) *cap. penul & ult eod.*
(*b*) *ad cap 3 & ult de lit. non cont.*
(*c*) *ad Cap. ult. de plus petit.*

(*d*) Contius *lib 1. diſput. Juris Civil. cap. 3.* Berous *ad rubricam de Conſuet.*

optime de Eccleſia meritus, inſtituit: ut ſtudioſos a garrulis, & perplexis vulgarium doctorum ſcriptis ad ipſum deduceret oraculum ſapientiæ divinæ, doctoremque juventuti redderet eum, quem non modo communis hominum admiratio; ſed ſuamet Chriſtus voce fidum ac certum in Eccleſia præceptorem conſtituit omnis ævi. Cui ſtudio qui recentiorum lumina Criticorum, & Hebraicæ, Græcæquæ linguæ uſum, ac perpetuam divinorum Codicum, & SS. Patrum atque Conciliorum lectionem admiſcuerit, quique ſimul præclari ordinis Jeſuitarum præſtantiſſimos, & antiquitatis aſſertores diligentiſſimos, Petavium, Sirmondum, Maldonatum crebro conſuluerit; is & ſententiarum veritatem per D. Thomam, & abſtruſiorem omnium temporum eruditionem, germanumque ſacrorum librorum ſenſum per cultos illos, atque graves divinarum rerum interpretes aſſequetur. Nec leve laboris compendium fecerit, ſi ſententias ſibi ſumſerit per Eſtium explicatas, qui ſelectiora veterum Patrum in ſuis commentariis, cum ſumma ſtudioſorum utilitate congeſſit. Utinam eodem, quo Eſtius, animo, atque ſtilo ad aureum illud ſententiarum opus interpretandum omnes acceſſiſſent, nec ſimplicitatem & candorem illius ex Apoſtolica integritate ac SS. Patrum gravitate natum ſuis nugis infuſcaſſent! Cujuſmodi vel temperandis, vel præcavendis ingeniis, nihil utilius, non meo quidem, quod nullius eſt ponderis, ſed graviorum omnium judicio Theologorum exiſtimatur, lectione locorum communium Melchioris Cani, quos lucifugi hi, ac veſpertiliones noſtri æterna, ſi poſſent, oblivione damnarent.

Quod autem ad ſcientias, arteſque in univerſum omnes pertinet, cavendum diligenter, ne deſidioſa facilitate, ac fallaci lenocinio recentiorum abſtrahamur a commercio veterum, utcunque difficilium & obſcurorum: quorum qui tempore, iidem & utilitate ſapientiaque præcedunt. Unde tum recentiorum uſus eſt optimus, quando ad interpretationem & cultum adhibentur veterum. Quæ utilitas non modo a criticis, ſed & a Philoſophis noſtrorum temporum percipitur: quorum doctrina lux media eſt inter mentes noſtras & veterum ſapientiam. Veteres enim cum inveniendo, tum exprimendo naturam ipſam, & veritatem reddiderunt, ſive per cauſas, ut Philoſophi; ſive per imitationem, ut Poetæ; ſive per ſimplicem rerum geſtarum narrationem, ut Hiſtorici; ſive per contentiones, commotioneſque animorum, ut Oratores; & in ſuo quiſque artificio atque ſtudio germanas rerum notas extulerunt.

Unde recedentes a veteribus, procul auferimur a vera ſapientia: quoniam ſinguli veterum, qui vel inter Hiſtoricos, vel inter Poetas, inter Philoſophos, vel inrer Oratores excelluerunt, ſive vera, ſive ab ſe conficta deſcribant, inſtitutionem ſapientis vitæ complectuntur. Igitur ſi Hebræos excipias a Deo, non ab hominibus eruditos, ex humanæ ſapientiæ cultoribus, Græci uti antiquiſſimi, ſic & ſapientiſſimi, atque inter eos idem qui ætate, omni etiam ſapientia, & eloquentia præſtat Homerus, cujus Poetica imitatio nativam reddit rerum veritatem. Qui autem propius ad illius ætatem, iidem etiam ad ſimilitudinem, & ſapientiam accedunt, quales præter Heſiodum, Homeri æqualem, Æſchylus cum primis eſt, Pindarus, Sophocles, Euripides.

Inter Latinos autem dicendi virtus floruit, quoad libros coluere, atque imitationi ſtuduere Græcorum: poſtquam vero libertatem amiſerunt, novum ſub Imperatoribus genus eloquentiæ tentarunt, fractum nempe illud, exangue, ac fucatum: ſolique Juriſconſulti vetuſtam ſtili ſimplicitatem & integritatem, quam ſtudio, & conſuetudine legum adſciverant, retinuere ſimul cum amore libertatis, quem profitebantur, dum juſſa Principum ad juris rationem & ad communem populi utilitatem interpretatione ſua revocabant, ut decebat eos, quorum animus aſſiduo inter leges veteres, nempe inter mores antiquorum candidos & liberos verſabatur. Nos vero Itali recentiores, quorum ingenia, & literas barbarorum irruptio, atque longa dominatio conculcaverat; poſtquam diu jacuiſſemus, ad veterem literarum gloriam erecti ſumus ab altero prope Homero, Dante nimirum Aligherio, per quem divina Providentia remiſit Italiæ priſtinam doctrinæ atque eloquentiæ lucem e cineribus Græcorum, & Latinorum in vernacula divini poematis lingua feliciſſime renaſcentem, novoſque Latinæ Græcæque di-

ctionis æmulos in poſterum exſuſcitantem, Perrarcham nimirum, & Boccatium, & quotquot poſtea ſummos Oratores, atque Poetas, cum Latinos, tum vernaculos aluit Laurentii Medicei & Leonis X. beneficentia, qua ſimul cum eis poſtea extincta, Italica dictio ſtatim inhorruit, & in ſcholis noſtris, quæ, antequam publica doctorum hominum alimenta ceſſiſſent in opulentiam ambitioſorum, a Politianis, Victoriis, Sigoniis, Robertellis, Manutiis, Muretis illuminabantur; nunc ineptiarum atque argutiarum ſeges adolevit, quibus adoleſcentium ingenia, longe deterius, quam Gothorum, & Vandalorum ruſticitate corrumpuntur.

Hæc inter meditandum animis noſtris occurrunt vitia, & remedia ſtudiorum, quibus detegendis, judicioque tuo ſubjiciendis conſultum juventuti voluimus. Erit vero tuum, CLEMENS OPTIME, providere deinceps, ne literulis tantum, & argutiis in ſcenam prodeuntibus, atque ſcholaſticis cum ingenti Reipublicæ dedecore quotidie aures noſtras lacerantibus, doctorumque hominum honores nefarie rapientibus, Itali a Tranſalpinis, ad quos primi nos olim literas attulimus, in exemplum inſignis ignorantiæ producamur.

ORATIO

IN AUSPICATIONE STUDIORUM,

DE SAPIENTIA UNIVERSA.

ANimadverti ſæpenumero [*] e tanta multitudine hominum, quanta in dies bonorum artium ſtudia confluit, paucos quidem redire voti ſui compotes: ceteros vero aut rudiores diſcedere, quam venerunt, aut quo magis ingenio aliquando & facundia pollent, eo abduci a veritate longius, & in doctrinarum judiciis turpius aberrare, propterea quod rerum & verborum non tam vim & defectum didicere, quam copiam; diuque ſubtiliter magis excogitando, quam ſolide: atque abunde potius, quam appoſite diſſerendo, neglecto veri falſique diſcrimine, non aliud niſi acute ſomniare, atque erudita deliria in medium proferre conſueverunt: ut longe præſtiterit, nullas omnino delibaſſe literas, quam tanto labore, & ſumtu inveniſſe artem torquendi alios & irretiendi ſui ipſius. Ego mehercule ſanæ mentis ruſticum præ conturbatis hujuſcemodi ſtudiorum ingeniis mecum colloquentem optarem. Prius enim hic acceperit vera, quam ab illis adducto notionum ordine falſe diſcuſſero. Undenam autem intemperies iſta mentium, niſi quia plerique antea diſcunt, quam conſuluerint quid, quo tempore, aut unde ſit addiſcendum? Quod plurimum refert ad cultum ingenii regimenque ſtudiorum. Quam ob cauſam recte conſtitutum eſt a majoribus noſtris, ut ſingularum ſcholarum exordia generalis oratio ad curſum ſtudiorum dirigendum antecedat, quæ nunc ad literarum laudem, & ad cohortationem juventutis fere ſuſcipitur, non tam utiliter, quam jucunde: ſiquidem literarum in omni genere laudem diuturni temporis auctoritas evulgavit, & juventutis animos ad labores Sereniſſimi Principis noſtri erga literas effuſa beneficentia cohortatur: ut ſtudioſis non aliud ab oratione noſtra ſit appetendum, quam lux prævia, in ipſo veſtibulo doctrinarum explicationem ſingularum præcurrens, velut aurora diem: quæ cupidæ inventuti, antequam res cognoſcat ſingulas, faciem recludat, & fortem pandat univerſarum, ut, quod in curſu ſtudiorum a doctiſſimis præceptoribus per ſingulos articulos expreſſum habebunt, a nobis in ipſo initio delineatum ac leviter adumbratum accipiant: Quamobrem ortum, & ſtatum, inclinationemque doctrinarum, earumque inſtaurationem indicabimus, cumque uſu veniet, duces & auctores magis idoneos efferemus, &, quæ obrepſerint vitia, notabimus, ut norint juve-

(*) Hæc oratio reliquis cedit rerum delectu. Pandit enim Hiſtoria maximam partem fabuloſam veteris Philoſophiæ. Jure dixeris,

Pergula pictoris, verum nihil, omnia falſa.

Inſpergit quædam convicia in Peripateticos, neque tamen ipſum jam Ariſtotelem, uti ſupra, petit, ſed vulgus interpretum Scholaſticorum, ſive ut mavult, Arabum. Habeantur tamen alicujus pretii recenſio Patrum, pag. 132. enumeratio eorum, qui literas inſtaurarunt, pag. 133. & diſtributio ſeculorum. Neapolitanus Philoſophus, cuius mentio pag. 133. 134. ni fallor, eſt Bernardinus Teleſius.

juvenes quid, quoſve ſequi e ſcriptoribus debeant, & quæ declinare. Quod rectius fortaſſe mihi procedet, ſi ſtudioſos, mecum in altum per ætates regioneſque remotiſſimas ad capita fonteſque doctrinarum avectos, ad noſtra uſque tempora jucunda ſane animorum peregrinatione reduxero, quid utile, ac noxium ubique ſit, brevi hac navigatione, ubi ſe occaſio dederit, oſtenſurus.

Humana ſapientia, ipſiſmet Græcis ultro fatentibus, originem ducit a barbaris. Barbari vero eam ab Hebræis acceperunt, quibus per Abrahamum primo, deinde per Moſen interpretem tradita fuerat a Deo. Quod e commiſſis inter ſe ſummis vetuſtæ doctrinæ capitibus, & ex priſcorum Græciæ ſapientum peregrinationibus comprobatur, ut Hebraicam tamen veritatem fabuloſa Græcorum Theologia intertextam deprehendamus. Et vero ſi teſtes antiquitatis magis idoneos conſuluerimus, præſto in primis nobis erit Megaſthenes, qui apud Euſebium, & Clementem Alexandrinum ait, omnia, quæ veteres Græci de natura ſcripſerunt dicta eſſe a Brachmanis apud Indos, quos & Judæos appellat, eaque omnia inveniri apud barbaros, atque in India quidem apud Brachmanos, in Syria vero apud Judæos, quorum gentium Philoſophiam omnium ponit antiquiſſimam. Unde apud Numerium Pythagoricum non alius eſt Plato, niſi Græcus Moſes, quia tam Plato, quam Pythagoras Græco ſermone reddiderunt, quidquid ipſis a Brachmanis, Magis, Ægyptiis, & Judæis abſtulerant. Nec Plato diffitetur multa cum ſeſe, tum alios Græciæ ſapientes, præcipue Solonem, a barbaris ad Græcos tranſtuliſſe, quæ poſt a Græcis reddita fuere meliora. Democritus vero, cujus fuit mirus ingenii & doctrinæ candor ac morum, octoginta annos procul a patria ſe Perſas, Ægyptios, Indos, aliaſque ragiones remotiſſimas doctrinarum cauſa pererraſſe ſcribit, non ſine multorum ante ſe Græcorum exemplo, qui diſcendi cupiditate non tam peregrinationes ſuſcepere, quam exilia.

Quales autem apud Græcos Poetæ primum, poſtea Philoſophi, & apud Romanos Pontifices & Juriſconſulti ducebantur: tales, longe antequam Græci ac Romani ad famam emergerent, apud Aſſyrios quidem, & Medos fuere Chaldæi, apud Perſas Magi, apud Indos atque Æthiopes Gymnoſophiſtæ, apud Ægyptios vero ipſorum Sacerdotes. Quorum ſapientia populorum agnatitia erat, atque hereditaria, quia ſimul cum patrimonio a parentibus in liberos longa ſucceſſione tranſmittebatur, eratque certis adſcripta familiis, e quibus nunquam egrediebatur, ut artes atque ſcientiæ, non lucro, quo vitiantur omnia, ſed avita caritate poſteris traditæ, perpetuo manerent incorruptæ. Unde longius multo doctrinarum integritas perſeveravit apud barbaros, quam apud Græcos, quorum in ſcholis recentioribus, faſtu & jactantia redundantibus, doctrinæ ac literæ publice venum ibant.

Igitur Chaldæi, exorſi a naturalibus cauſis, ad rerum futurarum prædictiones tendebant: motus enim aſtrorum & mutationes, curſumque rerum cœleſtium per tria & quadringenta annorum millia uſque ad Alexandri ætatem notata ſe habere, atque collecta gloriabantur, inſigni errore ab opinione de mundi æternitate, quam ſibi perſuaſerant, oblato. Chaldæi autem, teſte Diodoro, fuerunt quædam ex Ægyptiorum ſacerdotum familiis, quæ una ſimul cum Ægyptiis coloniis a Belo, Neptuni & Lybiæ filio, in Babylonem deducti, eodem commigravit, fuitque a Belo in perpetuo ſacerdotio ibi locata, publiciſque oneribus exemta, ut ejus poſteri divinarum & naturalium rerum ſtudiis, quam Orientales populi omnes Magiam vocabant, ex patrio inſtituto vacarent. Horum doctrinæ rivos ad Perſas deduxit Magicæ apud eos diſciplinæ princeps Zoroaſtres, ſive Bactrianus is fuerit, ſive Perſa, cui ſcientiam Brachmanorum attexuit Hiſtaſpes Darii pater, qui ſimul cum illorum moribus atque ſacris ritibus eam acceperat in amœniſſimis Brachmanorum receſſibus, ubi ſe diu diſcendi cauſa condiderat. A qua inſtitutione Perſicæ Magorum fluxere familiæ Religioni ac Philoſophiæ perpetuo dicatæ. Horum doctrina, quæ Manichæorum errorem peperit, duo rerum principia ponebat, malorum unum, quem Arimanem, hoc eſt Ditem, ſive ut ego interpretor, materiam tanquam tenebras: aliud bonorum, quem Oromaſdem appellabant, hoc eſt Jovem: tanquam lucem: unde ſignis, & ima-

imaginibus Deorum pulſis, tantum ſolem & aquam, uti elementa rerum omnium, adorabant. Immortales eſſe animas, eaſque recepto corpore ad æternam vitam rédituras aſſerebant.

Indorum vero ſapientes, nempe Brachmanes, & Sarmanæ, quos Greci ab nuditate corporis Gymnoſophiſtas appellarunt, ſacris etiam præerant, & eidem exercitio vacabant, moribus nempe rudiorum componendis futuriſque prædicendis, vitæ frugalitate tanta, eoque contemtu rerum humanarum, ut Alexandro ſimul cum orbis terrarum domitore exercitu conſpecto, ſtatim honoris loco terram pedibus pultare cœperint, ac Macedoni rem inſolitam admiranti ſignificarint verbis, tantum quemvis, etſi omnia ſubegerit, poſſidere, quantum pedibus obtineret; itaque ambitionem Regis tanta animi magnitudine perculſi præter opinionem eluſerunt. Horum ſecta penetravit ad Æthiopes, quos coloniam eſſe Indorum refert Jarchas Indus, & Nilus adoleſcens apud Philoſtratum.

Sed omnium doctrinam populorum Sacerdotes Ægyptii ſibi vindicabant, aſſerebantque regioni ſuæ, quam non modo matrem & nutricem univerſarum artium atque ſcientiarum; verum animantium etiam atque ipſius humani generis parentem ſibi perſuaſerant, ob aeris temperiem, & vim caloris, atque ſoli fœcunditatem, quod a Nilo pinguefactum non fruges modo ſponte ſua profert ad alimentum & vitam, ſed e proprio ſinu animantia fundit, quæ nullo de ſemine orta putabantur, quia magna ſæpe murium copia, pectore tenus formata, ceteris membris adhuc ſolo hærentibus, e luto coaleſcere videbantur. Colligebant, etiam ſe primos eſſe mortalium ex eo, quod eorum regio artes & res ad vitam neceſſarias prima præbuiſſet. Sationem enim, & vinearum plantationem, & vini uſum, & omnem cultum agrorum, ibidem inventa gloriabantur ab Iſide, Græcis Cerere, quæ utilitatem, ac ſalubritatem herbarum oſtenderat; cujus vir, ac frater ſimul Oſiris, Græcis Bacchus, cum ingenti exercitu terrarum orbem, ad ultimos uſque Indos, atque Æthiopes percurrens, præter uxoris inventa, Religionem etiam, & ſacra Deorum, atque morborum curationem, omnibus mortalibus in ea expeditione patefecit: rerum interim Ægyptiarum, quarum ipſe potiebatur, cura mandata Mercurio, qui Thebis regnavit αθωθ Athotes nuncupatus, quo adminiſtro in ſuis beneficiis inveniſque proferendis Oſiris utebatur. Mercurius autem, primus humani eloquii artifex, ſuam & Oſiridis ſapientiam conſignavit literis, quarum fuit inventor. Unde γραμματεὺς appellatus, tanquam ſcriba Oſiridis, atque in Deos Cabyros, hoc eſt magnos, relatus ab Ægyptiis; dictus quoque in Samothraces myſteriis Caſmillus, unde Tuſcis Camillus: quo nomine a priſcis Romanorum appellabantur miniſtri ſacerdotum. Porro præter literas & Grammaticam atque Rhetoricam artem, protulit & Mercurius Aſtronomiam & Geometriam, quam primi certe, atque præ ceteris excogitarunt atque coluerunt Ægyptii, propter ſummam ejus artis neceſſitatem in diſcernendis atque reſtituendis agrorum finibus inundatione Nili conturbatis. Invenit idem & literas, quas Hieroglyphicas vocant, ſive ſymbolicas, quibus cum occultas cauſas & omnem rerum naturam condidiſſet, & in monſtroſas figuras rerum elementa commutaſſet, Ægyptiæ peperit Religionis inſaniam, traduxitque ignaram latentium ſententiarum plebem ad eorum cultum animalium, ac ſpecierum, quorum figuræ naturalium cauſarum arcana ſapientibus referabant. Hinc ſapientia Ægyptiorum omnis in Religionem verſa erat, rerumque naturalium cognitio, vafra & ancipiti eorum Theologia continebatur, quam ſacerdotes una cum ſacris in templorum adytis aſſervabant. Mercurium hunc longe antiquiſſimum, qui primus vocatur, excepit multo poſt tempore, nempe quinquageſimo a diſceſſu Iſraelitarum anno, Mercurius ſecundus, qui prioris inventa, ab ſe fuſius explicata meliuſque digeſta, ſimul cum ſacrorum ritibus contulit in uberiores libros, quos Sacerdotes curæ ſuæ traditos longo ordine ac ſolemni ritu procedentes feſtis diebus circumferebant. Is etiam annum emendavit per dies ad Solis curſum numeratos, quinque intercalatis diebus, cum ante jam Ægyptii duodecim in menſes annum tribuiſſent. Falſo autem huic adſcribitur liber ille ſacris ex literis, & Platonis doctrina contextus, per Monachum fortaſſe aliquem otio nimis abundan-

danıem, fraude jam ab eruditiſſimis Criticorum detecta.

Hujus ex Mercurii libris, tanquam ex primo Sapientiæ fonte ad gentes omnes, & præcipue ad Græcos, bonæ artes & doctrinæ manarunt, poſtquam Phœnices aſſiduis navigationibus & mercimoniis maria patefecerunt, moribuſque mutua populorum trajectione viciſſim communicatis, cum rerum omnium, tum præcipue literarum aperuere commercia. Hinc priſca Græcorum Poeſis, quæ prima Græcorum Theologia fuit, Ægyptiorum doctrina undique collucet, afroque ingenio atque arte pertexitur. Sicuti enim Ægyptiorum ſapientia in Religionem tota conceſſit, ita & in Theologiam commigravit Græcorum omnis doctrina Poetarum, qui artem vitæ atque humanitatis in Ægypto acceptam redeuntes reddebant quiſque civibus ſuis, quos verſibus ad honeſtatem ac Religionem inſtituebant, ut mirum non ſit, ſi tota Græcorum Religio proceſſit a Poetis, quorum carminibus Ægyptii ritus & Hiſtoriæ in Myſteria fabularum converſæ, vulgique admiratione ſtupidaque credulitate conſecratæ, pro divinis vocibus atque oraculis accipiebantur. Talia fuerunt Amphionis carmina, & Orphei, qui Ægyptium ſepeliendi morem vertit in inferorum pœnas & campos Elyſios, Oſiridiſque ſacra & Iſidis hymnis ſuis in Bacchi & Cereris myſteria commutavit, attulitque in Græciam ex Ægypto ſtatuarum uſum. Talia fuerunt & Muſæi opera & Lini, & Melampidis, & Dædali, & Lycurgi Spartani, & Olenii Licii, qui Delios hymnos compoſuit, & Paphii Athenienſis, & Thamiridis, cum ipſis Muſis arte muſica contendentis, & Theſmeſis Bacchi res geſtas Phrygia Poeſi narrantis, & Philamonis, & Epimenidis Cretenſis, & Ariſtæi, & Daphnidis Thyreſiæ vatis filiæ, quæ verſibus oracula collegit, quorum haud paucos Homerus in ſua fertur tranſtuliſſe Poemata. In his deſcribendus Abolus, Centaurus, Iſaris, Orimon, Eubulus Cyprius, Oricus Samius, Athenienſis Pronetida, & Oribantius Trezenius, itemque Meliſander, qui Lapitharum, & Centaurorum pugnam cecinit, & primus Trojani belli ſcriptor Siagrus, & Dares Phrygius, & Helena Muſæi Athenienſis filia, unde Poematis argumentum ſumſiſſe Homerus traditur, & Phantaſia, cujus Trojani belli librum, & Ulyſſis narrationem in Memphitide depoſitum Homerus a Phanitide, ſcriba ſacrorum, accepit, eorumque ſcribendo tenuit ordinem, &, ut Sibyllas taceam, Demodorus, Heſiodus, atque Homeri præceptor Phemius, & ipſe tandem, qui omnes ante ſe Poetas obruit, Homerus, a quo longa peregrinatione omnis omnium gentium ſapientia ex univerſo terrarum orbe contracta fuit, atque in Iliadem ſuam & Odyſſeam immortali artificio traducta.

Horum autem temporum ſapientes ideo ſententiam ſuam numeris & metro concludebant, ut, ea dicendi novitate ſupra vulgus in cœlum evecti, ſuis dictis divinam auctoritatem compararent. Unde non ante ſoluta oratio inter Græcos fuit inſtituta, quam ſapientia eorum promtior eſſe cœpit, atque vulgatior. Hinc priſcis temporibus arte muſica omnium notitia ſcientiarum continebatur; qui enim carminibus doctrinam complecteretur, idem ad erudiendos agreſtes animos melodiam adhibebat, ut vulgi aures harmonia demulſas alliceret; unde qui Muſicam calleret, idem erat & Poeta, ceteraſque ſcientias, & Theologiam præcipue profitebatur, cum Ægyptia doctrina res naturales diviuis minime divelleret, imo & naturales cauſas in Deorum nomina commutaret. Igitur mentem univerſam, & primam, initiumque rerum & motionum omnium verterunt in Jovis idolum, ignem in Vulcanum, terram in Berecinthiam, ſive matrem animantium, atque plantarum, & metallorum: cum ideo Græci adjectione ſyllabæ appellarunt Δημητήρα, humiditatem in Oceanum, quem ipſi dicebant eſſe Nilum, aerem in Minervam, rebuſque minoribus in minores Deos commutatis, translatiſque ſpeciebus omnibus naturalibus in humanas figuras, Deorum infinitatem pepererunt, & laborioſum ſane, atque operoſum in eos vulgi cultum inſtituerunt, totaque natura rerum cum fœtibus, qualitatibuſque ſuis in religioſas imagines commigravit.

Putabant enim Ægyptii unam rerum omnium, eamque immenſam, atque infinitam eſſe naturam, ſpecies, ac formas uni-

univerſas e ſuamet infinitate, ingenio & perenni motu, aſſiduaque ſui circumvolutione proferentem, atque in mentis identidem & corporis univerſitatem perpetua ſingulorum animorum & corporum productione ſeſe explicantem, tantum ſui reddentem, quantum cujuſque rei creatæ facultas ex ea immenſitate decerperet, qualitateſque illas emittentem, quas exprimere poſſet noſtrorum perceptio ſenſuum, qui ſuo cujuſque modo atque ambitu rem immenſam infinitamque terminant, eamque certis figuris atque ſpatiis magno humanæ mentis errore circumſcribunt. Quam doctrinam refert Homericus Ægyptiorum Proteus, qui varias ineundo formas e poteſtate ſenſuum elabitur, propterea quod numquam ſenſibus, aut per ea, quæ ſenſibus objiciuntur, hanc naturam aſſequimur, niſi exutis imaginibus, quod multiforme apparet ac varium, ad unum & ſimplex mentis poteſtate revocemur. Eandem ſententiam Poetæ alii veteres, Græcique Philoſophi fere omnes diverſis dicendi generibus reddiderunt, iique magis explicite, qui Ægyptios proprius attigerunt, ut in cujuſque ſectæ principibus, quamvis ætate regionibuſque diſtinctis, ejuſdem tamen ſapientiæ origo atque ſucceſſio agnoſcatur.

Ad hanc enim ſententiam referuntur multa, quæ ſuperſunt veterum traditione de Orphei Theologia; eodemque ſpectavit Linus, cum dixit, *omnia progigni ex uno, atque in unum reſolvi*. Eodem flectit Anaxagoræ Homœomeria, ſive diſſimilium in idem, & ejuſdem in diſſimilia tranſitus atque mutatio. Eodem reſpicit illud Anaximandri omnibus qualitatibus expers infinitum. Illuc recidunt ex effatis multa Pythagoræ, ab ipſo quidem arcanis notis obſignata, recluſa vero paullatim a diſcipulis, præſertim a Pythagoreorum ſtudioſiſſimo Platone, qui appellari non dedignabitur præco Pythagoricæ atque Eleaticæ doctrinæ, quæ omnia ponebat eſſe unum, idemque infinitum, immobile, immutabile, ſibi ſimile, ac ſe ipſo plenum, perinde ac Pythagoras, cui μονὰς, ſive unum, fuit rerum omnium principium. Hinc mundi anima, ſive infinita cogitatio infinitæ materiæ cognata, & animorum atque corporum poſt unius rei diſſolutionem in aliam ſpeciem immigratio, quæ omnia Pythagoras ex Ægypto, poſt aſſidua ſacerdotum colloquia, ſecum adduxit in Magnam Græciam, ad cujus doctrinæ fontem Græcia cuncta & Italia diu convenit. Ad eandem etiam doctrinam tendebant Stoici, qui mundum ipſum eſſe Deum aſſerebant. Quid prima illa denique Ariſtotelis materia e Platone arrepta, jam Arabum & noſtratium ſcholarum culpa ludibrio recentium Philoſophorum objecta, quo pertinet niſi ad hunc Ægyptiorum Proteum, quem jure quis univerſæ Philoſophiæ parentem appellaverit?

Sane ſi Ariſtotelem pudendis Arabum involucris exverimus, Pythagoricam in Peripateticorum ſchola doctrinam introſpiciemus, & Ariſtotelicam primæ materiæ definitionem Timæo Locrenſi, cujus adhue de anima mundi liber extat, adjudicabimus. Neque Ariſtoteles ab ullo ſe in contemtum adductum queretur, niſi ab factione ſua, quæ abſurdis interpretationibus et Arabum deliria non veretur adſcribere. Sinenſes vero, affines Indorum Egyptiam doctrinam colentium, dogma hoc jamdiu apud alios populos intermortuum numquam dimiſerunt, ejuſque ſive auctorem, ſive inſtauratorem Confucium divinis honoribus & religioſo cultu ad noſtram ætatem continuato in cœlum extulerunt, & adhuc, morem Ægyptiorum retinentes, naturales res atque cauſas in numina commutant, quæ Philoſophi verbo tantum & imagine, plebs autem credula & fraudis ignara, ſenſu etiam atque animo veneratur.

Hujus doctrinæ abſurdæ ſane, atque monſtroſæ, quæ Creatorem vertit in res creatas, fontem tamen inveniemus puriſſimum, Hebraicam nempe veritatem, etſi corruptam, atque conturbatam a mentibus vera Religione deſtitutis. Initio enim profana Theologia & ſacra ſane conveniunt: etenim etiam profana introrſum ſpectata Deum non ponit niſi unum, eumque cauſam rerum & eventorum omnium: progreſſu tamen diſcedunt, & conſequentiis immane quantum inter ſe pugnant & diſcrepant. Unde autem labes hæc profanæ Theologiæ, unde diſcidium? niſi quod Hebræi, a Deo ipſo ſupra morta-

lem conditionem creationis notitiam accipientes, & productionem ex nihilo addiſcentes, res creatas a divinitate ipſa ejuſque potentia, & opus ab auctore diſtinxerunt, & Deum pro cauſa, non pro fundo & materia rerum habuerunt: at profani Theologi, creationem ex nihilo neque agnoſcentes, neque omnino tolerantes, coacti fuerunt ex ipſo Deo tanquam ex earum vena, res creatas eruere, unde divinitatem ipſam ſpeciebus diſtractam ſingulis in rerum univerſitatem transfuderunt. Hinc ſingulæ res divinitatis portiones evaſerunt, quarum quæ magis excellerent, veluti Luna, Sol, Aſtra, Cœlum, aut homines, ſive ſapientes, ſive ſtrenui quaſi plus Deum exprimerent, pro numinibus habebantur, quæ germana eſt & vera univerſæ ſuperſtitionis origo, quam D. Paullus ad Romanos his verbis indicavit: *quia, cum cognoviſſent Deum, non ſicuti Deum glorificaverunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium: Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius quam Creatori.*

Verum, creſcente in diem ſapientium numero, myſteria Poetarum veluti cedentibus tenebris diluceſcere cœperunt, rerumque naturalium ſcientiæ reſciſſis involucris fabularum commigraverunt in Philoſophorum ſcholas, quarum princeps Thales, a quo Jonica, & Pythagoras, a quo modeſtiæ cauſa ſapientis in Philoſophi minime commutato, Philoſophia inſtituta fuit Italica, quæ gravitate ſententiarum, atque ſtudiorum triſtitia quadam, longe ſuperavit Jonicam, cauſarum quidem olim naturalium curioſam; ſed poſt a Socrate, adducta ſimul cum Dialectica doctrina de moribus, e ſilentio atque receſſu meditationum ad faſtum atque tumultum contentionum evocatam. Ut non mirum ſi poſtea Philoſophia, quæ inveniendi ſimul, & judicandi, diſſerendique artem tradebat, publice ſub Rhetorices nomine imperavit in foro.

Etſi jam ante Poetæ, atque Oratores privatim a Philoſophis inſtituebantur. Diu enim fuerunt iidem orationis præceptores & vitæ, qualem ſe Phœnix a Peleo Achilli datum prædicat apud Homerum:

> Τοὔνεκάμε προίηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,
> Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρα τε ἔργων,

Pericles etiam, & forſan Sophocles conſors ſtudiorum illius, & Euripides ab Anaxagoræ diſciplina fluxerunt. Æſchylus, & Pindarus emicant undique Pythagoricæ Philoſophiæ luminibus, Socratica ſchola non minor Philoſophiæ, quam eloquentiæ fuit exercitatio, quæ, præter Platonem, Xenophontem, Phædrum, Agathonem, edidit Alcibiadem Athenienſis fori turbinem. Ipſe tandem Atticæ princeps eloquentiæ Demoſthenes, teſte Cicerone, non modo Platonicæ doctrinæ ſtudioſus fuit, ſed ipſius Platonis auditor. Quamobrem cœpere Philoſophi non modo ſcientiarum, ſed etiam oratoriæ artis aperire ſcholas, quod poſt Iſocratem æmulatione illius fecit Ariſtoteles, qui ut rerum & verborum copiam diſcipulis præberet, diſputationes in utramque partem inſtituit: unde nullus Ciceronis judicio fuit antiquis temporibus eloquentiæ fons uberior, atque purior, quam Peripatetica ſchola, noſtris jam temporibus [en rerum vicem] unica fœdioris barbariæ colluvies.

Parens igitur cum artium omnium, tum eloquentiæ præcipua Philoſophia fuit: etenim, ut ait Plato, ſcientiæ omnes miro conſenſu concentuque conveniunt, & quodam ſocietatis vinculo colligantur, &, initiis cauſiſque Philoſophia duce perſpectis, rerum omnium cognitio mire conſequitur, ut appareat eorum ſtultitia Rhetorum, qui, vel auditores ad vulgarem Philoſophiam mittentes, eos juxta ſecum ſomniare compellunt, vel prorſus Philoſophiam a Rhetorica divellentes, a ſententiis verba, velut corpus a mente, ſejungunt, quaſi poſſit quis recte dicere, niſi recte cogitare ac ſapere didicerit, aut queat ullus abſque rerum notitia res explicare, moribuſque humanis, & affectionum cauſis, atque motibus ignoratis, animos hominum pertractare dicendo.

Igitur quoad eloquentia hærebat Philoſophiæ radicibus, & ad civilia negotia publicoſque atque privatos uſus, magiſque ad utilitatem, quam ad voluptatem conferebatur, nullos externos atque adventitios colores arceſſivit, ingenua pulchritudine atque candore contenta nativo: nulla enim argutiarum cura ſubit, cum

aut

aut res familiaris vel ſua, vel amicorum, aut caput, aut publica ſalus in diſcrimen venit, ipſaque ratio negotiorum, uſuſque rerum civilium a ludicris ad ſeria hominem abducit, unde in orationibus argumenta potius, & ſententiarum pondus, quam artis fucus, atque verborum ornatus eluceſcit.

Quæ ſanitas orationis & nitor incorruptus omnium veterum fuit, non modo Græcorum uſque ad Demetrium Phaleræum, qui primus aurium blanditias adamavit, ſed priſcorum quoque Romanorum; quos non modo civilia negotia, Reipublicæque aſſidua tractatio, ſed acciti e Grecia Philoſophi morum doctrinam & rerum cauſas edocebant. Quales inter ceteros egregii ætatis ſuæ Oratores fuerunt Cato, Lælius, Galba, Gracchus, Scævola, Lucius Craſſus, M. Antonius, & Ciceronis ævo Servius Sulpicius, Cajus Cæſar, Cælius, Curio, Lucinius Calvus, & ne percurram ſingulos, Ciceronis æmulus Hortenſius, atque ipſe Romanæ libertatis cuſtos, & eloquentiæ Latinæ parens, Græciæque ipſius admiratio ſimul & invidia, Marcus Tullius, cujus morte Reſpublica & eloquentia Romana ſimul occubuit. Oppreſſa enim jamdiu a Romanis Græcia, & paullo poſt a Triumviris Romana libertate, cum negotia non ratione publica, nec dicentis ingenio ducerentur, & procederent, ſed unius auctoritate Principis abſolverentur, eloquentia ſuo privata munere in declamatorum ſcholas e foro deceſſit: Philoſophia vero, in ingenioſum adulationis condimentum ab ambitioſis Principibus advocata, e ſolitudine migravit in regiam: ortaque dominatione unius ad aſſentandum omnia convenerunt: ita ut eodem tempore garrire Philoſophi cœperint, & oratores argutari, ac ſicuti ſoluta & metris alligata oratio pares virtutes Græcæ ac Romanæ libertatis tempore induerant; ita & vitia quoque eadem utraque ſub unius dominatione contraxit.

Dum tamen Philoſophia veritatis amorem amittebat, & eloquentia nativum ſuccum, & incorruptum nitorem cum fuco meretricio commutabat; e deſſuentibus harum viribus atque facultatibus crevit adoleviтque Juriſprudentia, quæ de Philoſophia priſcam ſententiarum utilitatem, & e priſca eloquentia vim atque temperantiam Orationis arripuit. Eaque dici poteſt propria & peculiaris Romanorum ſapientia, & civilis atque operaria Philoſophia, quæ vetuſtiſſimis temporibus e Pontificum collegio primum exoriens, & a Sempronio, Coruncano, Catone, Bruto, Quinto Mutio, Servio Sulpicio, Tuberone, Trebatio laudabiliter exculta, ſola ſub Principibus imperavit, ſtudiiſque refulſit doctiſſimorum ea ætate Juriſconſultorum, Scævolæ præcipue, Juliani, Papiniani, Ulpiani, Paulli, atque hiſce ſimilium; qui, Latinitate inclinata, germanum Latini eloquii candorem, & Attici ſtili pudicitiam in conſtuprata eorum temporum eloquentia cuſtodierunt: ita ut una Juriſconſultorum ſchola, in ea corruptione doctrinarum & artium, ſolidioris Philoſophiæ fuerit atque ſanctioris eruditionis & purioris eloquentiæ confugium.

Verum, decreſcente humana ſapientia, manavit latius, affluxitque divina per Deum ipſum, dum inter mortales verſaretur in ſalutem humani generis, ex Hebraicæ legis imaginibus evoluta. Quo de ſolo, Platonica doctrina irrigato atque ſubacto, veteris Eccleſiæ Patres Theologiam excitarunt. Si quidem CHRISTUS tumida eruditione modeſtæ ſimplicitati poſthabita, dum ad rudem turbam oracula ſua profunderet, ſublimitatem ſententiarum communi atque humili ſermone deprimebat, pauciſque dogmatibus expromtis, iiſque privato nullius examini, ſed fidei tantum ac pietati concreditis, operam ſuam & orationem ad mutuam caritatem animis imprimendam, divinumque amorem ſuſcitandum contulit, ut homines ad caduca dilapſos, & ab auctore ſuo devios, ad immortalia revocaret. Quam inſtitutionem Apoſtoli ſuis in concionibus imitantes, nec tam cauſas & rationes divinarum præceptionum, quam utilitatem uſumque tradentes, CHRISTI doctrinam & præcepta patientiæ, non ſublimitate ornatuque ſermonis, ſed vitæ ſanctitate atque invicta injuriarum tolerantia ſuadebant: quorum exemplo priſca Chriſtianorum inſtitutio magis in piorum operum aſſiduitate vertebatur, quam in multitudine præceptorum, longaque dogmatum ſerie deflagrante caritate, ab hæreticorum curioſitate atque temeritate parta: qui, dum Religionem argumentis Philo-

Digitized by Google

ſopho rum laceſſerunt, Patres priſcos coegerunt Philoſophiam, ſuſcipienda religione jam dimiſſam, ad ſe revocare, ut profanas rationes, auctoritati divinæ minime obtemperantes, profano etiam acumine redarguerent; Eccleſiam vero compulerunt decreta ſua ſingulis erroribus opponere: quibus decretis pro errorum numero multiplicatis & in artem digeſtis, longiſque diſputationibus expoſitis, condita fuit antiqua Eccleſiæ Theologia, e divinis luminibus Platonico acumine proſeminata.

Quo plures enim erumperent adverſarii, eo doctiores acrioreſque vindices divina Providentia Eccleſiæ ſuæ mittebat, ut Chriſti divinitatem tuerentur, & vim gratiæ divinæ, quæ præcipue erant illa ætate capita diſſenſionum: ita ut per Sabellii, Samoſateni, Manetis, Arii, Eutychetis, Neſtorii, Pelagii aliorumque furorem acceperit Eccleſia Origenem, Baſilium, Nazianzenum, Niſſenum, Athanaſium, Cyrillum, Epiphanium, Chryſoſtomum, Hilarium, Ambroſium, & Chriſtianorum eruditiſſimum Hieronymum, atque, ut alios prætercam, Auguſtinum univerſæ divinæ ſapientiæ promtuarium, cujus mens ipſa D. Paulli ſpirat in ſcriptis.

Atque hi quidem Eccleſiæ Patres ad Divum uſque Bernardum, qui ſeculo duodecimo non ſanctitate modo, ſed literis & eloquentia claruit, & gloria rerum geſtarum, ad explicationem divinæ doctrinæ, Platonicæ Philoſophiæ miniſterio utebatur, fuſum & oratorium dicendi genus adhibentes, iis verborum floſculis, atque coloribus, quibus ætas illa in tanta latinitatis labe ducebatur.

Bernardus vero cœlo receptus omnem ſecum abſtulit eloquentiam, remanſitque nobis hiulca illa, & exanguis, atque aſpera Dialecticorum dictio, paullo ante obrepens ex Arabum doctrina, contra quam ille ſanctorum ante ſe Patrum auctoritatem appellans, ingenti ſpiritu, atque totis viribus connixus, totius antiquitatis teſtimonia convocaverat: dum Petrum Abailardum oppugnaret, & Gilbertum Porretanum, qui primi pervagatam illa ætate Arabum ſcholarum Philoſophiam ad ſacras literas traduxerunt: quique cum ob eam cauſam ſe atque ſuos novis erroribus, ſive dicendi generibus veteri Eccleſiæ inauditis, implicuiſſent, ingentia perplexarum quæſtionum volumina pepererunt. Unde tum Platonici doctores idem bellum contra ſcholaſticos gerebant: quod ætate noſtra ſcholaſtici adverſus Platonicæ doctrinæ inſtauratores commoverunt. Ea ætate Petrus Lombardus, ut Chriſti Religionem e diſputationibus, quibus pene mergebatur, erueret, celeberrimum illum edidit ſententiarum codicem, in quem veterum Patrum decreta, & definitiones retulit, ut ſcholaſticarum diſputationum ambages, ea falce reciderct, ſacramque doctrinam ex eo tumultu ereptam quieti redderet atque candori ſuo. Cujus inſtitutum viri ſanctiſſimi, & in primis D. Thomas in ſuis commentariis religioſe coluit: ceteri vero, at præcipue recentiores, ut jacta ſemel ſemina, quamvis opprimantur, tempore tamen uſque pullulant, eum ad earum ſententiarum ſtudium, indolem, ac materiem afferrent inquietam, ſcholarum ſentes ac ſpinas aſſidue ibi ſerentes, longe pluribus ac moleſtioribus quæſtionum nexibus præclarum illud volumen circumdederunt, ut, quod ſcholaſticis diſſenſionibus componendis editum fuerat, præter auctoris opinionem diſputationum omnium caput & radix evaſerit.

Eodem tempore poſt diuturnam oblivionem rediit in lucem Jus civile, atque a Gratiano jus Eccleſiaſticum variis voluminibus diſſipatum, breviori codice collectum fuit atque digeſtum, quod ejus ævi Pontifices ex intima Juriſprudentia prodeuntes aluerunt exemplis elementiſque juris civilis. Verum quia tum eadem Arabum doctrina ubique ſerpebat, invaſit etiam interpretes juris noſtri, qui commentariis acutiſſimus ingentem quidem Juriſprudentiæ lucem excitarunt, at perplexis anxiiſque diſtinctionibus importunaque ſæpe ſubtilitate atque tritura ſcholaſtica, crucem poſteritati reliquerunt. Omnis igitur eorum temporum ſcientia ex Arabum fæce, atque omnis eruditio e ſcholis Juriſconſultorum, turbatis utriſque fontibus, ducebatur.

Siquidem, ut omnia mutando ab origine ſua prorſus aberrant, atque ſuperſtitioſis translationibus ſæpe graviora dicta extenuantur, ſimpliciora vero in myſteria tranſeunt, Ariſtoteles ex Arabo in Latinum, Græci ſermonis ignoratione, converſus,

verſus, verbiſque magis, quam ſenſibus redditus, oblitus prope ſui, atque a ſe deficiens, monſtra peperit ſententiarum; Romana vero antiquitas ſparſa in libris juris cum nullo judicio, nulloque diſcrimine temporum ab interpretibus, inquinate loquentibus, colligeretur: ſumma ætatum atque rerum perturbatione, ſomniis atque deliriis involvebatur: donec everſo Græcorum imperio eorum eruditio ſimul cum Romana, quæ in Conſtantinopolitanis juriſprudentiæ ſcholis nunquam intermiſſis inſederat, & germana mens Ariſtotelis, a Trepezuntio potiſſimum & Gaza Latine reddita, itemque Platonica Philoſophia, Beſſarionis auctoritate propagata, cum ſapientiſſimis Græcorum commearunt in Italiam, ubi tum priſcam Latinitatem ſuſcitabat Pogius, Guarinus, Leonardus Aretinus, Philelphus: elegantiam vero ſermonis, & artem atque delectum verborum, ſtudiaque illa, quibus extincta jam nunc iterum in publicis Italiæ ſcholis Ciceroniana dictio refloruit, magna contentione revocabat Romanus homo, Romanique reparator fori Laurentius Valla, qui non ſolum fucatam e germana Latinitate, ſed veros ab adulterinis veterum ſcriptis diſcrevit, crebraſque in omni genere veterum interpolatorum fraudes primus offecit, primaſque criticæ artis favillas excivit, quæ initio quidem verſabatur in verbis, poſtea vero, ad res mira felicitate progrediens, literarum atque ætatum omnium imaginem reſeravit, & ex ignoratis diu monumentis priſcam ſapientiam feliciter excluſit. Unde poſt Vallam exorſi ab origine diſcrimineque verborum Politianus, Parrhaſius, Merula, Budæus, Agricola, veteris memoriæ inſtauratores, priſcorumque operum, atque totius ævi judices, vindiceſque pepererunt; quales, præter Cujacium Gallum, & Italos alios, in antiquitate Romana fuere præ ceteris Panvinius, Sigonius, Manutius, Lipſius, in Hebraica & Phœnicia Bochartus, Boxhornius, in Græca Salmaſius, Caſaubonus, Henricus Stephanus, in Eccleſiaſtica e noſtratibus in primis Petavius, Sirmondus, in vetuſtate univerſa lux temporum omnium, & perennis veterum vita Joſephus Scaliger. E quorum operibus ingens illa librorum ſacram & profanam hiſtoriam emendantium copia ætate noſtra proſeminatur, inveterata jamdiu corrigendi libertate, quæ, ob optimis quidem orta initiis, nunc, proh nefas! ad eam proceſſit audaciam, ut ne ſacrorum quidem librorum auctoritati pepercerit. Itaque ars critica, quæ diſcrimen erat veritatis & temporum, atque falſæ errorum, nunc ſeditionum literariarum fomes, ac turbo ingeniorum evaſit.

At Philoſophia, ex Ariſtotelica ſervitute manumiſſa, ſcientiam initio per Teleſium potiſſimum, & Patricium Ficinum in Platone aliiſque Græcis Philoſophis venabatur: jam pridem vero a Bacone, Gaſſendo, Galilæo, Carteſio ex humanæ mentis anguſtiis ad rerum univerſitatem traducta, cauſarum veritatem hauſit ex ipſa natura.

Hoc autem omne doctrinarum fatum atque viciſſitudo, ſumto initio a doctrina Græcorum, per quos ſcientias accepimus, in ſeptem tribui, conferrique poteſt ætates, quas memoriæ, atque ordinis cauſa appellationibus notabimus ea ex doctrina ductis, quæ ſua tempeſtate dominabatur. Itaque ab Orpheo ad Pythagoram ſeculum perducimus Poeticum: a Pythagora uſque ad Alexandrum, Philoſophicum: ab Alexandro ad Auguſtum, Oratorium: ab Auguſto uſque ad Conſtantinum, ſeculum Juridicum: a Conſtantino ad D. Bernardum, Theologicum: a D. Bernardo ad Leonem X. Scholaſticum: a Leone X. ad noſtra uſque tempora ſeculum Phyſicum ſimul & Criticum: ut intelligamus, naturam una & antiquitatem ætate hac noſtra patere.

Siquidem per Phyſicam, initio quidem in Italia renaſcentem, nunc autem calamitate noſtra, quos adhuc ſcholaſticorum ſervitus premit, & exterarum nationum felicitate in tranſalpinis regionibus triumphantem, ac mortalium beneficio nova in dies inventa proferentem, germanas rerum cauſas eruimus, & in cœlum non cogitatione modo, ſed etiam ſenſibus aſcendimus, ita ut motus aſtrorum atque magnitudinem, divinæque Providentiæ ordinem, quantum homini licet, proxime contemplemur. Per Phyſicam nos mentem noſtram irretitam ignorantia retexuimus, & corpus a periculis liberavimus: cognitis enim veris ægritudinum cauſis, tumultus animi facile ſedamus: veneficas autem a corpore manus arcemus, detectis Arabæ medicinæ maleficiis per Neapolitanum Philoſophum eximium, qui primus docuit,

Medicorum eſſe optimum, qui minus utitur arte ſua. Itaque ignorantia, quantumvis domina rerum humanarum, nunquam tamen majores, quam hoc ſeculo, pœnas dedit, cum non modo jucunda verarum cauſarum cognitione, divinæque providentiæ ſublimi contemplatione privetur, ſed tortoribus animorum & corporum miſerrime ſubjiciatur.

Ars vero critica, rudis apud veteres præ noſtra & imbecillis, jam ſublato barbariæ velo, germanaque veterum codicum lectione reſtituta, omnium ætatem doctrinas & artes protraxit ad noſtrorum temporum lucem. Hæc etenim nobis Poetarum ſapientiam, & veras Philoſophorum ſententias recta explicatione verborum patefecit: hæc veteris Eccleſiæ diſciplinam retulit: hæc Patrum Theologiam: hæc denique ſimul cum Romanis moribus Romanam Juriſprudentiam reparavit.

Quæ cum apud exteros floreret, Romæ tamen, in ipſius nempe ſinu matris, turpiter langueſcebat, publicamque lucem vitabunda e privatarum ſcholarum latebris, non juris doctrinam, ſed peſtem judiciorum in forum evomebat, iis ad lites tractandas emiſſis, qui vix ſemeſtre ſtudiorum ſpatium emenſi, toto foro vulitantes, jus civile noſtrum, heu qua fronte! apud doctiſſimos magiſtratus & judices profitebantur. Verum ſapientiæ univerſæ cum humanæ, tum divinæ inſtaurator Innocentius XII. hanc maximam tribunalium & judiciorum labem ſimul cum ceteris corruptæ diſciplinæ vitiis eluit: ut non modo magnificis ædibus, ſed, quod pluris refert, ſanctiori ac meliori doctrina Juſtitiæ perpetuam ſedem extrueret, emendata per ſtudiorum rectam inſtitutionem radice ipſa Juſtitiæ, ipſoque boni & æqui fonte purgato. Quod conſilium, divinitus a Sanctiſſimo Pontifice ſuſceptum, Eminentiſſimi Quæſtoris Joannis Baptiſtæ Spinulæ Cardinalis ſapientia, effuſaque beneficentia, ſummis infimiſque plaudentibus, inopinato explicavit. Dixi.

Habita Romæ XIV. Kal. Novemb. MDCC.

ORATIO

PRO LEGIBUS ARACADUM

VErerer profecto, Arcades, (*) ne veſtram omnium offenſionem incurrerem, ſi legum ſuadendarum cauſa me apud vos orationem hanc habere profiterer. Quid enim his legibus complexi ſumus, quod vos non antea imbiberitis animo, & arripueritis uſu, ac morum candore atque ſimplicitate præſtiteritis? Sane leges nos laturi non ſumus imperitæ atque incertæ multitudini, cujus ad mores emendandos oportuerit rogationes noſtras imbuere acerbitate atque triſtitia, quam corrupti vitiis homines perhorreſcerent. Nec vos legem aliquam juſſuri eſtis, in qua privati commodi ac alienæ dominationis ulla ſuſpicio lateat.

Vexet hæc animi ſollicitudo eos, qui media in urbe aut imperioſæ ambitionis aura tolluntur, aut homines avaritia flagrantes, mutuiſque odiis diſſidentes legum ſeveritate compeſcere conantur. Quod cum impetratu difficillimum ſit, blanditiis verborum, & orationis calliditate, artificioque dicendi reluctantes animos ad leges leniter flectunt. Nos vero, Arcades, a conditione illorum longe mehercule abſumus: quippe qui ſex ab hinc annis, antequam conveniremus in agros, & paſtoritium vitæ genus amplecteremur, exceſſuri urbe, ſuperbos & factioſos mores, avarumque ingenium ſimul cum urbanis pompis exuimus: neque huc aliud adduximus, præter cultum literarum, & innocuum laudis amorem; cui alia conjunximus animi bona, quæ merſa jam civilis vitæ fluctibus, pleno atque optimo jure hiſce in agris recuperavimus. Unde poſtquam

(*) Quantopere Itali ſocietatibus literariis delectentur, in vulgus notum eſt. Inter has Romæ Arcades, inſtitutum Academiæ Abbreviatorum, quam Platina, Pomponius Lætus, Jacobus Pontanus, & Jacobus Sanazarius nobilitaverant poſtliminio reduxiſſe videntur. Abbreviatorum enim ſodalitium ſuſtulit Paullus II. Pontifex, oſor literarum, & qui hortari Romæ parentes ſolebat, ne quid diſcere liberos ſuos ſinerent, quam legere & ſcribere. *Ferrarii proluſio* IX. p. 110. Pertinebat autem Academia Arcadum ad cultum liberalium ſtudiorum veteris Romæ & Græciæ, cum eadem ſtudia in lingua vernacula Romæ commendata eſſent Academiæ Humoriſtarum. Inter Arcades nobilis quoque Antonius Malgonellus, cujus orationes & Epiſtolæ Romæ prodierunt 1697. in 12 mo. ſed qui argutiis Plinianis juſto nimis delectatur.

quam ad ſimplicitatem naturæ, a qua pene deſciveramus, tanquam ab exilio redivimus; cupiditates, quæ faces animorum ſunt, tandem ſubſiderunt, indeque in unum eundemque ſenſum coaluimus, ut, cum plures ſimus, una tamen mente univerſi ducamur, & innocentiam atque ſimplicitatem ſinguli meditemur. Hinc in animis cunctorum concordia viget & ſtudium æqualitatis, quod in ſingulorum pectoribus diu incluſum hiſce prodendis legibus aperitur. Siquidem jus omnes noſtrum, & voluntates in commune contulimus, & univerſi cætus arbitrio rei noſtræ communis adminiſtrationem & regimen permiſimus, ut in publico juſſu vim quiſque propriam, juriſque ſui portionem recognoſcat. Et quoniam voluntas communis per ſingulos explicari minime poteſt, neque ſingulis negotiis omni tempore intereſſe univerſi queunt, ideo iis expediendis Cuſtodem ſingulis Olympiad. creamus, eique deliberandi, conſultandique cauſa XII. collegas adjungimus: quorum concilium, quia ex cuſtode atque collegis conſtituitur, collegium appellamus, ut per cuſtodes & duodecimviros a cuſtode legitime coactos res communis adminiſtretur. Verum ne ſingulorum auctoritas, & jura cunctorum diu in certis hominibus hæreant, inita ratio eſt, qua facultas paucis tributa redeat ad ſingulos, geſtaque ac decreta collegii ad univerſi cœtus judicium revocentur. Ideo quæ a cuſtode atque duodecimviris acta fuerint, non aliter rata perpetuaque habentur, quam poſtquam juſſa ſcitaque ſunt ab univerſo cœtu, qui relationum audiendarum cauſa bis ſaltem hyeme convocatur. Ita quod quiſque tribuit alteri juris ſui, certo tempore repetit, ac paucorum adminiſtratio ad judicium revolvitur univerſorum, ut nihil Arcadico nomine prodeat, quod non jus & voluntatem omnium præ ſe ferat. Ac ne oppreſſa jam ambitio in animis noſtris aliquando reviveſcat, omnia ſunt e cœtu noſtro gradus ac dignitatis ſublata diſcrimina, proinde ac decet homines, qui depoſita civili perſona, paſtoritiam induerunt. Et quoniam eos, qui vitam innocenter inſtituunt, ipſa tuetur per ſe probitas, & ſatis muniti ſunt adverſus injuriam, quibus res anguſta ſufficit, & proprio labore parabilis, neque appetunt aliena, ideo hiſce legibus interdictum nobis eſt potentiorum patrocinio, quod in imperium ſæpe convertitur. Ut autem animorum concordia perpetuo maneat, omnis a cœtu noſtro verborum contentio & dictorum aſperitas procul arcetur, ac ne jurgia ex anguſtia finium oriantur, numerus paſtorum ad prædiorum rationem & numerum deſcribitur, ut ſua ſingulis paſtoribus prædia ſuppetant. Illud vero præ cæteris in veſtris inſtitutis laudandum, Arcades, quod poſt has leges latas omnis præcluditur aditus novis, ne legum tandem infinitas abſurdam illam juris ambiguitatem adducat, qua in urbibus miſerrime conflictatur. Crebræ autem leges indicia ſunt increbreſcentium vitiorum, quibus opprimendis prudentes novam novis legibus rationem pro tempore ac moribus comminiſcuntur. Veſtrum vero jus, Arcades, patens eſt & ſimplex, quale decet eos, quorum tales & aperti ſunt mores, qui, abſterſa urbanæ ambitionis labe ſponte ſua feruntur ad naturæ normam, cui redditi jam ſumus, undeque hauſimus atque ſuſcepimus, quas vobis leges Latine conſcripſimus, quæque veſtris in animis diuturna innocentiæ conſuetudine inhæſerunt. Nihil enim hic alienum, nihil extrinſecus arceſſitum: ſed quidquid eſt, totum introrſum latebat, & ex nobis ipſis petitum eſt, ejuſque ſenſus e veteribus veſtris commentariis fuit evocatus. Atque hoc forſan ex hodiernis comitiis adſequemur, quod, expoſitis publice noſtris legibus, facies quodammodo ac adſpectus patebit ipſe virtutis, occurretque oculis adumbrata hiſce in tabulis vitæ tranquillitas, ut, qui opibus & honoribus intumeſcunt, ſenſuri poſt hac ſint, quanto præſtet opulentiæ contemptus ipſius, quamque ſibi rectius conſulant, qui literarum laudem, cujus cauſa hoc vitæ genus inſtituimus, imbecillis & caducis fortunæ bonis anteponant. Qui enim opibus & ambitione certant, ſæpe merguntur fluctibus, antequam longe portum adſpexerint; ac ſi poſt diuturnam jactationem emerſerint, aucti dignitatibus, cupiditate ſimul augentur, & ſpe majori attolluntur, metuque inſidiarum & æmulorum excruciantur, ita ut ſimul cum impetrata dignitate perpetuam ſibi ſollicitudinem comparent homines præpoſteri, qui, ut ſplendorem & commodum vitæ conſequantur, vitam ipſam indigne

gne projiciunt, quique non minori pretio emunt honores, quam jacturam ſui ipſius. At fuerit tandem in adipiſcendis honoribus magna illa quidem, ſed majori certe moleſtia comparata voluptas, an non ea ſenſim, ut humana omnia, vel ipſa dignitatis conſuetudine atque uſu diluitur, vel prorſus extinguitur, æquato, imo ſæpe prælato, qui dudum erat inferior? ut priſtinam lætitiam novi livoris morſus, & exorta recens indignatio repente conturbet. Quanto vos igitur, Arcades, ſapientius, qui ne injuriis & inſidiis pateretis; nullum vobis in urbibus a fortuna præmium exoptaſtis, ſed ruri degentes, ex innocentia morum, & Muſarum cultu, & ex æternitate literarum per voſmetipſos capiundam voluptatem exiſtimaſtis, eumque honorem ex vobis nomini veſtro petiiſtis, quem nec addicere ulli, neque adjudicare fortunæ vel hominum poſſit auctoritas? Dignitatem enim, a fortuna vel potentiorum voluptate delapſam, docti & probi ſæpe communem habent cum imperitis & flagitioſis, ingenio vero pariam nonniſi cum Deo optimo maximo. Hoc veſtrum conſilium, Arcades, quicunque his legibus intellexerint, deſinent tandem illi contemnere præ urbanis ſtudiis paſtoritiam vitam, quique dudum ob divitias & magnificentiam ſe beatos putabant, invidebunt poſt hac vobis animos urbana regum opulentia longe majores. Haud etenim veſtram perſtringit aciem faſtus & tumor, quibus vita civilis inflatur, neque vos capit in ſpeciem adornata virtus, qua ſecretis animi malis caligo prætenditur: tenent enim iſta, quoad ambitioſis res feliciter cedunt, ac cum illi tantiſper offenderint, & ambigua ſorte leviter inclinaverint, replicatis ſplendidis illis miſeriarum involucris, retruſæ diu ægritudines continuo patefiunt; veluti morborum ſemina, quæ in integris adhuc & ſanis corporibus haud dubie latent, his autem incommoda valetudine leviter tentatis, commoventur cuncta, & obſcura viſcerum vitia repente panduntur. Ad nos vero, Arcades, ſi quod vitium penetraverit, ſtatim eminebit, quoniam animus noſter undique pellucet, urbano enim artificio & fuco minime ſe obnubit. Non igitur vereor, ne ſuffragium inituri ſententiam mutetis, aut in jubendis legibus paullulum hæreatis. Sunt enim iſtæ ab æqualitate & innocentiæ ſtudio profectæ: ut vix in lucem editi, eas, ipſa ferente natura, ſciveritis. Gravitas autem veſtra ſpem mihi affirmat, fore, ut eis libenter & ex animo pareatis. Non enim alio ſpectant, quam ad cultum literarum & vitæ probitatem. Quæ niſi perpetuo inter vos verſetur, eo deteriores eritis ceteris mortalibus, quod eum ad munienda vitia urbanis præſidiis careatis, maxime tamen ob literarum gloriam ex invidia laboretis. Quamobrem haſce ego leges, *quod bonum, fauſtum, felixque ſit, vobis & veſtro communi jubendas cenſeo*. His itaque recitatis, atque rogatis, ite in ſuffragium, Arcades, Deo bene juvante.

LEGES ARCADUM.

I.

PENES COMMUNE SUMMA POTESTAS ESTO. AD IDEM CUILIBET PROVOCARE JUS ESTO.

II.

CUSTOS REBUS GERUNDIS ET PROCURANDIS SINGULIS OLYMPIAD. A COMMUNI CREATOR. MINUSQUE IDONEUS REMOVETOR.

III.

CUSTODI VICARIUS ET COLLEGÆ XII. ADSUNTO. EORUM SINGULIS ANNIS CUSTOS CONSULTO UNIVERSO COETU NOVOS SEX IN ORBEM ELIGITO, SEX VETERUM RETINETO. ADMINISTROS SIBI DUOS ADSUMITO. PRÆTER HÆC ALIA MUNERA PUBLICA NE SUNTO, PATRONUS NULLUS ESTO.

IV.

SUFFRAGIA SECRETA SUNTO. EAQUE IN CUSTODE CREANDO AUT REMOVENDO TRIFARIAM DIVIDUNTOR. JUSTUSQUE NUMERUS DUÆ PARTES SUNTO. CETERIS IN REBUS BIFARIAM DISPERTIUNTOR. QUIQUE PARTEM DIMIDIAM EXSUPERAT NUMERUS JUSTUS ESTO. SI PARIA FUANT ITERANTOR. DEINCEPS RES SORTI COMMITTITOR.

V.

V.

QUICQUID PER COLLEGIUM DE REBUS COMMUNIBUS ACTUM GESTUMQUE FUAT, QUO PERPETUO RATUM SIET, PER CUSTODEM AD COMMUNE REFERTOR.

VI.

COETUS UNIVERSUS RELATIONIBUS AUDIUNDIS ACTISQUE COGNOSCUNDIS HYEME SALTEM BIS IN ÆDIBUS: CARMINIBUS AUTEM AUT ORATIONIBUS PRONUNCIANDIS PRÆSENTIUM QUIDEM PASTORUM PER ANNUM SEXIES: ABSENTIUM SEMEL VERNIS ET ÆSTIVIS FERIIS IN NEMUS PARRHASIUM PER CUSTODEM SUB DIO CONVOCATOR.

VII

MALA CARMINA ET FAMOSA OBSCOENA SUPERSTITIOSA IMPIAVE SCRIPTA NE PRONUNCIANTOR.

VIII.

IN COETU ET REBUS ARCADICIS PASTORITIUS MOS PERPETUO; IN CARMINIBUS AUTEM ET ORATIONIBUS QUANTUM RES FERT ADHIBETOR.

IX.

ARCADICO NOMINE TYPIS INJUSSU PUBLICO NE QUID EDITOR.

X.

QUOT PRÆDIORUM ARCADICORUM TITULI, TOTIDEM PASTORES PASTORUMQUE NOMINA SUNTO. INQUE MORTUI AUT EXPUNCTI LOCUM ALIUS SUFFICITOR.

SANCTIO.

SI QUIS ADVERSUS H. L. FACIT FAXIT FECERIT; QUIQUE FACIT FAXIT FECERITVE QUOMINUS QUIS SECUNDUM H. L. FACERET FECISSETQUE FACTURUSVE SIET, CONFESTIM EXARCAS ESTO; EJUSQUE NOMEN CORAM COLLEGIO PER CUSTODEM INDUCITOR.

SI QUID IN HIS LEGIBUS OBSCURUM PERPLEXUMVE SIET, SIVE COMPREHENSUM NON SIET, COMMUNI ARCADUM CONSULTIS PERITIORIBUS INTER PASTORES MORE MAJORUM INTERPRETANDI SUPPLENDIQUE JUS ESTO. QUODQUE DECRETUM JUDICATUMVE SIET PENES CUSTODEM ADSERVATOR. IN LEGUM TABULAS NE REDIGITOR. NULLI NOVAS LEGES FERRE FAS ESTO.

DE LINGUA LATINA
DIALOGUS
AD
Emmanuelem Martinum. (*)

DUM legerem notas a te ad peſſimos nebulonis illius noſtri verſus appoſitas, non ſolum, Vir Clariſſime, doctrina delectabar, quam coarguendis erroribus adhibui-ſti; ſed & tua cavillandi urbanitate ac facetiarum acumine rapiebar, & benevolentiam erga nos, atque honeſtatis tuendæ, audaciæque coercendæ ſtudium oppido quam admirabar. Nec enim impudentiſſimi ſcurræ deliria tanti fuiſſent, ut mererentur doctorum hominum iram, & ſtylum tuum nitidiſſimum ab illuſtranda vetuſtate, ac exponendis originibus linguæ Latinæ, ad pueriles ineptias exagitandas converterent. Verum unde hoſtium obſcuritate pridem abducebaris, eo te tandem evocavit ſemidoctorum hominum plauſus, quibus ea peſtis in bonorum injuriam nutriebatur; ut non prius putaveris furores illius belluæ repreſſum iri,

(*) Leguntur hujus Martini epiſtolæ quædam inter Epiſtolas V. Cl. Gregorii Muzanſii, Antecefſoris Valentini, cui plurimum debent Muſæ in Hiſpania, editas Valentiæ Edetanorum 1732. Agnoſcas in iis diſcipulum Gravinæ, ſive ſoluta ſive ligata oratione ſcribat. Vide carmen, quo diverſitatis bibliopolæ Londinenſi libris ſuis literas earumque ſtudium deteſtatur. Hic dialogus autem parum recedit ab illa ſtili ubertate, qua Gravina in orationibus ſuis uſus erat, etſi Dialogus ſtilum tenuem, vitæ & conſuetudine quotidiana utimur deſide deatur.

quam perditos ſycophantas & inſulſos poetaſtros tuis telis confodiſſes, & inauditam temeritatem, quæ ſimplicioribus fraudem ferebat, & juventutem a recto cum orationis, tum vitæ inſtituto detorquebat, patefacta jam ſtolidiſſimi Thraſonis ignorantia, perdomuiſſes. Quippe compertum tibi erat: (*a*) *ὅτι εὐπράττειν παρὰ τὴν ἀξίαν ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται.*

Illud modo, Vir doctiſſime, piget, tua te doctrina nequiſſe uti tam parce, quin plus interdum ſuſceperis, quam tibi eſſet a bonorum deſiderio tributum & denunciatum, & dum barbaræ dictionis vitia palam faceres, egiſſe tam ſerio, ut illinc, oratione latius continuata, non raro ad abſtruſiores eruditionis locos excurreris, & in mendis paullo nimium ponderandis, adducendiſque bonorum ſcriptorum exemplis, operam tam male locaveris, quam qui viliſſimis centonibus pretioſiſſimam purpuram attexuerit. Age porro nunc, quando ſatis eos tuis aculeis confixiſti, &, quod intenderas, vulgares animos in fraudem inductos, ac ad admirationem inquinatiſſimæ dictionis erectos, magnam partem ab errore liberaſti; refer te, quæſo, ad graviora ſtudia, & invidos dimitte conſumendos livori ſuo. Te namque monitum velim, haſce belluas a nobis miſeriores non fore, quam ſuopte ingenio ſunt; quippe proprio livore confecti, & alienis meritis exulcerati, pœnas dant injuriarum, antequam læſerint. Qui namque tam furioſe ruunt, ut in optimos quoſque immodica licentia verborum incurrant; hi, cum ſummæ libertatis compotes videantur, ſervi tamen ſunt & adminiſtri perturbationum, quarum turbine correpti, eo tandem adhæreſcunt, quo impotentis animi fluctibus ejiciuntur. Enimvero quos in nos liberiores vides, hos prædam & nexos eſſe noſtros puta: quoniam animos eorum pro arbitrio verſamus atque torquemus, &, quum libet, in ægritudinem conjicimus, ſimul atque ingenii robur, ſi quod habemus, aliquo patefaciamus exemplo, ut liqueat, invidos alieni potius juris eſſe, quam ſui, &, quomagis eorum te miſereat, bonorum meritis veluti aſpectu tortorum urgeri. Nimirum livor & malevolentia tum procreatur maxime, quum in anguſtis animis atque jejunis ſpecies alienæ virtutis expanditur; contrahitur vero & affligitur opinio ſui. Etenim id genus homines uſque eo præſtantioribus plaudunt, & præcurrentibus favent, quod conſequi poſſe confidunt: ubi vero ſpe ceciderint, eos, quibuſcum fruſtra contenderent, quo diſcrimen minus emineat, maledicentia premunt. Levis autem eſt, quæ ab opibus & novis honoribus conflatur invidia, præ illa, quæ a præſtantiori doctrina ſuſcitatur. Cum etenim a ceteris animantibus mente ac intelligentia diſtinguamur, quiſquis, ubi veritatis ſplendor effulget, in ingenii contentione ceſſerit, is e ſuo videtur humanitatis jure decedere, ac propriam quodammodo extenuare naturam. Scilicet animi tantum bona mortales jure mancipii jureque optimo poſſidemus: externorum uſus tantum apud nos eſt, proprietas & arbitrium penes Fortunam. Unde quum ingenii vires in judicium veniunt, qui cauſſa ceciderit, capite potius quam bonis mulctatum putaveris, nec tam extenuatum dixeris, quam extinctum.

Tenuibus enim opulenti opinione tantum antecellunt. Sapientes vero ſtultis reapſe præſtant & natura. Sane ſi mea fuerit optio, bonam mentem cum Crœſi fortunis minime commutaverim. Stulti enim opibus & copiis, quibus aliis arroganter & ſuperbe dominantur, ipſi miſerrime ſerviunt; ſapientes vero, qui cauſſarum nexum intelligentia, intelligentiam voluntate ſequuntur, cupiditates extra naturæ finem effuſas ad rationem revocantes, Fortunam ſubigunt, & cum Juſtitia per ſe convenientes, leges non dominas habent vitæ, ſed comites; neque magiſtras, ſed conſortes & ſocias conſiliorum. Ita ut vix ulli, præterquam ſapientibus, liceat in libertatem vindicare ſeſe: quandoquidem fortunam contemtu rerum humanarum eludunt, verſiſque virtutibus in morem, congruunt legibus, non obtemperant. Conviciis autem & maledictis minime perturbantur, ſed animo præſenti atque acri reſiſtunt: tum quia, quod attribuere improbi nequeunt, calumniis fruſtra tentaverint; tum quia ſtudiorum præmium non in judicio imperitorum, ſed in ipſa ſapientia ſitum eſt: tum denique quod ægre quis invi-

(*a*) Demoſth.

invidiam declinarit, niſi vel alios retexuerit, vel ipſe a virtute deflexerit, quorum alterum abſurdum foret, alterum plane ſtultum. Quisquis autem pro rebus maximis, qualis gloria literarum eſt, invidiam ſubit, hunc optimum ſane putes iniiſſe conſilium. Aciem enim invidiæ dies obtundit & veſtigia livoris ævum obliterat: laudem vero doctrinæ poſteritas alit, atque adeo ipſa conſervat & tuetur æternitas. An autem patientiſſimis temporibus, in quibus furor tam impune diſcurrit, ut ne principibus quidem viris abſtineat, homuncio ipſe ſperaſſem nomen noſtrum fore ſacroſanctum, cum eos omnes haberem inſenſos, qui laudem ſuam ducunt e vitioſa corruptaque doctrina, quam nos pro viribus oppreſſimus atque concidimus? præſertim cum genus hominum laceſſiverimus, qui flagitium nullum, ſi ſejunctum a periculo fuerit, abominantur; ac ſatis honeſtati datum arbitrantur, ſi fugiant in ſceleribus nomen profiteri ſuum. Horum enim ſententia honeſtum eſt quodcunque latet. Nunc, quando mihi tanti non fuerunt, ut a memet ipſo aberrare me cogerent, ac infixum animo illud Horatianum eriperent:

Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere miſer;

minime te, Vir doctiſſime, patiar in ea contentione diutius verſari, ne, quantum induſtriæ ac ſtudii confers ad horum lapſus reprehendendos, compeſcendoſque indoctorum ſtupidos plauſus, tantum operi ſumma cum laude ſuſcepto, non ſine magno literarum detrimento, detrahatur. Ac ut eo te revoces, unde benevolentia in nos tua, & odio improbitatis abſtrahebaris, quod ut ſæpe ſoles in familiaribus colloquiis, ut juvenes popularis linguæ facilitate captos, & verſionibus librorum, qui in diem prodeunt, occupatos, ad linguæ Latinæ cultum impellas, id ego nunc ſcriptis præſtiti; dialogumque contexui, in quo te induxi diſſerentem, atque aliquid promentem eorum, quæ tu de Latinæ linguæ origine in tuis eruditiſſimis commentariis uberius multo explicabis, ac plane ſubtilius.

EMMANUEL. PROCULUS.

PR. Præter morem, Emmanuel, ſub auroram domo egrederis.

EM. Verno tempore, ac cœlo, ut vides, tam ſereno, quid matutina deambulatione ſalubrius? PR. Niſi malis eſſe ſolus, me tibi comitem adjunxerim libens. EM. Imo jucundiſſimo ſermone tuo curis levari vehementer gaudeo. PR. Vide, ne potius moleſtus advenerim, teque a ſocio longe ſuaviori diſtraxerim. EM. Cedo, a quonam? nemo enim ante te nobis occurrit. PR. Ab eo ſcilicet, quem domo tecum extuliſti, quemque adeo geris in manu. EM. Codicem nempe hunc ſignificas? PR. Ipſum. EM. Sane hunc arripueram, ut, ſi ſolus fuiſſem, illius lectione aliquantiſper oblectarer: nunc, quando in te incidi, malo haſce horas colloquendo tecum, quam legendo, transigere. PR. Quis vero eſt auctor? EM. Tullius. PR. Subolerat. Mirum, ſi momento eum dimiſiſſes. EM. Imo vero mirum eſſet, ſi hunc ſcriptorem non haberem eximium, quo nemo eſt auctor in eloquentia Latina, & in omni ſermonis elegantia locupletior, nemo ſplendidior, nemo uberior, nemo in omni eruditione celebrior, nemo denique de quo cum tot laudes ſint diffuſæ, minus tamen pro illius dignitate ſit dictum. Niſi vero aliquis eorum ſis, quibus hoc tempore Cicero ſordet, Appulejus murrinam olet. PR. Dii nolint, ut uſque eo deſipiam. Sed eo dixi, ne tibi conſtitutum ſit linguam Linguam Latinam præ ceteris amplexari, cum tot annos in veteribus libris verſeris, ut jam alio tibi migrandum cenſeam. EM. Quaſi non majus ſit negotium partas opes tueri, quam parare. Noſti illud Demoſthenis: πολλάκις δοκεῖ τὸ φυλάξαι τὰ ἀγαθὰ τοῦ κτήσασθαι χαλεπώτερον εἶναι. PR. Factum igitur Emmanuel non mutaverim, quippe ne implicarer, nullum Latine ſcribendi uſum, ſed auctorum mihi tantum intelligentiam appetivi, ac experiri nolui, quod erat impetratu difficillimum. EM. At cognoſces in tempore, quantam & animo voluptatem, & inventis lucem ademeris neglecto uſu ejus linguæ, quæ una poteſt cogitationes hominum & res geſtas in orbis terrarum univerſi partes diſſeminare, ac adæquare cum omni poſteritate ſcriptoris memoriam. PR. Ita ne vero? an ideo nobis hiſcere non licebit? quaſi non idem vulgares linguæ præſtiterint, quod uni tu Latinæ tribuis. Adeone nobis erit maligne? ut, cum quis Italica lin-

lingua ſenſus ſuos aperuerit, lectorem non ſit inventurus apud Hiſpanos, Gallos, & Germanos, ad quos omnes noſtri ſermonis uſus increbuit. Ut autem noſtram linguam Italia finiri concedamus; an non Gallica nobis prævaluerit, quæ Borealem omnem oram occupavit, & una cum Gallorum commertiis vel ad remotiſſimas terrarum regiones excurrit? Et libris converſis veterum, omniumque populorum ſcriptis Gallice redditis, jam copias & ornamenta cunctarum pene linguarum exhauſit; ita ut ei, qui Latinam vel intermiſerit, vel ablegarit, una Gallica poſſit eruditionis univerſæ campum aperire. Quæ enim antea præterquam Latinis patebant nemini, nunc occurrunt & collucent omnibus, non ſolum viris, ſed & fœminis: cum nihil hodie tam ſolemne ſit apud matronas, quam de Marianis Conſulatibus & Syllana Proſcriptione diſceptatio. EM. Per te igitur, Procule, relictis patriis finibus, ad exteros tua natio commigrabit. Ut, quum faſces jam diu tranſalpinis hominibus ſubmiſeritis, linguam omnium olim gentium dominam, victricem populorum, commune nationum vinculum, extinguatis: &, quod unum ſupereſt vetuſtæ majeſtatis monumentum, evertatis. Verum ne te ad jus gentium revocem, neve tibi patrii ſoli caritatem inculcem; utque dederim hiſtorias & ſcientias popularis ſermonis luce ſatis eſſe jam promptas; integramne in aliena lingua oratores & poetæ propriam venuſtatem & elegantiam retinebunt? Non te fugit ineſſe linguis colorem præcipuum & nitorem, ſcriptoribuſque ſingulis inditam eſſe patriam urbanitatem & nativum leporem, qui peregrino linguarum ingenio corrumpitur; ita ut ingenuus ille flos eloquentiæ convulſus e ſolo ſuo ſtatim exareſcat, ac germana virtus orationis externis moribus obliniatur. Partium namque complexio, verborum compoſitio, ſonus, & numeri, quibus tota conſtat dicendi venuſtas, diſſolvuntur, & ipſæ quoque ſententiæ conciduntur & enervantur; ac vigor & adſpectus eloquentiæ nativæ novis & exteris coloribus inducitur & aboletur: imo ſcriptoris ſenſus ipſe pervertitur interpretis vel negligentia, vel, quod non raro accidit, imperitia: vel quia peregrina lingua Romanæ aut Græcæ copia, ubertate ac vi minus plerumque reſpondet. Verum fac ut interpres eandem venuſtatem, ac veritatem & ſanitatem orationis aliena lingua reddiderit; fac ut popularis percurrat, quouſque Romani ſermonis amplitudo diffunditur; ſpem certe diuturnitatis, quæ a Græcis & Latinis literis oſtenditur, peregrinis nunquam attinges. Latina enim lingua Romanorum armis & commercio, ſimul cum imperio in omnes fere orbis terrarum regiones penetravit, & ubique diſſeminata eſt, ſparſis atque etiam continuatis ſæpe coloniis, præcipue vero propagata eſt & conſervata legibus atque judiciis, nec enim licebat lege agere, aut in judicio reſpondere apud Romanum magiſtratum peregrina lingua, neque fas erat magiſtratibus in provinciis reddere jus niſi Latine. Solemnes autem formulas vetitum erat peregrina lingua corrumpere. Nam quiſquis formulas & verba civilia labefactaſſet, is neque contrahebat obligationem jure civili, neque diſſolvebat, nec heredem recte inſtituebat. In ſolis enim fideicommiſſis utilitatis cauſſa relaxata eſt ſeveritas juris civilis; ita ut receptum fuerit, heredem inſtituere verbis obliquis: quæ directis opponuntur, ſive civilibus: de quibus (a) cum antea dubitaretur, an eadem fuerint, dubitationem omnem ſuſtulit Ulpiani liber Regularum, ubi fideicommiſſum definitur: *quicquid non verbis civilibus, ſed precariis relinquitur*. Ex quo licet colligere, verba civilia eadem eſſe ac directa: nempe more imperantis enunciata: quibus implebatur quicquid ex jure civili, ſive ex legibus XII. Tabul. deſcendebat. Eaque legis verba dicebantur. Unde teſtamenta, quæ ſunt privata quædam lex, verbis directis quoque conficiebantur; (b) veluti: *Titius heres eſto*. Actus igitur legitimi, qui & ſolemnibus verbis peragebantur, nempe emancipatio, aut acceptilatio, hereditatis aditio, ſervi optio, datio tutoris, ſervi liberatio, Latinis verbis præſcriptiſque formulis exprimebantur. Imo ne legatum quidem Græcis verbis recte relinquebatur Ulpiani tempore, quod ex *capite* 25. *Inſtitutionum*

(a) Cujac. *leg. Verbis civilibus ff. de vulg. & pup.*

(b) Cujac. 12. *Obſerv. cap.* 35.

tionum colligitur. Sed fidei commiſſum contra Græcis verbis relictum valebat : [a] propterea quod legatum ex jure civili, fideicommiſſum ex moribus deſcenderet. Atque ex forenſi uſu multa & ad extraneas linguas permanarunt Latina vocabula, quorum plura in Syriaca Caſaubonus obſervat, non forenſia modo, ſed & militaria: ita ut Latinus ſermo, veluti ſanguis, in totius imperii Romani corpus ſimul cum Romanis moribus fuſus fuerit. Populis quoque reſponſa Latine tantum ab his, qui cum imperio erant, reddebantur, ut nemo ſine incommodo ea lingua caruerit. Unde Gregorius Thaumaturgus queritur, quod coactus ſit ob imperium magiſtratuum & uſum judiciorum eam linguam addiſcere, quam idoneam ſane ad imperium reputabat. Et quamvis imperium ex Italia ſublatum fuerit, ac in Græcia defixum, indeque ad Germanos translatum, & Græciam ſimul atque Italiam colluvies barbarorum obruerit, extincta prope cum legibus moribuſque Romanis Latina lingua, tamen ubi Germani, qui ad hæc ſtudia duriores erant, ingenium ad literas flexerunt, atque codicibus Romanarum legum longo poſt tempore repertis, mores ſimul & jura vetera revixerunt; emerſit etiam lingua Latina, ut ſtudioſis vetuſtatis hiſtoriarum & juriſprudentiæ lucem accenderet. Nec parum ad illius firmitatem & uſum contulit auctoritas Eccleſiæ Romanæ, quæ Græcis diſciplinis auctoritatem Latinarum literarum oppoſuit, qua, veluti nota quadam juriſdictionis & imperii, ſuos a Græcorum moribus diſcrevit, ut quo latius Eccleſiæ Romanæ poteſtas excurreret, eo altius ſermonis dignitas emineret. PR. Fateor ſane his radicibus coaluiſſe, indeque conſervatam fuiſſe Latinam linguam; ſed cum Græcam adhuc retineamus, nec his fuerit munita præſidiis, cur eandem ſortem vernaculis linguis ſperare non licebit? EM. Quid? An ne tu nihil amplius Græcæ linguæ tribuis quam vernaculis? cum illa & origine, & auctoritate, & dignitate linguis ceteris antecellat maxime, ac tanto ceteris præſtet quanto proli parentes, rivis flumen. Neque vernaculæ, quæ a Latina tanquam a capite perfluunt, retineri & conſervari poſſent, niſi ad Latinam, atque inde ad Græcam, quæ omnium fons eſt & origo, revocarentur. Plura, fateor, ab Etruſcis, Volſcis, Oſcis, Sabinis, ac finitimis populis in Latinum ſermonem incidere vocabula: ſed nihil patet latius, quam id, quod a Græca manavit, ac deinde curſu temporum & ingenio populorum varia inflexione, ac literarum commutatione corruptum eſt, idque potiſſimum ab Æolica lingua fluxiſſe ſcriptores ex inflexionum ac terminationum affinitate conjiciunt. Quorum non omiſerim Dionyſium Halicarnaſſeum, qui ſcribit, Romanos nec ferme Græca lingua uti nec plane barbara, ſed ex utraque conflata; maximam vero partem Æolica, *ὡς ἐςὶν ἡ πλείων Αἰολίς*. Ad quæ deſcenderunt & Quintilianus, & duo poſt hominum memoriam graviſſimi atque erudit iſſimi vetuſtatis interpretes Joſephus Scaliger & Samuel Bochartus. Imo Verrius inter veterem Romanam & veterem Græcam minimum intereſſe contendebat, hiſce ductus Ennii verſibus:

Contendunt Graji, Grajos memorare ſolemus,
Quod Græca lingua longos poſt tempori tractus,
Hos pavi.

Nec mirum, ſi, a quibus Romani genus duxerant, eorum & linguam retinuerint, quippe profecti ex Aboriginibus, quorum genus a Græcis plerique ſcriptores repetunt. Multo namque ante bellum Trojanum tempore Arcades Oenotro Lycaonis filio duce ex Peloponneſo in Italiam ſeſe effuderunt, & cum montes occupaſſent, a finitimis Aborigines appellati. Græcis enim mons ὄρος dicitur. Atque hi Græcorum gentem vetuſtiſſimam Pelaſgos, a quibus & Arcades erant oriundi, ex Hæmonia in Italiam appulſos, ac diuturnis erroribus fractos & diſſipatos, ſedibus exceperunt. Ad Arcades autem aliqui ſcriptores referunt uſum dimidiaræ lunæ in calceis Romanorum Senatorum intextæ: propterea quod auctores eorum Arcades de antiquitate cum luna contenderent, quamvis aliqui velint eſſe notam centenarii numeri, quo fuit a Romulo Patriciorum ordo concluſus. PR. Video,

te

(a) Duaren. *lib.* 2. *Anniver. cap.* 9.

te Romanorum originem altius repetere, ac deflectere ſimul e via, cum commune ſit, ac mira ſcriptorum frequentia comprobatum, auctores Romanæ gentis eſſe Trojanos, qui Ænea duce in Italiam claſſe delati, hæc loca tenuerunt. EM. Non me fugit, hanc opinionem late manaſſe, ac diuturnitate coaluiſſe, itaque omnium animis inhæſiſſe, ut qui eam convellere tentet, is conetur vel Jovi fulmen, vel Herculi clavam extorquere. Unum Bochartum neque pondus antiquitatis compreſſit, neque communis perſuaſio, deterruit, quin molem hanc auctoritatis ſolidiſſimis rationibus, de abſtruſiori vetuſtate conquiſitis, conaretur evertere. Niſi enim Homeri tempore Trojæ regnum in Æneæ familia ejuſque poſteris perſtitiſſet, nunquam ſummo poetæ illa carmina excidiſſent:

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.
Nunc genus Æneæ Iliacis dominabitur oris:
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Scio, alios pro *Τρώεσσιν* ſubdidiſſe *πάντεσσιν*, forſan ut aliquid darent auribus Romanorum. At undenam acceperat Homerus famam ejus imperii, cujus nondum fundamenta jacta erant? Vixit enim Homerus circiter mille annos ante Chriſtum natum. Quapropter Strabo hæc verba convertit in Æneæ ſtirpem, quæ Homeri tempore Trojæ regnum obtinere credebatur. An enim Homerus futurum Romanorum imperium cogitatione perceperat per divinationem poetis familiarem? quod nemo ſanus admiſerit.

Neque verum deſunt ſcriptores, & quidem graviſſimi, qui tradant, Æneam eſſe ſepultum in urbe Berecyntho ſecundum flumen Nolon; quorum meminit Agathocles Cyzicenſis apud Feſtum Pompejum. Ac illa in regione flumen eſſe dicitur & lacus & urbs, quæ ab Aſcanio Æneæ filio traxere nomen, quod ex Stephano Geographo & Mela cognoſcere licebit. Imo Dionyſius Halicarnaſſeus ex Troicis Hellanici refert, Æneam Thraciam & Pallenem fuga petiiſſe, Aſcanium autem Trojæ cum imperio remanſiſſe, Quibus auctoribus facile vicerim Æneæ ſobolem & reliquias Trojanæ gentis Romam nunquam fuiſſe traductas, nec e patrio ſolo diſceſſiſſe. Si vero non teſtibus tantum, ſed conjecturis etiam agere placeat, non paucas ex hiſtoriis Bochartus excitavit. Multis enim annis quam Roma condita fuerat, receptus fuit (*a*) cultus Veneris apud Romanos. Qui cultus, ſi Æneas Italiam attigiſſet, ſane coaluiſſet cum ipſis Romæ natalibus. Et tamen in Roma veteri nullum veſtigium hujus cultus eminet, ut ne ſub regibus quidem nomen Veneris fuerit auditum, Quocirca Scaliger reprehendit Ennium, quod dixerit:

Te nunc ſancta Venus precor, & genitrix patris noſtri.

atque addit in ejus ad Feſtum eruditiſſimis notis, Venerem, quod a peregrinis regionibus venerit, hoc habuiſſe nomen.

Quod ſi Romanam gentem Æneas condidiſſet, Phrygiorum numinum cultum, & præcipue matris ſuæ Veneris ac Apollinis religionem inſtituiſſet. Quippe principem locum Apollo inter Trojanos Deos obtinebat. Ejus vero cultus veteribus Romanis non innotuerat. Nec enim a Numa, ut Arnobius teſtatur, in Deorum indicem relatus invenitur.

Quæ major apud Trojanos religio, quam Rheæ matris e Creta cum Trojanæ gentis auctoribus in Phrygiam translata? At ea non ante annum Urbis DL. Diis Romanorum fuit adſcripta: quo tempore, monente oraculo, Rheæ ſimulacrum Attali regis permiſſu Romam inde fuit advectum. Quod autem credunt, ſimulacra Deorum in Latium ab Ænea fuiſſe primum allata, tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum. Scimus enim ex Varrone, cujus teſtimonium adducit Auguſtinus, Romanos Deorum imaginibus annos CLXX. caruiſſe; non quod eas vel amiſerint, vel, ut aliquorum opinio fuit, ejecerint (eis enim religio fuiſſet] ſed quia nondum norant.

Nec (quod ex Plutarcho accepimus) Numa, ne meliora deterioribus exprimerentur, ut Clemens Alexandrinus refert, ſimulacrorum cultu populo interdixiſſet, ſi animos ea religione imbutos inveniſſet. Quam fabulæ ſuſpicionem auget Bochartus,

(*a*) Macrob. *lib.* 1. *Saturn. cap.* 12.

tus, commiſſis inter ſe Phrygiis & Romanis vocibus, in quibus Phrygium vocabulum recognoſcit nullum.

Sed ne longius excurram, non aliunde linguam Latinam quam a Græca eruere licebit. Idcirco nunquam fuit Latinæ linguæ ſtudium ab abſtruſa Græcarum literarum cognitione ſejunctum. Imo quaſi perpetuum elegantiæ fœdus iniiſſent, pulſis Latinis literis, Græcæ ſimul exularunt; illiſque revocatis, hæ redierunt. A Græcis enim non modo ſcientia omnis & eruditio profecta eſt, ſed & literarum formæ, quas Græcos a Phœnicibus accepiſſe traditum eſt. Phœnices autem ipſine invenerint primi, an vero ſumſerint ab Hebræis, non ſatis conſtat. Siquidem nihil eſt a ſcriptoribus magis inveſtigatum, ac minus deprehenſum, quam origo literarum. Eam enim his rebus noctem vetuſtas effudit, ut omnibus datus ſit diſputandi locus. Quapropter non mirum, ſi noſtris temporibus Olaus Rudbechius, homo Gothus, diu tamen in antiquitate verſatus, non eſt veritus, literarum originem aſſerere genti ſuæ; propterea quod plæreque R unæ inverſæ noſtras reddant literas, quaſi non ad eos, ut ad ceteros, ex eadem origine perveniſſe facile ſit. Ex antiquioribus vero Diodorus (*a*) Mercurio Ægyptio literarum inventionem aſſignat: quicum conſentit Cicero, [*b*] cui quintus eſt Mercurius, Theut Ægyptiis dictus. Hunc [*c*] Plato tradit oſtendiſſe regi Ægyptio literarum inventionem, qua ſe memoriæ ſubſidium comparaſſe prædicabat: Regem autem reſpondiſſe, arte illa non tam memoriam, quam reminiſcentiam juvari; deinceps enim homines literarum præſidio confiſcos ſtudium remiſſuros, *τῦτο γὰρ τῶν μαθόντων λήθην μὲν ἐν ψυχαῖς παρέξει μνήμης ἀμελετησίᾳ, ἅτε διὰ πίστιν γραφῆς ἔξωθεν ὑπ' ἀλλοτρίων τύπων ὐκ ἔνδοθεν αὐτοὺς ὑπ' αὐτῶν ἀναμιμνησκομένους, ὐκ ὖν μνήμης, ἀλλ' ὑπομνήσεως φάρμακον εὗρες.*

Ab hoc autem Theut duxere Græci ſuum *Θεὸς*, unde Latinis *Deus*: ut produnt viri originum peritiſſimi. Alii a Menone quodam in Ægypto inventas arbitrantur. Alii ab Æthiopibus, indeque ad Ægyptios eorum colonos commigraſſe, ac deinceps ad gentes credunt manaſſe ceteras. (*d*) Plerique putant, literas a Moſe traditas Hebræis, ab Hebræis, Phœnicibus, a Phœnicibus tandem aliis nationibus, ad quas vel novarum ſedium cupidi, vel mercium cauſa (*e*) navigarunt. Extat illud apud Voſſium [*f*] epigramma:

Primus Hebreis Moſes monſtravit literas,
Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas,
Quas Latini ſcriptitamus edidit Nicoſtrata,
Abraham Syrus, & idem repperit Chaldaicas,
Iſis arte non minori protulit Ægyptias,
Gulfila promſit Getarum, quas videmus literas.

Joſephus vero Scaliger, a quo temere nunquam diſſenſerim, quovis pretio contendit, Phœnicias literas diu ante Moſen in uſu (*g*) fuiſſe, ac eas olim Hebræos, hodie Samaritas retinere, quorum formas in numiſmatibus, quæ quotidie in regionibus Tyri & Sidonis e ruinis effodiuntur, adhuc ait extare. Hebraicam enim linguam cenſet eandem eſſe, quæ Chananæis, hoc eſt Phœnicibus erat in uſu Abrahami tempore. Res eſſet expedita, ſi fides haberi poſſet Joſepho Hebræo, a quo accepimus, Sethi liberos in duabus columnis, quarum altera lateritia, erat, altera lapidea, rerum cœleſtium elementa ſibi obſervata conſcripſiſſe. Græcorum autem non pauci Cadmo & Phœnicibus non literas modo, ſed omnes fere doctrinas acceptas, ferunt, ut Critias apud Athenæum (*h*) in eo verſu, in quo literas ſubſidium vocis ſane quam eleganter appellat.

φοίνικες δ' εὗρον γράμματ' ἀλεξίλογα.
Phœnices invenerunt vocum adjutrices literas.

Et extant hæc apud Laertium Zenodoti de Zenone.

Ει δὲ πάτρα φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος; ἦν καὶ ὁ Κάδμος
Κεῖνος ἀφ' ὗ γραπτὰν Ἑλλὰς ἔχει σελίδα.
Et quidem patria Phenix, quis livor; erat
Et Cadmus ille, unde Græcia ſcriptam habet paginam.

Et

(*a*) *lib.* 3.
(*b*) *lib.* 3. *de nat. Deorum*.
(*c*) Plato *in Phæd.*
(*d*) Diod. *lib.* 3.
(*e*) Eumolpius *ap. Clem. Alexand.* Euſeb. *lib.* 10. *cap.* 5. *de præpar. Evang.*
(*f*) *lib.* 1. *cap.* 6. *de arte Gramm.*
(*g*) *In epiſt. ad Ricardum Tamiſenum.*
(*h*) *lib.* 1. *cap.* 9.

Et Lucanus:

Phœnices, primi, famæ ſi credimus, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Quæ ſententia collatis Phœnicum & Græcarum literarum imaginibus plane comprobatur: ſiquidem figurarum eſt minima diſſimilitudo, eaque parva colliſione aut adjectione ſenſim enata. Nec leve argumentum eſt illud, quod ducitur a literarum nominibus, quæ ſunt profecto Phœnicia. Unde Crateti Thebano de Grammaticis quærenti, cur non diceretur ἄλφα ἄλφατος, γάμμα, γάμματος, ut γράμμα, γράμματος, reſponſum fuit, quod non Græca, ſed Phœnicia & barbara eſſent nomina. Sunt & qui multo ante Cadmum tempore literas in Græcia ipſa natas eſſe conrendant, in quos Tzetzes; propterea, aliter Cadmo reddi non potuerit celebre illud oraculum, & Bellerophon tabellas detulerit, quibus necis ſuæ mandata continebantur. Quorum me neutrum perſuaſerit; potuit enim oraculum edi ſine ſcripto, ſicut apud alias gentes, quibus certo ſcimus, nullum illis temporibus fuiſſe literarum uſum. Et Bellorophontem Cadmo eſſe antiquiorem nemini, vel mediocriter erudito, probabitur. Etenim Cadmus æqualis fuit Siſypho Bellerophontis ævo, a quo Corinthus condita fuit triennio ante, quam a Cadmo Thebæ. (*a*) Euſtathius vero tradit literas diluvii tempore conſervatas a Pelasgis, eoſque ob id divinos appellatos. Quam ſuis temporibus ait fuiſſe Græciæ univerſæ ſententiam. Ab iiſdem Pelasgis literas in Latium perveniſſe auctor eſt Plinius. (*b*) Et Diodorus tradit, literas in Græcia fuiſſe ante diluvium pervulgatas, earumque memoriam ſimul cum ceteris artibus a diluvio intercidiſſe. Hinc Ægyptii Græciæ labem in ſuam vertere laudem, ac inventionem cum literarum, tum Aſtrologiæ, tum ſelectiorum artium, Græcis ereptam ipſi præ ſe tulerunt. Porro literarum Pelaſgicarum reliquias in Græcia ſuperfuiſſe, vel illud indicio eſt, quod earum origines diverſis vocabulis notentur, ac alterum Phœniciarum, alterum Pelaſgicarum literarum genus ſit appellatum. Quapropter Joſephus in libro contra Appionem mihi videtur Græcis iniquior, cum non modo hanc vetuſtatis notitiam libenter ignoret, verum etiam contendat, Græcos ad Homeri ætatem caruiſſe literis; negetque ullum fuiſſe Græcorum ſcriptorem Homero antiquiorem. Hunc illi errorem eripere poterat verſus Iliados: (*c*)

Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.
Scribens in picata tabula multas vitæ inſidias.

Poterant eum admonere inſcriptiones Homero & Trojano bello antiquiores, & præ ceteris verſus ille, quem in tripode inciſum vidit Herodotus:

Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν ἐὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.

Illud vero demiror, hominem adeo in omni antiquitate verſatum nihil de tot ſcriptoribus ante Homerum celeberrimis cognitum habuiſſe; Lino ſcilicet, Philamone, Thamyride, Amphione, Orpheo, Muſæo, Demodoco, Phemio, Ariſteo, & nonnuiſlis aliis. Verum ut ad propoſitum reverrar, quæcunque de literarum origine diſputantur, omnia mihi tenebræ ſunt. Id conſtat unum, Latinos a Græcis, unde genus ducunt, etiam ſumſiſſe literas, & cum Græca Latinam linguam perpetuo eſſe fœdere conjunctam. Ac præter cetera illud profecto maximum fuerit indicium, quod eædem olim fuerint Latinorum, & veterum Jonum literæ, quas in tabula Delphica, quæ, teſte Plinio, erat in Palatio Minervæ dicata, obſervare licuit hac inſcriptione:

NAUCIKRA TEC TICAMENOV
ΑΘΕΝΑΙΟC KORAI KAI ΑΘΕΝΑΙ
ANEΘEKEN.

Hodie legimus:

Ναυσικράτης Τισαμένου Ἀθηναῖος Κόρᾳ καὶ Ἀθηνᾷ ἀνέθηκεν.

Et obſervare eſt in marmoribus Farneſianis, quæ ſunt in hortis ad Tyberim. Ac vix poterat Italia Græca lingua carere, cum magnam partem Græcis eſſet coloniis occupata. Præter illam oram Italiæ, quæ Græcis inſtitutis & populis tota tenebatur, & ob

(*a*) Iliad. 2.
(*b*) *lib. 7. cap. 56.*
(*c*) *lib. 17.*

ob optimarum artium ſtudia & ſcientiarum, ac præcipuæ Pythagoricæ doctrinæ laudem, toto orbe celebrabatur, ac ab univerſæ Græciæ populis frequentabatur, ſi ceteras percurremus Italiæ regiones, ubique aut longo terrarum tractu continuatas, aut ſparſas offendemus Græcorum colonias.

Commercium populorum doctrinarum commercia exceperunt, & Græci ſermonis uſum, ad ſcholas & univerſa literarum ſtudia ſimul cum ipſis literis derivatum, propagarunt. Etenim e Græcia, ubi vel inſtitutæ ſunt, vel educatæ doctrinæ, quibus oris & animi ruſticitas depulſa eſt, ac ipſa propemodum humanitas homini tributa, influxerunt in alios populos, & ad nos potiſſimum ſimul cum Græca lingua penetrarunt. Nam ſimul ut inter Romanos diluxit eloquentia, recepta eſt in urbem Græca lingua, & ei quodammodo civitas data Vix enim ullus ante Catonem majorem probabilis orator eſt habitus. Hunc autem annis jam confectum Græcis ſeſe literis tradidiſſe ferunt. Quem morem conſequens ætas ita frequentavit, ut ſolemne eſſet omnibus, qui ſermonis & morum elegantiæ ſtudebant, conferre ſe in Græciam; ut ibi ſimul cum Philoſophia & eloquentia Græcæ quoque linguæ uſum addiſcerent. Celeberrima ſane fuit Athenienſis ſchola, ubi Philoſophia & eloquentia, privatis veterum philoſophorum diſputationibus excitata, poſtquam ſub umbra conſediſſet, migravit in forum. Pericles enim ac ejus æquales ab Anaxagora inſtituti, cum rerum naturalium notitiam, tum differendi rationem ac eloquentiam inde ſuſceperunt. Quam Philoſophiæ partem Socraticorum ſchola, indeque profecti Peripatetici, ſumma cum laude propagarunt. In Græciam autem non Comani ſolum, ſed & barbari conveniebant, quorum illuſtris Anacharſis Scytha. Imo & Regum filii ad addiſcendas ingenuas artes & diſciplinas eo mittebantur, quod de Arryba Epiri rege tradit Juſtinus. Hinc a Græcis grammaticis & criticis inventi ſunt accentus, quibus in exterorum uſum verborum ſonus certis quibuſdam numeris & temporibus diſtingueretur. Atque Athenis in primis non modo candor elocutionis eluxit, & proprietas vocabulorum, ſed & ſuccus ille nativus, ac ſanguis incorruptus, nimeque fucatus orationis nitor, ibi maxime conſervatus eſt & excultus, quem ætas poſterior novis & exquiſitis ornamentis adeo reſperſit, ut dum ſermonem, ſive Græcum ſive Latinum, eximia ſuavitate condiret, vigorem extenuarit, & nervos robuſtæ ſanæque dictionis inciderit. Athenienſi ſcholæ proxima fuit Rhodia, ingenuis artibus atque eloquentia ſane percelebris, & vel ob unum Ciceronem, a Molone Rhodio perpolitum & excultum, ſane dignam, quæ ſummis laudibus efferatur.

Diſcurrentibus Alexandro una duce cum Græcorum armis etiam artibus & inſtitutis, in multis regionibus doctrinarum ſcholæ fundatæ fuerunt, quarum celeberrima fuit Alexandrina, ubi exemplo Ægyptiorum, qui ſingulis morbis certos adhibebant medicos, tanta fuit medicæ artis celebritas, ut, qui operam iis doctoribus dediſſet, apud alias nationes in ſumma eſſet exiſtimatione doctrinæ. Atque hæc ut eloquentia & Philoſophia ceſſerit Atticæ, tamen poſt acceptam a Chriſti diſcipulis veram religionem, divinarum legum interpretatione ſacrarumque diſciplinarum cognitione ceteras longe ſuperavit. Hinc enim & ſubtilior interpretandi ratio, & acumen inveſtigandi, & diſputandi vis orta eſt. Hinc eruditio eſt profecta ſelectior, quæ abditos Theologiæ ſenſus recludit, & divinitatis arcana reſignat. Hinc veterum patrum eruditiſſimus Clemens Alexandrinus extitit, hinc Origenes, hinc veræ ac incorruptæ religionis propagator & errorum vehemens exagitator Athanaſius prodiit. Hinc Cyrillus arma vireſque ſumſit in Neſtorium contendendas. His aliiſque viis Græca eruditio in omnes terrarum oras dilapſa eſt; poſteaque, translato ad Græcos per Conſtantinum imperio, doctrina Græcorum, longe lateque peregrinata, ſe ad natale ſolum revocavit, & obrepente barbarie ſenſim elanguit, ut efferatorum hominum armis exagitata concideret.

Non mirum igitur, ſi Græcorum lingua apud omnes omni tempore fuit incolumis, quia, quamvis diuturno imperii præſidio fuerit deſtituta, tamen ſtudiis diſciplinarum copiaque librorum, ac inventione omnium artium & facultatum in gentes ac ætates manavit univerſas. Quod ſecundum Græ-

Græcam, linguarum nulli contigit præterquam Latinæ, cui terrarum oras omnes aperuit imperii majeſtas; quæ tanti fuit, ut non modo populos, inter ſe regionibus moribuſque disjunctos, ſed ſcientias etiam & artes, quotquot Græce traditæ fuerant Romanæ linguæ commercio comprehenderit. Quod de vulgaribus linguis ſperare minime fas eſt: deeſt enim illis & amplitudo imperii, & inventorum dignitas, & auctoritas antiquitatis, & conſenſus denique univerſorum. Quamobrem uni ſcriptores Latini (Græca enim non ad uſum, ſed tantum ad intelligentiam plerumque addiſcitur) inventis cogitationibuſque ſuis perpetuam vitam nullis finiendam limitibus compararint. Atque his tibi utilitatem ſolum Latinæ linguæ propoſui. Voluptas vero eſt illius tanta, quantam, ſi Græcam exceperis, aliarum linguarum habet nulla. Uſque adeo & ornari poteſt, & contrahi modo, modo laxari, ac ad numerorum & ſententiarum varietatem flecti, & verborum luminibus mirifque translationibus illuſtrari. Habet enim illa, ſimiliter atque Græca, quo præſtet ceteris, nempe varietatem terminationis, qua ſingularum vocum certas & præcipuas affectiones ſive caſus in nominibus, peſonas in verbis, numerum in utriſque, notet atque diſtinguat. Hinc ad numerorum & ornamentorum rationem duci verba poſſunt arbitratu dicentis, ita ut, ſententia minime obſcurata perturbatave, trajectis verbis numeroſe atque concinne cadat oratio. Quibus ornamentis omnibus vulgares linguæ carent, quoniam earum voces plerumque unica terminatione proferuntur, & ſignis tantum præpoſitis earum variæ affectiones enunciantur, idemque ſermo verborum trajectionem, qua maxime numerus conficitur, minime patitur, neque fert latiorem excurſum, ac liberam partium collocationem: nam, niſi eadem ſemper utaris compoſitione verborum, ſententiam facillime obrueris, & obſcuraveris, ut, qui voluerunt in vernaculis linguis idem experiri quod in Latina, eruditiſſimi illi quidem, & dum Latine dicerent eloquentiſſimi, tamen habiti ſint in vernacula putidiuſculi. Latinis autem verbis ſententiæ concluduntur gravius, & validioribus nervis ſingulæ partes uno deductæ ambitu contorquentur, cum ſermo vernaculus laxus plerumque fit atque remiſſus; ſæpius enim ſententiæ verbis, quam verborum collocatio ſententiis eſt accommodanda, quia non licet arbitratu ſcriptoris orationis locare partes.

Mitto nunc Latini ſermonis leporem & veneres; mitto vocabulorum ubertatem & ſignificationum fœcunditatem; mitto particularum, quæ quaſi orationis fibræ ſunt, multitudinem, nexuſque facilitatem & gratiam; mitto verborum copiam, jam diu ab antiquiſſimis ſcriptoribus ad uſum artium & doctrinarum comparatam; mitto elegantiam; mitto majeſtatem, & in ipſo verborum ſono imperium Conſulare. Nihil commemorem, quanropere flexilis ſit & facilis ad omne genus orationis, quam gravis in ſublimi dicendi genere, quam ſuavis in mediocri, quantum in humili perſpicua atque dilucida. Prætereo accentuum varietatem, & conſonantium atque vocalium literarum permixtionem, quibus tantus lepos ſermoni conciliatur, ſi apte componantur voces ac intermiſceantur, ut nihil numeroſius incidat in aures, nihil animum illabatur jucundius. Nihil tandem attingam de luminibus verborum & translationibus, quæ magnam partem ſcribentium artificio tribuuntur. PR. Id nunc ipſum eſt, de quo maxime tecum diſſentio. Neſcio enim, an pro ſuo quiſque jure transferre verba in lingua Latina poſſit, ſicut in vernaculis. In lingua enim, quam nec a nutrice haurimus, nec arripimus a conſuetudine populari, verba novare atque transferre, res profecto eſt plena periculi. EM. Transferas per me licebit, ſi vocum ſingularum proprietatem, & nativum germanumque ſenſum fueris aſſequutus, idque modeſte facias & verecunde, ac modum, ut decet, adhibeas. Quid enim? annè tibi videtur abſurdum, ſi dixerim, translatione ſenſum verborum minime immutari? PR. Quid ni videatur? Quid enim agimus quum verba transferimus, niſi quod depulſo nativo ſenſu ſimilem alium vocibus conſignamus?

EM. Falleris. Qui enim ſenſus initio vocabulis eſt innatus, is hæret perpetuo; niſi barbarie populorum aut corrupta conſuetudine obliteretur. Quoad enim uſus communis germanum ac nativum ſenſum verbis tribuit, nunquam translatione perimitur aut mutatur ejus verbi ſignificatio;

ſed ſpecies potius alterius rei vertitur in alteram, quod tibi exemplo patefaciam.

Sumamus verbum *lambere*. Sane quoquo modo illud verſes, nunquam impetrabis, ut ſignificet abſcindere, rigare, mordere, aut aliud quidpiam. At ſi verbo *lambere* præponas *flammam*, eique ſubjicias *trabes*, ut hæc prodeat oratio, *flamma lambit trabes*; tunc nihil huic verbo de veteri ſignificatione detractum erit, quia nihil hic aliud ſignificat, quam lambere lingua; ſed tantum linguæ imagine flammam indues, linguam & flammam communi quodam attributo complectens. Quoniam igitur linguæ proprietas eſt flammæ communicata, & altera in alteram converſa ſpeciem, jamque flamma ſub imagine linguæ nobis objicitur; ideo mens, quæ duo illa quodammodo ſimul confundit, adjunget eis verbum *lambere*, in cujus ſignificationem flamma converſa eſt. Nulla eſt igitur, ſi ad ſenſum vocabulorum reſpexeris vera translatio, ſed ſpecierum tantum communio fit, imaginumque converſio. Siquidem igitur verborum proprietatem teneas, & communia rerum attributa recte noveris atque commiſeris, nunquam in verborum uſu peccaveris. Manet enim in translationibus nativa ſignificatio vocabulorum incolumis, quia nunquam ex una voce mens novum aliquid concipit, niſi idem illud aſſumſerit imaginem nativa illius vocis ſignificatione comprehenſam. Quocirca, *ſumma me voluptate perſudiſti*, recte dixeris, nec tamen hic verbum *perſundere* aliud ſignificat, quam quum dicitur, aqua perſundere. Sed quia mens ſub imagine aquæ voluptatem facile concipit, ideo *perſundendi* verbo *voluptas* adjungitur: converſa eſt enim voluptas in aquam, atque adeo in imaginem verbo *perſundere* inditam.

Quamobrem qui recte ſapiunt, veteres comicos nunquam amittent e manibus: quoniam hi præ ceteris, propter proprietatem ſermonis & popularem loquendi conſuetudinem, nativam reddunt verborum ſignificationem, qua cognita, tutiores in translationibus erimus ac feliciores.

FR. Quoniam ad auctores dilapſus es, cœpiſtique digitum ad fontem intendere, perge porro reliqua, ne ſi quando animum ad hæc ſtudia inſtituero, imperitia labar, omiſſoque ſcriptorum delectu, aut operam prorſus perdam aut cogar oberrare diu.

EM. Ætates tibi, Procule, ut cum maxime notandæ ſunt, & earum diſcrimen animadvertendum, quo meliores ſcriptores ſecernas a ceteris, teque tradas iis, quorum ſincerior dicendi ratio eſt & incorruptior. Ac ætatis ſane veteris, quæ a Livio Andronico ad Terentii tempora perfluxit, arripere multa poſſis, dummodo judicio utaris & delectu vocum, rejectaque horriditate ſermonis quod temporum illorum vitium fuit, ea tantum retineas, quæ a Ciceronis ævo, ejuſque ſæculi auribus minus abhorrent. Plauti fabellis ſi vetuſtatis vitia detraxeris, nihil uberius, nihil purius, nihil ad mores omnes, atque animi commotiones, reſque ſingulas, quæ orationem incurrant, accommodatius. Cultior eſt ſane Terentius, & preſſior atque limatior, &, ut in eruditiori ſeculo, ita compoſitus & elegans, ut complecti poſſis totum. Plautus tamen fudit ſe latius, ita ut plus tuleris, ſi ex eo meliora carpſeris, quam ſi Terentium voraveris integrum. Flos vero Latinitatis & nitor Ciceronis ævo fuit. Quis enim Varrone cautior? quis Cæſare purior? quis Lucretio & Catullo ſimplicior? &, niſi ad hiſtoriæ ſtylique illius majeſtatem accommodata vetuſtas delicatulos offendat, quis integrior Salluſtio? quis Nepote ſincerior? quis ipſo tandem Tullio, in tanta translationum copia, incorruptior? quis elegantior?

Nativa hæc & incorrupta Latinitas ad Auguſti ætatem in omnibus ejus ævi ſcriptoribus viguit, nempe Vigilio, Tibullo, Propertio, Ovidio: inclinavit vero ab Auguſti morte, propter colluviem peregrinorum, & exterorum dominationem, quorum regia ut peregrinis moribus, ita & verborum inſolentia ſcatebat, indeque barbaries ſenſim influxit in urbem, novaque multa in poſterioris ævi ſcripta cum vocabula, tum etiam dicendi genera, irrepſerunt: ut ii ſcriptores, ipſis Latinis vocibus adhibitis, novam quandam reddiderint compoſitionem verborum atque commiſſuram, a quibus aures Romanæ, ſermonique purioris ſeculi aſſuetæ, plane refugiunt.

Quod ætatis vitium Quintiliano & Senecæ, viris illis acutiſſimis, ſuboluerat. Hic etenim in prologo primæ declamationis, *Ut poſſitis* (inquit) *æſtimare quantum quotidie ingenia decreſcant*, & *neſcio qua iniquitate & ad malum pronitate natu-*

ræ eloquentia ſe retro tulerit. *Quicquid habet Romana facundia, quod inſolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem noſtris ſtudiis attulerunt, tunc nota ſunt. In deterius quotidie data res eſt ....., ut ad ſummum perducta, rurſus ad infimum velocius, quam adſcenderant, relabantur.* Quintilianus vero ætate ſua nihil puri, nihil integri reliquum eſſe in lingua Latina, ſed ubique fucum eſſe, ſcribit *lib. 9. c. 3. Verborum figuræ & mutatæ ſunt ſemper & utcunque voluit conſuetudo mutantur. Itaque ſi antiquum ſermonem noſtro comparemus, pene jam, quicquid loquimur, figura eſt: ut* huic rei invidere, *non* (*ut omnes & Cicero præcipue*) hanc rem, *&* incumbere illi, *non* in illum, & plenum vino, *& non* vini, *&* huic *non* hunc adulari *jam dicitur, & mille alia, utinamque non pejora vincant. Quid multa? totus prope mutatus eſt ſermo.* Et Seneca *epiſt.* 39. *Commentarios, quos deſideras diligenter ornatos & in anguſtum coactos, ego vero componam; ſed vide, ne plus profutura ſit oratio ordinaria, quam hæc, quæ nunc vulgo breviarium dicitur: olim cum Latine loqueremur, ſummarium vocabatur.* Agellius quoque ſenſit, Latinis verbi ſignificationem inhæſiſſe aliam prorſus a nativa. *Animadvertere eſt,* (*inquit*) *pleraque verborum Latinorum ex ea ſignificatione, in qua nata ſunt, deceſſiſſe, vel in aliam longe, vel in proximam, eamque deceſſionem factam eſſe conſuetudine & inſcitia temere dicentium, quæ cujuſmodi ſint, non didicerint.* Neque hoc latuit Auctori *dialogi de Claris Oratoribus*, ubi Maternus ait: *in quoquo verbo quotidiani ſermonis fœda & pudenda vitia deprehendi.* Alia præterea, quæ diligenter collegit Adrianus Cardinalis in aureo libello de *ſermone Latino*, cui egregiam diſſertationem præfixit, ubi Latinos ſcriptores in quatuor deſcripſit ætates. Extulit tamen poſterior ætas nonnullos, qui vitioſæ conſuetudini cultu & delectu verborum obſtiterunt, ac præ ceteris Juriſconſulti, quos interpretandi neceſſitas in aſſidua legum antiquarum & veterum vocum inveſtigatione detinebat, quo ex ſtudio inhæſit eorum dictioni priſca verborum proprietas & dignitas, ut niſi eorum orationem Tribonianus interdum ſui ſeculi ſordibus infuſcaſſet, (*) nihil eorum ſcripta legentibus occurreret vitioſi.

Qui vero animadverſionibus ſuis, & præceptis, atque obſervationibus in hujus ſtudii curſu te ducant, habebis ex recentiori ætate non paucos. Præter Vallam, qui facem primus ſuſtulit, plurimum ad emendationem ſermonis contulit Adrianus Cardinalis, cujus proxime a nobis facta mentio eſt; Bartholomæus Riccius cultiſſimus ſcriptor in ſuo *Apparatu linguæ Latinæ*, & obſervationibus ſuis Antonius Schorus, & qui plura ex iſtorum obſervationibus in ſuas tranſtulit Giſanius. Thomas Linacer rationem emendatæ ſtructuræ tam diligenter tradidit, ut nihil obſervatione dignum prætermiſerit. Henricus Stephanus de *latinitate falſo ſuſpecta* ſane quam diligenter ſcripſit. Utinam hanc operam ad vitia ſermonis notanda convertiſſet; quod nuper conatus eſt Vorſtius quidam, a quo duplex eſt ſuſcepta tractatio, de *falſo & merito ſuſpecta latinitate*; haud pari cum ceteris laude, ſiquidem nil præterquam communia quædam obſervat & trita.

Voſſius id egregie præſtitiſſet, ſi cum vocabulis vitioſa dicendi quoque genera notaſſet in libro *de vitiis Latini ſermonis*. Particularum uſum & vim præter Godeſchalchum Stevvechium explicavit egregrie Turſellinus: an potius Scaurus vetus grammaticus? cujus veterem codicem nuper in Germania eſſe repertum, ab hominibus fidedignis accepi. Paræi Lexicon criticum alicujus eſſe uſus poteſt, quamvis ex abſtruſioribus multa ſint ab eo prætermiſſa. Verborum differentias diligenter notavit Popma. Quid commemorem Nizolium & Carolum Stephanum, quorum theſauris dictionis Tullianæ ſtudioſi vix eſt, ut ſine ſua fraude careant. Terentiana & Tulliana dicendi genera Manutius commode recenſuit: longe vero melius ac ordine utiliori Paræus, qui & Plautina eodem congeſſit, integris locis adductis, atque ad ſingula capita revocatis. Godeſchalchi obſervationes nihil moror; nullum enim

(*) Imo ipſi Juriſconſulti quoque interdum a puritate Latini ſermonis vehementer deflectunt. Exemplum in *L. un. D. de Offic. Præf. Præt.* & aliud in *L. 22. §. 7. 8. & 9. D. Soluto matrim.* qua barbaræ ſtribliginis nullum in Pandectis illuſtrius exemplum, & quam tamen a Tribonianiſmi ſuſpicione penitus liberat Ill. van Bynkershoek *Obſ. lib. VIII. cap. 15.*

enim ibi judicium, nullum auctorum delectum, ordinem denique nullum deprehendo. Commentarios Stephani Doleti oblata facultate quovis pretio reparaveris. Perpauca enim extant exemplaria.

Nunc ne in vulgarium grammaticorum colluviem demergaris, ex inanium & moroſarum obſervationum ambagibus evolvam te, ducamque ad eos, qui artem grammaticam faciliori via, & firmioribus ac paucioribus tradidere præceptis; & ea, quæ firmis obſervationibus fidiſque ſcriptorum exemplis conſtituta per eos ſunt atque fundata, & Philoſophorum rationibus eruerunt. Primus adverſus vulgares grammatices claſſicum cecinit Auguſtinus Saturnius, vir in confutando acerrimus, ac obſervando acutiſſimus; ſed imbutus & ipſe vulgari doctrina, contendit ſæpe pro viribus, non tamen ſe omnino explicavit; nec tam in inveniendo quam in notandis aliorum lapſibus valuit. Excitavit tamen illius vox diliteſcentem diu in vulgarium grammaticorum ſordibus ſtudioſorum turbam: ut vir ingenio doctrinaque mirabilis Julius Cæſar Scaliger graviſſimos illos *de cauſſis linguæ Latinæ* commentarios in medium produxerit: quibus in libris ſingularum partium orationis vim atque naturam ſubtiliſſime inveſtigavit & prodidit, συντάξεως artem minime attigit. Exortus eſt tandem Franciſcus Sanctius Hiſpanus, qui rationem collocandarum partium, ſive σύνταξιν, non modo ex optimis obſervationibus, ſed e Philoſophorum fontibus arceſſivit, & quicquid ſcriptorum exemplis ac teſtimoniis comprobavit, ex ipſa natura deduxit. Hinc vulgarium regularum inexplicabiles nexus feliciſſime diſſolvit, ſuaſque ipſe protulit ſimpliciſſimas, quas Scioppius & Voſſius cupide arripuerunt: nec modo luminibus inde excitatis latinitatem illuſtrarunt ſed ad puerorum uſum Sanctii præceptiones formarunt atque flexerunt. Verum exiſtit nuper ſcientiarum optimorumque inſtitutorum omnium fax Arnaldus, qui grammaticam artem ad ſimplicem & communem linguis omnibus rationem revocavit. Quo ex libello non orationis modo, ſed & ratiocinandi cauſſas facillime deduxeris. Quæ in hunc libellum ex Scaligero & Sanctio influxerunt, omnia ſunt explicata ſubtilius. Illud vero, quod de natura verbi traditur, ſive de ſubſtantivo, quod vocant, verbis omnibus indito, Saturnii eſt inventum. Apud illum quidem informe ac obſcurum, ab Arnaldo vero ſuæ luci redditum ac feliciter explicatum.

Hanc autem Arnaldi doctrinam explicavit latius, atque ad linguam Latinam contulit, & ad uſum puerorum præceptis ſane quam pauciſſimis & ſimpliciſſimis concinnavit eruditiſſimus Lancellottus, qui eo libro, quem novam linguæ Latinæ viam inſcripſit, attexuit ad Arnaldi rationem, quicquid utilius in lingua Latina Scioppius & in ſuis de *arte grammatica* voluminibus Voſſius obſervarunt, ut hoc uno libro a tot vulgarium grammaticorum nugis, quibus juventus miſerrime teritur, te feliciſſime, non ſine laboribus temporiſque compendio, vindicaveris. Habes breviter rectam addiſcendæ linguæ Latinæ rationem; nunc iis, quos procul nobis obviam venire cernimus, operam demus.

DE
CONVERSIONE DOCTRINARUM.

Ad J. Gabrielem Reginerium. *

INſtituentibus nobis, Regineri doctiſſime, de re literaria diſputare, ac tecum una ſcientiarum ſtatum percurrentibus, ſæpe in ſermonem injicere ſoles, ac mirari, &, quæ tua humanitas eſt, dolere ſimul labentem Italiæ doctrinam, ac prope jacentem. Cum ea regio, in qua ſplendor & elegantia florentibus Romanorum opibus nata eſt, & multis poſt ſeculis, quamvis convulſo jam imperio, reſtituta, nunc non modo videatur hujus laudis præſidio ſpoliata,

(*) Quis ſit Reginerius, cui hoc opuſculum inſcribitur, nondum didici. Dolet vero & excuſat Gravina ſortem Italiæ, quæ cum ante bina, vel quod excurrit, ſecula ediderit omnium artium inſtauratores, jam parum abſit, quin in cultu literarum pleriſque regnis Europæ cedat. Suſpicer fere, huic epiſtolæ de converſione doctrinarum multa illata eſſe oratione pro novis Philoſophis, de qua mentio fit in epiſtola ad Henricum Huyſſenium, & quem Auctor dein ſuppreſſit. Dilaudat enim inter ceteros Jordanum Brunum Nolanum, Galilæum Florentinum, Copernicum Danum, (imo Bruſſum) & e Galli. Gaſſendum & Carteſium, qui ſermo Romæ non videtur quotidiani ſaporis.

Digitized by Google

hata, ſed in ſummam bonarum artium ignorationem pene demerſa. Qui ſane ſtatus cum pluribus nationibus lugendus ſit; quippe quibus leges tam bene vivendi, quam recte ſentiendi, ac ipſa propemodum humanitas ab Italia primum affulſerit; tum maxime nobis eſt perpetuo deplorandus, quibus poſt ereptum imperium armis partum unus ſupererat doctrinæ ſplendor & eloquentia, qua ſi non corporibus, at animis tamen hominum imperabamus. Nam etſi poſt imperium in Græciam adſportatum, & Italiam barbarorum armis divexatam, Itali ab omni cultiori ſcientia, & ſermonis ac morum elegantia relicti fuerint: emerſerat tamen quatuor fere ab hinc ſeculis priſca dignitas, auctore potiſſimum ac vindice Franciſco Petrarcha, homine, ſupra quam tempora ferebant, erudito atque diſerto, qui bonarum artium inſtitutionem, Italia jam abactam atque depulſam, a veteribus fontibus arceſſivit, bonaque ſtudia longo jam tempore intermiſſa revocavit. Is enim veteres oratores atque poetas, unde fuerant barbarie dejecti, reſtituit & eloquentiam reduxit jam diu exulantem. Ejus exemplo (ut hominum ingenia, ſtatim atque favilla inciderit, exardeſcunt) effectum jam opus egregie fuit a noſtris pro re nata continuatum, atque adeo confectum eoque melius omnia proceſſerunt, quod ad cultum latinitatis ſtudium Græcarum literarum, quod caput eſt omnis eruditionis, acceſſit. Poſtquam enim Græcia in barbarorum poteſtatem redacta eſt, ea vaſtitas pervaſit florentiſſimas olim orbis univerſi regiones, ut coacti fuerint homines eruditi, qui id temporis erant, conſpiratione animorum facta, patrios lares cum peregrino ſolo commutare, avectaque ſecum Græcorum doctrina, in Italiam, velut in aram, confugere. Quæ calamitas quantum detraxit Græciæ dignitatis, tantum adjecit Italiæ, fluentibus ad nos optimis artibus, quas ferox & aſperum barbarorum ingenium crudeliter miſereque vexabat. Itaque Græcia ſemel atque iterum ſcientiarum lucem attulit Italiæ. Quas enim artes olim Romani Græciam occupantes per ſe ſumpſerant, deinde amiſerant, eaſdem in Italiam fuga compulſas recuperavimus per Emmanuelem potiſſimum Chryſoloram, Beſſarionem, Trapezuntium, Gazam, Argyropolum, Chalchondylam, Laſcarem. A quibus Græcis literis eruditi Leonardus Aretinus, Philelphus, Guarinus, Poggius, & per totam Italiam ſcholæ Græcarum literarum fuerunt inſtitutæ, ut inter hos demum Laurentius extiterit Valla, qui felicius exſpectatione omnium operam eloquentiæ navavit, &, poſt extinctam latinitatem, tum ipſe princeps eſt in Latina urbe Latine locutus, tum Latine dicere alios docuit. Hærentem enim adhuc barbariem inſolentiamque verborum, clam in aliorum ſcriptis incubantem, unus Valla detexit, & cum ex eo multum offenſionis haberet, non ſine capitis periculo profligavit. Quo tempore literis jam latus attollentibus dexteram porrexit Nicolaus V. ſummorum Pontificum de ſcientiis optime meritus, qui, ut opus proderet, non ſolum doctis viris opes & alimenta ſuggerebat, ſed veterum libris ingenti pecunia reparatis, ac toto orbe diligenter exquiſitis, convaleſcentes doctrinarum radices confirmabat. His ducibus humaniores literæ univerſam Italiam pervagatæ trajecerunt Alpes, unoque tempore non ex Italia modo, ſed e remotiſſimis quoque regionibus priſcum Græcorum & Latinorum ingenium eluxit. Conſentia namque dedit Janum Parrhaſium, vel cum doctiſſimis veterum ingenii ſubtilitate, interpretandi facilitate, proprietate loquendi, & antiquitatis notitia comparandum, & Pomponium Lærum, vetuſti moris atque elegantiæ vindicem. Etruria Politianum ingenio amœniſſimo, non ſolum vertendis veteribus & illuſtrandis, ſed imitandis iiſdem & exprimendis, alligata & ſoluta oratione tum patrio, tum Latino ſermone feliciſſimum: Petrum Victorium, &, ut alios prætercam, Acciajolum, ſummo genere atque inſigni doctrina virum. Venetiæ vero Hermolaum Barbarum, eruditione atque eloquentia præſtantiſſimum. Quos exceperunt Eraſmus, Reuclinus, Budæus, Morus; quorum alter Belgium, alter Germaniam, alter Galliam, poſtremus Britanniam, Græcis & Latinis copiis locupletavit. Porro cum hi, horumque ſimiles, illuſtrandæ antiquitati operam darent, extitere in Italia Bembus, Sadoletus, Bartholomæus Riccius, Jovius, Julius Camillus, Majoragius, Navagerius, Sigonius, Paul-

Paullus Manutius: in Germania Longolius, in Gallia Muretus, aliique complures, qui præ ceteris ſtudiis Latinam eloquentiam complexi ſunt, ac Ciceronis in dicendo divinitatem ita ſuſpexerunt, ut ei ſe totos dediderint, ac in eorum ore temporibus alieniſſimis non modo germana & nativa Latinitas, ſed vox etiam Tulliana reſonarit: Poetarum autem veterum ſplendor, vis, ubertas, & artificium in noſtris hominibus ita revixit, ut ſecundum Virgilium, Catullum, Horatium, eoſque omnes, qui aurea, quam vocant, ætate concluditur, collocandi merito ſint Sanazarius, Capycius, Rota, Fracaſtorius, Cotta, Vida, Antonius Teleſius, & ejus civis Martyranus, Navagerius, Caſtalio, Flaminius, Pontanus, ipſomet Scioppio, homine Germano, ſuadente, vel certe non repugnante. Hiſpanias ne ſingulos attingam, e tenebris eripuerint hi celeberrimi literarum reſtitutores, Nebriſſenſis ſcilicet, Pincianus, Ludovicus Vives, vir in judicando acutiſſimus, ac in dicendo elegantiſſimus, & Franciſcus Sanctius, grammaticorum cum novorum tum veterum princeps, quippe rationibus tam ſimplicibus grammaticos nexus explicavit, obſervationum & regularum infinitatem ſumma cum utilitate reciderit, loquendique uſum, & collocationem partium (quam Græci σύνταξιν appellant) ad tam vera & certa initia revocaverit, ut grammaticam tractans, ſummum ſe Philoſophum præſtiterit, &, cum varietate lectionis conceſſerit nemini, ſcientia vicerit cunctos. Utinam compendiariam viam, quam ille præfecit adoleſcentibus, præceptorum avaritia non intercluderet. Verum eloquentiæ Latinæ, cujus primas meo judicio fert Italia, Gallia veſtra multiplici eruditione, abſtruſaque vetuſtatis univerſæ notitia, & infinita linguarum cognitione reſpondet. Ut enim Lambinum mittam, Turnebum, Ramum, Petrum Fabrum, Petitum, alioſque complures, quorum memoria me ſuggerit; in unius Joſephi Scaligeri magnum, uberrimum, ac admirabile ingenium confluxit, quicquid poſt homines natos mandatum eſt literis, quicquid eſt in obſcuriſſima vetuſtate recondirum, quicquid illuſtrius in univerſarum gentium linguis confuſum fuerit & diſſipatum, ut tenebræ nobis ſummi viri doctrinam recolentibus oboriantur. Is adjungi ſibi non indignabitur Caſaubonum, Bochartum, Salmaſium, quorum ingenia in te, Regineri doctiſſime, ſuboriri præſentio, &, quod magis mirer, ætate non confirmata, ita ut ſi, quod nunc parturis, aliquando paris, minus ſit Gallia doctrinam illorum & acumen deſideratura. Juriſprudentiam autem Romæ notam & cultam, ac ſubinde nugarum mole depulſam, Nebriſſenſis, Budæus, Alciatus ſublevavit: in lucem vero evocavit Connanus, Duarenus, Briſſonius, Donellus, Baro, Rævardus, Vinnius, Grotius, Antonius Faber, &, qui jus omnium & induſtriam circumſcripſit, Cujacius, per quem ſimul cum veterum Juriſconſultorum ſcientia, Jureque Romanorum tum publico, tum privato, mens ipſa veteris reipublicæ reddita mortalibus fuit, & æternitati mandata. Cum admodum homines antiquitatis ſtudio tenerentur, dum verba veſtigarent, res ibi concluſas deprehenderunt. Nam evolvenda vocabulorum ſignificatione, ſcientiæ, veluti ſublato velo, ſenſim eminebant; ita ut his veſtigiis ad caput ſapientiæ perventum ſit. Etenim ingenium hominum per varios eruditionis tractus tandem ad portum doctrinarum, nempe ad vetuſtiorem & ſaniorem Philoſophiam, longo curſu fuit appulſum, ut poſt tot ſecula demum eruperit ſe Bernardinus Teleſius Conſentinus, vir elegantioribus literis ornatiſſimus, qui primus a veterno reſipuit, & vulgarem phyſicam, Diis iratis natam, pro viribus fugavit, ejecit, obtrivit, e cujus ſchola doctiſſimi per Italiam homines emiſſi ſunt, inter quos Stelliola, Franciſcus Mutus, Campanella, Severinus, qui cum Franciſco Patricio Senenſi, viro in confutandis erroribus acerrimo, ac omni eruditione cumulatiſſimo, ſuas junxere copias, & infeſta ſigna præſtigiatoribus & fanaticis intulerunt. Extat enim Franciſci Muti pro Patricio defenſio. Ac ex his unus Teleſius de rerum univerſitate veterum Philoſophorum more diſſeruit, ut eum jure Verulamius novorum hominum primum appellet. Ceteri magis ad alienum opus oppugnandum, quam ad ſuum inſtituendum valuerunt. Dum inter hos acerrime contenditur, ecce mirus tibi Philoſophorum conſenſus atque concentus exoritur. Prodiit enim Nola Jordanus Brunus, Floren-

tia

Digitized by Google

ra Galilæus, e Britannia Verulamius, e Dania Copernicus, e Gallia Gaſſendus, ac denique Carteſius, cujus qui doctrina ducuntur, non tam hominis quam naturæ vocem arbitrantur. Verum ſentio te ſpectantem, quorſum ſim evaſurus, ac mirantem, cur huc ſermo tam longe repetitus excurrerit, nempe ut intelligas, qualis meus dolor ſit, cum non me fallat, quas olim partes egerimus in fabula; & tamen Italorum res huc videam adductas, ut, quorum ſcripta jam dudum exempla erant exteris nationibus, nunc, ſi pauca quædam excipias, jocus eadem ſint & ludibria. Quæ tamen vitia, niſi velis iniquus eſſe judex, quod de te ſuſpicari vix licet, non ingeniis, ſed conſuetudini potius aſſignaveris. Nuper enim malis avibus inter nos tum parva judicandi ratio penetravit, ut, ſi quis natura feratur ad eloquentiam ſinceramque doctrinam, peſſimorum librorum uſu, ac multitudinis judicio, ab opere recte inſtituto detorqueatur. Non enim ſcriptoribus, ſed monſtris, animi ſtudioſorum obſidentur; ac non virtutibus orationis, ſed infucatis vitiis rapiuntur: & ſi vitioſi libri deſint, a novorum audacia conſcribuntur ſtylo tam tumido, tam inſulſo, tam agreſti, tam putido, ut cum ab eorum lectione quis abierit, ad circum potius quam ad forum ſit idoneus. Per fortunas quis fere poſſit, Plautum, Terentium, Ciceronem ipſum, ab Apulejo, Sidonio, Auſonio, Marciano; Horatium a Juvenali & Perſio, Virgilium, Catullum, Propertium, Tibullum, Ovidium, a Lucano, Statio, Claudiano, Martiali: Silio; Salluſtium, Nepotem, Cæſarem, Livium, a Floro, Svetonio, & homine ſuorum temporum barbariæ digniſſimo Marcellino ſuperatos? Et tamen æquo animo pateremur, ſi his limitibus furor iſte contineretur. Sunt enim hi ſcriptores, ſi non pure ac Romane, docte tamen & erudite; imo, niſi modum exceſſiſſent, magnifice, ſplendide, ac artificioſe locuti. Sed uno ſtomachemur magis, partus ſuos putidiſſimos, abortus ſtudiorum, & ingenii ſui fœtus immundiſſimos, in veterum ac optimorum locum, Attici ſcilicet ſcriptores noſtri ſubjiciunt; ita ut quivis ſanus graviter exarſerit, cum viderit leporem a ſcurrilitate, magniloquentiam a tumore, munditiam a ſordibus, & nativum Romani oris ſonum ab importuna peregrinitate fugatum. Cumque hoc æſtu jactemur, utinam mature liceret emergere, ac, ſi non ad portum doctrinarum, quarum etiam adſpectum nobis deliria novorum ſcriptorum eripuerunt, ad otium ſaltem atque ad umbram aliquando ſecedere. Implicant annos noſtros vulgares Grammatici nodis ſuis adeo tenaciter ſimul ac infeliciter, ut, cum totam pubertatem ſub his tortoribus traduxerimus, ſcribentibus deinde nobis nihil tam familiare ſit, quam ſolæciſmus. E quibus laqueis cum evolaverimus, credatne nos in naturalem libertatem receptum iri? imo tum in majores plagas incidimus, quum per tenebricoſam illam Gothici moris ſapientiam, procellam mentium, ſcopulum veritatis, ac errorum turbinem, circumagimur. Nam dum viam ad ſapientiæ culmen affectamus perpetua tum rerum, tum verborum caligine mergimur. Quibus in ſtudiis qui juventutem exercuerint, in certamen literarum prodeuntes (quod ſatis fidenter faciunt, ne dicam arroganter) nuſquam hærent, nullam difficultatem refugiunt, nil non attentant, nullum non continuo nodum explicant, atque ita feliciter, ut ſi de natura lucis & umbræ interrogentur, ipſi (vide quæſo quam ſint ſuaves!) cura ſeſe ſtatim expediunt & abunde ſibi ſatisfaciunt, & aliis ſatisfeciſſe videri volunt, ſi *lucem luciferam, umbram umbriferam qualitatem* eſſe reſponderint. Papæ!

Thalem talento non emam Mileſium.

Et tamen (pro Deum atqne hominum fidem!) ex hac palæſtra confeſtim in comitium advolant, ſumtaque toga candida, præmium adeptæ ſapientiæ petunt honores & impetrant, atque ita impetrant, ut nobis humi jacentibus vix detur ad eorum culmen poſſe ſuſcipere. Sic demum Italia, bonarum quondam artium præſidium, arx doctrinarum, fons elegantiæ, nunc ampullis, ineptiis, & deliriis obruitur. Cumque hac peſſima judicandi ratione plurium honos & fama contineatur, ſi quæ vox unquam juſti doloris erumpat, eorum auctoritate ſtatim opprimitur, ita ut certorum hominum dignitas, univerſorum civium ignorantia confirmetur. Ergo cum omne honorum aditus vitioſa doctrina jam obſtruxerit, bonæ artes, quibus merces ab indoctis & improbis intercipitur,

pitur, alimento ſubducto, apud nos langueſcunt & pereunt. Nam Principes, quorum ſola benignitas artes alit, plerumque gravioribus curis occupantur: aut ſi quando doctorum virorum ſtudio tenentur, eruere coguntur eorum notitiam a ſuis, qui ſæpe non doctiorem hominem producunt, ſed commodiorem ita ut vilior aliquando merx, publico ſumtu comparata, bonis Principibus inducatur. Et cum optimi quique aliena diligentia concludantur, ideo ſæpe contingit, ut ſub optimo Principe, optimis magiſtratibus, inque innocentiſſima regia, eruditi quum petunt, non modo non admittantur, ſed ne reſpiciantur quidem. Unde ſub ſtudioſo doctorum hominum Principe doctis tamen viris aliquando eſt iniquiſſime comparatum. Etenim tum quiſque quo indoctior, eo audacior, perrumpit, & ad honores doctis viris Principis voluntate paratos per doctrinæ ſimulationem obrepit. docti vero, quos modeſtia ferme comitatur, ab audaciſſimis victi, repulſam ferunt, ac immotis oculis intueri coguntur honores ab impudentiſſimis & paratiſſimis ſibi præreptos, & operoſarum apum labores ab ignaviſſimis fucis abſumtos. Eoque docti viri maiorem injuriam ſub bonis, quam ſub malis Principibus accipiunt, quod ſpe deſtituto nihil tollitur, ad ſpem autem erecto, tanquam conſcio juris ſui, ſi denegatur, eripitur. Nam ſub tyrannide cum jura ſileant, & rerum potiatur communis hoſtis bonorum, eruditi dignitatis gradus a ſe putant alienos; unde vacant illi quidem honore, ſed non carent. Legibus autem imperantibus, docti viri, & ad rempublicam gerendam idonei, ſi ſibi honores manu aſſererent, jus ſuum experirentur, a quibus ſi per opes & gratiam arceantur, eadem afficiuntur injuria, quaſi vi & armis a juſta poſſeſſione dejicerentur: cum humano divinoque jure magiſtratus & honores, non opibus & gratia, ſed virtutibus & literis decernantur. At, quod omnem ſpem literis adimit, temporibus corruptiſſimis, in quæ nos incidimus, virtus & doctrina non tam merita ſunt, quam odium & moleſtia, cum potentiores & opulentiores, qui plerumque voluptatibus indulgent, ne tacite ſua ſibi deſidia exprobretur, doctrinæ lucem & ſapientiæ faciem reformident. Quod ſi privata unquam auctoritate barbariem infecteris, vitiaque doctrinarum invictis rationibus caſtiges, irritabis, ut ajunt, crabrones, ac ſcurras & poetaſtros obſtrepentes, inſcitiamque ſuam rabie munientes, ac animi tumorem latratibus exonerantes, in te ſtatim incitabis, quorum morſus, ut cimicum, ſi ad animum non perveniant, cutem tamen exaſperant. Quamvis enim ſumma laus doctorum hominum ſit ab improbis & ſacrilegis vituperari, & quivis amaverit Phormiones & Thraſones habere cenſores; tamen ut impudentiſſimas calumnias contemſeris, nauſeam certe ruſticæ ſcurrilitatis vitare vix poſſis; tum præſertim, cum videas ad horum inficetam & impuram dictionem tantam hominum turbam, ſeu potius armentorum greges, adhinnire. Miremur non eſſe riſum extraneis & jocum, cum ſciamus, quibus plauſibus in urbe ſublata ſint (honorem præfabor) portentoſa ſcurrarum & paraſitorum flagitia, immanibus ſolœciſmis & barbariſmis, tanquam cœno & luto diffluentia? quorum obſcœnam dicacitatem & pueriles ineptias optimi, ſi Diis placet, doctrinarum in urbe cenſores, vel ipſis malorum carminum ſeu venenorum auctoribus inquinatiores, Juvenali & Perſio (nam Horatium & Ciceronis ævum nihil morantur) non ſine ſanorum hominum ſtomacho prætulerunt, ac imaginem Romanenſis eloquii ſtudioſis & peregrinis omnibus eſſe voluerunt. Scitos arbitros! En ad quorum judicium gens togata recurrat! En a quibus aliena laus & dignitas pendeat! En qui pretium mercium noſtrarum conficiant! En, Roma, ædiles tuos! En Varrones noſtros & Nigidios, quibus non alia conditione proberis, quam ſi vitam impuram cum impura dictione conjunxeris! Non verear, ne quicquam me fingere ſuſpiceris, cum hujus improbitatis atque ſtuporis ſpectator ipſemet fueris, ac pro tua doctrina & integritate reprehenſor; imo vero etiam exagitator & hoſtis acerrimus. Tu tamen de noſtris ingeniis ex horum ſtultitia, quæſo, ne judices. Nam ut ſoli ubertatem admireris, in incultis agris ac prope deſertis, ubi doctrinarum radices negliguntur, (atque utinam non evellantur!) ingenia ſponte ſua pullulant, &, ſi pravam conſuetudinem effugiant, aut mature animadvertant, per ſe mirabiliter enituntur & effloreſcunt: ut,

quod alicubi publica educatione atque cura commovetur & excitatur, apud nos domi naſcatur, & in magna rerum ac temporum difficultate privato cultu præſtetur. Quamvis enim rerum faſtigia vitioſa ratio teneat; recta ſe tamen privatim inſinuavit, ac, ſi non eminet, ſaltem repit. Nam præter eos, quorum virtutes & literæ vel civilibus ſacriſve muneribus; vel editis jam libris ſunt inſignes, quorum alii in Philoſophia, vel Geometria, vel Medicina; alii in Eloquentia, præſertim in laudationibus, vel Etruſca Poeſi; alii in Jure civili vel Pontificio, ſacrave Theologia ſumma cum laude verſantur: adſunt & plures, præſertim Neapoli, ubi omnium eſt doctrinarum bonarumque artium celebritas, quorum fama nondum emanavit, qui vel modeſtia, vel vitæ inſtituto, vel occupatione forenſi, vel rerum humanarum contemtu, vel denique duriore fortuna, qua ſane hic multi conflictamur, frequentiam hominum caventes in ſinu gaudent, nec dum ſeſe luci crediderunt, ita ut ad exteros leviora ſæpe perveniant, cum graviora vix effluant: non enim aliis, ſed nobis tantummodo intus canimus. Quietem enim obſcuram quam tumultuoſam gloriam malumus. Nam, quod ſapienter & egregie Carteſius expendit, literarum gloriam ſæpe totius vitæ perturbatio conſequitur. Vale. Romæ VI. Kal. Martias MDCXCIV.

De CONTEMTU MORTIS.

Ad Franciscum Pignatellum Archiepiscopum Tarentinum.

GRavi cura, qua premebaris, liberatus es nuper ſuperioribus literis, quibus tibi ſignificavi, valetudinem Franciſci Caraſæ fratris tui jam eſſe communibus votis & bonorum omnium ſtudio atque lætitia reparatam. Quæ cum literæ tibi jucundæ fuerint, erunt hæ profecto jucundiores, ex quibus non modo allevari jam corporis nuncium accipies; verum etiam cognoſces invictam illius in morbo tolerando & contemnenda morte conſtantiam. Quibus nunciis eo te arbitror oblectatum iri magis, quod cum ſummum bonum in pietate ponas atque honeſtate, propinquos & neceſſarios virtutis quam ſanguinis affinitate malis habere conjunctos. Nec enim quicquam eſt apud te prius, quam vetuſtatem & nobilitatem generis incremento novæ gloriæ ac illuſtrium imitatione facinorum amplificare, cum non tam opes & potentiam domus veſtræ, quam continuos proavorum honores proprio ſplendore ac laude tuearis. Summarum autem virtutum, quas per manus traditas a majoribus accepiſtis, non exigua pars in fratre tuo conſedit, atque in ejus animo, velut arbos in feracius translata ſolum, nimium quantum effloruit ac pullulavit. Hanc ille virtutem cum tota vita, qua conſilii, qua rerum geſtarum præſtantia, præ ſe tulerit, tum in mortis periculo cumulate reddidit; ita ut videretur omnem ſapientiam, totius vitæ curſu fuſam ac explicatam, ad extremum illud tempus contraxiſſe, atque ad ultimum contuliſſe diſcrimen. Cum enim dejectum eſſet morbo corpus, ipſe tamen animo nunquam concidit; ſed erectus uſque ac ſibi præſens, ubi munera pietatis intermitteret, ad veterum præcepta ſapientum revolvebatur. Ac præ ceteris curis unum ajebat bene vivendi ac bene moriendi ſtudium ſibi fuiſſe propoſitum. Quamobrem eum caſum in beneficii loco ponebat: propterea quod afflictis jam ſenſibus, non modo intercluſus eſſet aditus vitiis, verum etiam radix eorum elangueſceret: quodque fuerat ei maxime in optatis, ut culpæ periculum longius arceret, id ſibi dicebat a morbo præſtari. Adſpectu namque mortis opinionem rerum humanarum eſſe depulſam, ac animum a mortalibus curis ad immortalium bonorum contemplationem abductum. Quæ illi adeo hæſerant, ut neque familiarium officiis, neque cariſſimorum liberorum adſpectu, ad res humanas revocaretur; ſed ſiccis oculis intuebatur mœſtiſſimorum adoleſcentium lacrymas, in quibus tantiſper mente defixus eos admonebat, ut, ſi nullum virtutis exemplum patris vita ſuppeditaſſet, mortem ſaltem ſibi ducerent imitandam. Nec enim exiguum a patre vitæ præſidium habituros, ſi artem ab eo diſcerent bene moriendi, ex qua recte vivendi ratio deduceretur. Ac ſi ſaperent, hoc exemplum pluris facerent, quam opulen-

Digitized by Google

ſentam hereditatem. Quibus illis verbis uberiores ab adſtantibus lacrymas exprimebat. Eoque nos torquebamur magis, quod tum potiſſimum intelligebamus, quantum nobis mors virtutis fructum interciperet. Adeo enim ſapientiæ nervos in præſenti contendit, ut omnis illius maturitas ad hujus periculi tempus erupiſſe videretur. Quamvis enim antea prudentia & firmitate præſtitiſſet innumeris; hoc tamen tempore naturam vicit, ac ipſam prope ſuperavit humanitatem.

Quam animi præſtantiam non modo luctus & dolor neceſſariorum, ſed fletus ac gemitus urbis conſequebatur univerſæ, quæ cum periculum illius communi ſqualore nobilitaſſet, confirmatam deinde valetudinem eſt ingenti plauſu proſecuta, virtutemque hominis non modo privatis officiis, ſed publica etiam honorificentia celebravit, excitatis ad illius laudem eruditiſſimorum virorum carminibus, quibus optimi viri periculum deplorabatur. Nec unquam Roma optimos cives tot laudibus ornavit, quot nunc peregrinum Principem, ſi modo peregrinus dicendus eſt, qui poſt antiqua inſtituta con vulſa ſpeciem reddit Romanæ virtutis.

Nec enim exutis Romanis moribus civitas retinetur, & civis Romanus eſt, non quem ſeptem colles ediderunt, ac educarunt; ſed qui e veteribus Romanorum inſtitutis expreſſus eſt atque formatus; quique in antiquitatis memoria diu verſatus; e veterum cognitione atque imitatione factorum ſuſcepit ac refert mentem animumque Romanum. Quo ſane qui careat, quamvis in Capitolio natus, exul fuerit ille, non civis. Contra, quiſquis conſtans eſt in retinenda libertate, quiſquis in ſacramentorum fide religioſus, in adeundis periculis impiger, fortis in patriis legibus inſtitutiſque tuendis, quiſquis ad voluptates temperantiam, ad injurias magnanimitatem, ad ſumtus magnificentiam ad ſecundas adverſaſque res animi æquabilitatem adhibuerit, is, extincta jam Roma illa veteri, quamvis e media Scythia fuerit exortus, a Romanis virtutibus Romana civitate donatur; præſertim ſi Romanos mores non factis ſolum, ſed incorrupto uſu Latini ſermonis expreſſerit. Romanum enim nomen & urbis dignitas in eo conſervatur, in quo lingua, morum index, & Romani mores intermortui reviviſcunt. Porro cum nihil tam Romanum ſit, quam obire pro aliorum ſalute pericula, præſtare fidem, contemnere mortem, antecellere animi magnitudine rebus humanis: jure hunc honorem urbs habuit fratri tuo, quem, ſi reſpublica reſurgeret, quovis pretio ſibi civem adoptaret. Ego vero plurimis quidem illi, at hoc potiſſimum beneficio ſum obſtrictus, propterea quod ſapientiæ vires, quas prius ex præceptis tantum Philoſophorum & memoria rerum geſtarum comprehenſas habebam, nunc illius periculo reapſe ſum expertus. Nec enim antehac tantum in virtute ponebam, quantum in ea ponendum eſſe me illius conſtantia docuit. Ac nunc plane intelligo ſapiens ſtulto quid interſit. Stultus enim, dum ejus vitam aut ſpes uſque protracta ſuſpendit, aut præſens ſcelerum conſcientia conficit, aut retexit pœnitentia ſui ipſius, vel ita vivit, ut ſingulis momentis extinguatur, vel, ſi unquam exoritur, miſeriæ tantummodo reparatur: fons enim vitæ ratio eſt, quæ alitur cognitione veritatis atque exercitatione virtutum, quarum alteram eripiunt errorum tenebræ, alteram ſordes vitiorum. Eoque majori mortis formidine ſtulti corripiuntur, quod vivere deſinunt, antequam ad vitæ limen adierint. Viventes enim toties vitam abrumpunt, quoties a luce cognitionis & portu tranquillitatis cupiditatum æſtu, tanquam adverſa tempeſtate revocantur. Jure igitur mortem, utpote vitæ vix dum exorſæ terminum, & externorum ſuppliciorum initium, pertimeſcunt. Quorum enim nulla pars corporis vacat a voluptate, quorumque omne tempus vitiis tranſmittitur, iis mors eſt mehercle graviſſima; quoniam omne id, cujus cauſa vitam inſtituerant, amittunt, &, qui ſupereſt, animus angoribus reſervatur. Qui poſſint igitur non eſſe miſerrimi, cum videant potiorem ſui partem, quæ corpore continebatur, effluere, integra modo, minima forte ſui, mente, qua raro ſunt uſi, quæque ita vivit, ut nihil habeat vivendi neceſſitate miſerius? Sapientes vero maximam partem funeri ſuperſunt, quia notionum copia & varietate ſcientiarum producentes intelligentiam, & amplificantes mentem, quæ tota intelligendo cognoſcendoque verſatur, eam ſui portionem

propagarunt, in qua mors & fortuna nihil prorſus habeant juris: corporis vero bona negligentes, & vim eorum extenuantes, tantum prædæ morti ac fortunæ ſubtraxerunt, quantum externarum rerum, & corruptarum voluptatum ſibi denegarunt. Iis enim, quæ ſunt in mortis poteſtate; tantum abeſt ut ſapiens teneatur, ut quicquid per hæc ad animum pervenerit ſibi putent excutiendum. Senſus enim perverſas & mutilas offerentes formas rerum eripiunt adſpectum veritatis, quæ nunquam emerſerit, niſi ſevocaverimus ab iis mentem, & noſmetipſos collegerimus. Affectiones vero implicantes animum rebus externis, hominem fortunæ permittunt, a qua vel perpetuæ fluunt moleſtiæ, vel confuſæ moleſtiis voluptates. Quod enim habet fortuna bonum, ejus eſt incerta poſſeſſio, & totum periculi metu corrumpitur: quoniam, dum præſentibus fruimur, cogitatione futuri miſeriam anticipamus. Nec unquam a perturbationibus liberamur, niſi quum diſtrahentes mentem a ſenſibus, & animum a rebus externis abducentes, ſupra mortalem conditionem attollimur, & naturæ diſſolutionem imitamur, ita ut nullum tempus ſit in vita beatius, quam quod moriendo traducitur.

Quamobrem vita ſapientis perpetua exercitatio mortis eſt, & mors æterna inſtitutio vitæ ac aditus ad immortalitatem. Quid enim habet rerum humanarum conditio, quo ſapientem irretiat? Senſusne, quibus veritas labefactatur? an voluptates, quas vel moleſtiæ, vel faſtidia conſequuntur? an amicos, quos vel divellit a nobis livor, vel eadem diſtrahit utilitatis ratio, quæ conjunxit? an potentiorum gratiam, quæ diuturnis collecta laboribus & obſequiis, vel oblivione deletur, vel ſuſpicione tollitur ſæpe leviſſima, vel tædio retribuendi ſenſim exulceratur? an honores, quos anxietas & ſolicitudo circumſiſtit? an opes, quas pericula comitantur? an parentes, quorum aliqui non alio conſilio ſuſcipiunt liberos, quam ut habeant, quibus imperent? an ipſos denique liberos, quibus aliquando magis hæret odium imperii paterni, quam memoria benefactorum? Quid igitur mors eripuerit, niſi vel externa bona, quæ ſapiens ſibi nunquam attribuit, vel ægritudines, quæ aliquando etiam animis ſapientum contagione corporis adhæreſcunt, quæque ſoluto corporis nexu diluuntur? Intelligentia vero & mens, quibus conſtat ſapiens, nunquam perimitur: ſed ubi ſeſe corpore, velut nubibus, explicaverit, tanquam a diuturno exilio reducitur ad divinitatem. Quicquid igitur humanitatis mors depaſcitur, in ſapiente minimum eſt, ac ab eo jam diu repudiatum; quæ vero ſunt in ære ſuo, nunquam tam bene ſibi vindicat, quam quum externarum veſtigia rerum obliterantur. Tunc enim, quamvis ſolutis languore ſenſibus, ratio tamen excubat, &, dum mors bellicum canit, triumphat animus, exultatque victoria. Quam ſane triumphi ſpeciem præbuit frater tuus, qui mortis adſpectum ita ferebat, ut non diſceſſurus e vita, ſed aggerem inter humanitatem & divinitatem interjectum videretur eſſe tranſmiſſurus. Quam ego virtutem minime ſilentio mihi prætereundam exiſtimavi: quandoquidem qua eſt ille humanitate, laudibus atque adhortationibus ſuis initia ſtudiorum meorum aluit atque provexit, ita ut eorum fructum ſuo jure ſibi vindicet. Idcirco, quod habent eruditi pretium, id ei perſolvendum putavi, ac ſingularem ejus conſtantiam tradendam literis, quod quidem officium imperitorum opinione minimum eſt, ſaniorum vero judicio maximum. Siquidem nihil illuſtrius, nihil honorificentius, nihil mirabilius tribuere homo homini poteſt, quam id, quod ſecundum Deum ſola præſtat eloquentia, nempe operum & nominis æternitatem. Fama namque virtutis, & memoria benefactorum, quæ ſumma laborum ſunt & ſapientiæ præmia, diuturnitate interciderent, niſi exciperentur doctorum hominum literis, & munirentur eloquentia, præſertim Latina, qua præclarorum hominum vita cum omnium populorum ac temporum memoria contexitur. Tibi vero, Vir Clariſſime, ac omnibus virtutibus Ornatiſſime, ſummopere gaudendum cenſeo, quod fratrem recuperaveris, generi veſtro parem, fortuna & ipſa morte majorem, ac, ut uno verbo laudes complectar univerſas, quam ſimilimum tui. Vale. Pridie Kalend. Auguſti MDCXCIV.

DE

DE LUCTU MINUENDO.

AD TROJANUM MIROBALLUM.

CUm primum mihi nunciata eſt mors filii tui, optimæ ſpei adoleſcentis, tam graviter ſum perculſus, quam qui nihil haberet ejus vita jucundius, tum propter ipſius ingenium & doctrinam morumque probitatem; tum ob utriuſque veſtrum in me ſtudium; tum propter decus & utilitatem, quam vivens ille patriæ atque amicis doctiſque omnibus erat allaturus. Acceſſit ad hanc triſtitiam cogitatio doloris tui, cujus ille virtutes ita referebat, ut, dum viveret, tu quidem imagine tui gauderes; cives autem omnes atque amici ſperarent paternam ſapientiam ac probitatem a filio etiam cum fœnore redditum iri: quippe cum omne quod a natura præclarum optimumque ſuſceperat, literarum ſtudiis, & quod ſummum eſt, tuis potiſſimum præceptis atque exemplis excoleret. Cum igitur communis, prope dicam, calamitatis ipſe non exiguam partem exhauſerim, nihil habui, quo levarem ægritudinem, quam hanc tecum jacturam per literas conqueri, atque hoc edere doloris & obſequii teſtimonium. Huic enim ingenti meæ triſtitiæ plane ſatisfactum putabo, ſi tu me ad officium lacrymarum admiſeris. Nec enim auſim ope literarum a jucundiſſimi filii morte lugenda patrem amantiſſimum avocare, inque medio curſu dolorem exundantem cohibere, aut viro, in omni doctrinæ genere verſato, rationes & præcepta ſubjicere, quibus docti & ſapientes aut demulceri ſuaviter, aut extingui prorſus poſſe doloris acerbitatem arbitrantur. Quorum ſi prius coner, ineptus; ſi alterum, impudens haberi poſſem. Nec enim illud modo, Vir Ampliſſime, perſpectum habes, quod commune eſt & pervagatum; nihil ſcilicet in rebus humanis optimum idem eſſe ac diuturnum: ſed quum anhelitum ex ſubito dolore recipies, & ab improviſa re aliquanto reſpiraveris, illud ut cum maxime cogitabis, ita nimirum eſſe rebus ſingulis, ac earum univerſitati comparatum, ut cum nihil exoriri ſponte ſua poſſit, ita nec in ullo ſitum ſit, naturam ac ſtatum tueri ſuum, niſi quoad divino nutu conſtitutum fuerit & definitum. Nec te fugit ita cum rerum univerſitate ſingula conſentire, cumque jucundis triſtia commiſceri, eoque nexu cuncta comprehendi, ut, qui aliquod bonum aſſequitur, idem anſam ſimul arripiat continentis mali. Cum namque poteſtas rerum jucundarum potiundi facta fuerit, eidem credas jam inde ab initio edictam fuiſſe a divina providentia legem inhærentis moleſtiæ ſubeundæ. Quare qui rebus triſtibus torquetur, idem debuerat & a jucundis, quibus triſtia continentur, abſtinere; ſive potius vivendi leges inſitaſque vitæ conditiones ſimul cum ipſa vita recuſare. Quod cum hominis deſipientis ſit, & erga Deum injurioſi; ita ſapientis eſt ac pii, subortum malum leniter ac patienter ferre: quandoquidem ab oblato ſuſceptoque bono divelli non poterat ſine divinarum legum injuria & totius quodammodo naturæ pernicie. Quapropter ſi filium ſuſcepiſti, ac idem immatura nobis ætate, & in ipſo adoleſcentiæ flore fuit interceptus, jam hoc eventu compertum tibi ſit, cum eum tolleres, non proprietatem illius, ſed uſuram ad viceſimum annum tibi fuiſſe condonatam: poteſtas enim eorum, quæ divina providentia obvenerunt, nulli mortalium permittitur. Si hac igitur eum opinione ſuſtuliſſes, tanquam ad viceſimum annum redditurus, quamvis hunc ademtum vitæ fructum etiam atque etiam doleres, eſſet tamen dolor ille remiſſior; tum quia te jam pridem ad hanc ægritudinem comparaſſes, tum quia non videretur alieno tempore, ſed anno ſuo, atque ad legitimam diem a te repetitus. Quod igitur caligine rerum futurarum erat involutum, id eventus non peperit, ſed natum aperuit & explicavit: ideoque Deo potius acceptum ferendum eſt, quod hujus boni uſum ad hoc tempus tibi remiſerit, quam indignandum, quod filius a tuis complexibus immature fuerit avulſus. Nihil enim a Deo præter legem, nihil præter tempus, nihil denique præpoſtere aut immature contingit. Humana tantum ignorantia, quæ rerum eventus aliorſum trahit, quam quo Deus intenderat, propriis affectionibus cuncta labefactat, ut vel intempeſtiva nobis appareant, vel immatura. Cum quis enim ſpatium a Deo definitum natura duce compleverit, nec immaturus eſſe nec tardus poteſt. Siquidem nec equum tarditatis, nec aquilam nimiæ celeritatis accuſes, quod hæc quam ille celerius lineam tranſilierit. Quamvis autem ille tuo & omnium noſtrum patriæque deſiderio exiguum vitæ curriculum confecerit; tamen, ſi ſcientias ſpectes & doctrinas, quas tam brevi percurrit, ſatis diu fortaſſe præ ceteris vi-

xiſſe

xiſſe judicabis; ſiquidem non aliud eſt vita, quam cognitio, quoque celerius & latius quis in rerum cognitionem animo ſe cionjecerit, eo majus vitæ ſpatium occupabit. Nam quot in mente notiones excitantur, tot vitæ gradus identidem adjiciuntur: & tum ad ſuperiores, tum etiam ad futuras ætates vitam propagat quiſquis acri vigens intelligentia, rerum geſtarum memoriam cum futurarum ratione, animo proviſa meditando conjungit, ac ævum omne quodammodo ſibi ſub aſpectum ponit. Stultos ſane, ſi neſtoreos annos vivendo vicerint, extinctos uſque judicaverim. Naufragium enim eorum eſt, non vita, quorum animi rerum ignoratione mentiſque perturbationibus exagitantur: ita ut præſtet punctum temporis vivere ſapienter, quam diu ſtulte. Annos igitur mors filio tuo contraxit, non vitam, quam ille, dum inter mortales verſaretur, exacuenda intelligentia ultra humanam produxit ætatem, & abiens pietatis ſuæ meritis in immortalium bonorum poſſeſſione a Deo confirmandam impetravit. Vale, Vir Clariſſime, quodque aliis præſtat dies, id tu a ſapientia tua in leniendo dolore conſequaris. Romæ xiv. Kal. Februarius MDCXCIV.

PRISCI CENSORINI PHOTISTICI

HYDRA MYSTICA,

SIVE DE CORRUPTA MORTALI DOCTRINA.

DIALOGUS.

LECTORI.

NE quis putet, moralem doctrinam hac diſputatione vexari, neve ſanas priorum doctorum traditiones ac regulas in contemtum adduci ſuſpicetur, Caſuiſticam hic differentem auctor induxit, ſub cujus perſona, & nomine comprehendit omnes eos, qui per verborum ambages Chriſti doctrinam eludunt, ac Evangelicæ legis nodos & robur veræ virtutis ſolvunt, atque relaxant, vitiis temporum & corruptis hominum moribus indulgendo. Ideo vero *Caſuiſtica* ſoror *Hereſis* fingitur, quia pietatem ambæ, quamvis diverſa via convellunt. *Hereſis* enim detorquet intellectum a fide & veritate, *Caſuiſtica* vero voluntatem avertit a rectitudine & juſtitia. Illa veras notiones corrumpit, hæc rectas actiones pervertit per diſſolutionem diſciplinæ. Ceterum moralem doctrinam, & eos, qui poſt antiquos patres illam illuſtrarunt ac illorum veſtigiis inſiſtentes excoluerunt, quod inter ceteros D. Thomas Aquinas optime præſtitit, non probat modo, ſed & ſuſpicit ac veneratur. Malum & peſtem, quæ huic doctrinæ imminet a Caſuiſtis, ſive a recentioribus quibuſdam, qui ſub nomine Caſuiſtarum, rationem bene pieque vivendi cum vitiorum illecebris, tanquam inito fœdere conjungunt, opprimi ac profligari, vehementer optat.

CASUISTICA & HÆRESIS.

QUam ægre ac miſere, mea ſoror, ætatem exigis, mœſtis abſumpta curis, aſſiduis laboribus, & animi doloribus exagitata, quin te tibi vindicas aliquando & reſipiſcis? Quid tamdiu in aſſidua ſcripturæ lectione te occupas, & in antiquorum libris incumbens vires tuas & animum conficis? Scilicet, ut e lumine tenebras extrahas, atque ut eruas ex aperto ſplendore caliginem. Deinde quæ tua dementia eſt, tantam diſcordiarum procellam ſubire, inter ipſa te pericula conjicere; bellum & clades undequaque miſcendo, ut inter homines doctrinæ tuæ ſemina diffundas, quæ nonniſi per ferrum & ſtrages radices agunt, ac humano tantum munita cruore coaleſcunt? Miſeret profecto tui, pigetque, cum faciem intueor tuam livore perfuſam, ora veneno fluentia. Corripitur mihi animus, cum video, te flammas emittere ex oculis, ancipiti vibrare lingua ſagittas, intorquere manu telum, ac ſpirantem undique mœrorem & luctum, peſtem & cladem cunctis mortalibus denunciare: Itane vero te crucias, nec de quiete amplius cogitas? Mitte tandem e manibus ſcripturas, abjice veterum libros, deſine aliquando Marcionis, Ebionis, Arii, Sabellii, Manetis, aliorumque hujus generis inventa & decreta venerari, conquirere, illuſtrare, & quæ denſis vetuſtatis tenebris obſidentur, in lucem hominum revocare. HÆRES. Miror, cum hæc tua ſit oratio, mea ſoror, quaſi peregrina ſis & extera, vel noſtræ penitus conditionis oblita. Scis, ambas nos apud tartara ex patre

Digitized by Google

patre Plutone prognatas. CAS. Quidni ſciam, aut cur mihi deciderit memoria genitor? HÆR. Sat habeo, nunc te paulatim ad rationem inſtituti noſtri deducam, ut nullam dehinc habeas mei objurgandi cauſam. CASUIST. Adeſt meus tibi animus, eloquere. HÆR. In memoriam revoca, quam magnum olim patris noſtri fuerit imperium, quam longe lateque ſuos fines protulerit. CAS. Memini, id ſolitum eſſe nobis narrare patrem, non dum enim tum nos in lucem eramus eductæ. HÆR. Hancei ſummam in univerſo terrarum orbe poteſtatem pepererunt falſa gentium numina, & craſſus ac rudis ille cultus, quo fabuloſæ opiniones alebantur, ita ut homines ab omni luce veræ religionis averſi, a cœlo penitus abducti, tandem humi deprimerentur. Omnis enim eorum temporum religio verſabatur in his, quæ oculos aureſque percellunt, ac tantum permovent ſenſus, quæque manibus potius, quam contemplatione, ac mentis intentione comprehenduntur. Hinc erat, ut Deorum notio nunquam niſi humilibus involuta figuris cogitantibus occurreret. Hinc humanæ naturæ contagiones Diis ipſis affigebantur humanarum voluntatum motus, & ſtudia, ut merito Epicurus eos impios judicaverit, non qui vulgares multitudinis Deos tollerent, ſed qui mortalium affectiones traherent ad Deos. Hæc perverſa & corrupta notio, quam de Deo ſuſceperant, maxime fovebatur illa ingenti cæremoniarum mole, ritibus, ſacrificiis, lectiſterniis, commeſſationibus, epulis, auguriis, litationibus, conſecrationibus, & innumeris aliis exterioris cultus generibus, quibus impetrari Deorum pacem, eorumque numen placari poſſe credebant. His ita mortales erant irretiti, ut non aliam ſpeciem pietatis præciperent animo, quam quæ in harum uſu rerum exercebatur. Cumque aſſiduo volutarent, ſe in his terrenis involucris, adeo his demerſerunt animos, ut nunquam ad ſublimiores naturæ divinæ comtemplationes evaderent. Putabant enim Deum non alium cultum, aut actum religionis exigere, quam qui manibus, oculis, genubuſque præſtatur, ac veluti pueros, cum eos videmus eſſe ſubiratos, demulcemus, & blandiendo contrectamus, præbentes ipſis offas, & caſeum, ita & illi flectere Deos ſe poſſe credebant, ſi agnum, ſi caprum offerrent, ſi genua deprimerent humi, ii pronos ſe aris advolverent, ſi ſolemne aliquod carmen obmurmurarent. Scelera tandem & crimina mœrore & pœnitentia non emendabant, ſed oblationibus atque muneribus culpas redimebant, quaſi Deus non propter animi virtutem & bona opera in gratiam homines recipiat, ſed largitione ac profuſione corruptus pœnam delinquentibus remittat. Nemo igitur ut peccati pœnam effugeret, peccatis ſibi abſtinendum putabat, ſed ſceleribus hærens ſatis Deo ſe commendatum exiſtimabat, ſi malum illud intra ſe conceptum bono aliquo, extra ſe poſito, compenſaret: quæ vero ab ipſis Diis mortales precibus, ac votis rite nuncupatis petere ſolebant, omnia pertinebant ad corpus, nempe numerus liberorum, rei familiaris augmentum, ſalus corporis, diuturnitas vitæ, victoria de hoſtibus, felicitas imperii: quæ vero Deum ipſum comitantur, quæque digna ſunt, quæ petantur, & præſtantur a Deo, pacem & tranquillitatem animi, fortitudinem, juſtitiam, denique virtutem, & bonam mentem, hæc ſibi nemo poſcebat. His indignatus Perſius exclamavit:

O curvæ in terras animæ, & cœleſtium inanes!
Quid juvat hoc, templis noſtros immittere mores,
Et bona Diis ex hac ſcelerata ducere pulpa?

Cum is cultus terris vigeret, ingens animarum numerus rapiebatur in orcum, nec in cœlum penetrare valebant, qui dum viverent, affixerant *humi divinæ particulam auræ*. CAS. At nonne tunc florebant Hebræi, qui divinam legem divino profuſam eloquio, ſepoſiti ab omni ſuperſtitione & falſo cultu, profitebantur? HER. Viguit ſane lex, quam a Deo Moſes acceperat, ſed nec illa niſi modicam orbis partem complectebatur, ita ut nonniſi actus exteriores reprimeret injecto pœnarum metu tanquam freno cupiditatum, & accenſa ſpe terrenorum commodorum, quibus tamquam calcaribus mens ad bonum impellebatur, nondum autem erat lege gratiæ, & cœleſtium bonorum contemplatione ad ipſam honeſtatem, & puram, incorruptamque virtutem, atque ad amorem veri numinis elevata,

vata, niſi in paucułis, qui re, non nomine, jam erant Chriſtiani. At poſtquam in imperii paterni perniciem æterni Patris Filius cœlo delapſus: ut nodos primevæ culpæ, quibus hominum genus involvebatur, evolveret, & viam impoſterum ad æternam gloriam ſterneret, humana carne ſuſcepta ſe mortalibus ingeſſit, voce, exemplo, factiſque, docuit, quæ de divina natura ſit efformanda & concipienda notio, quo ſpiritu regendus exterior cultus, quomodo mens ad Deum intendenda, quæ præmia in futurum ſint expectanda, quæ pœnæ præcavendæ. Hinc cœlo ſe attollere cœperunt homines, ac per immenſa ſpatia divinitatis evagari. Hinc divinum numen prius involutum ac obſcuratum falſis notionibus & ex humana affectione corruptis patefactum eſt orbi. Hinc vis veræ ac ſanæ religionis emicuit, quæ ſita eſt in intentione, atque converſione mentis ad Deum, depreſſione ſpirituum, abſciſſione cupiditatum, negligentia rerum humanarum, averſione a corporeis commodis, cultu atque uſu virtutum omnium, quibus mortales per Chriſti ſanguinem Deo conciliati redeunt in gratiam, ita ut ſpe præcipiant æternam felicitatem. Hinc aſſueti ſunt homines temperare pravis voluptatibus, devovere ſe humilem victimam Deo, atque illos ritus exterius aſſumere, qui motum interiorem exprimerent, quique pios ſenſus conſequerentur, non aliter, ac motus & geſtus differentis vocem comitantur, ac exteriores actus ſi ſint a virtute ac pia mentis affectione divulſi, non aliter reputentur, quam umbræ luce caſſæ ac detracto nucleo cortices. Hæc autem ratio ex abditis fontibus divinitatis educta, quam tamdiu in ſuis arcanis Deus condiderat, per Chriſti prædicationem patuit omnibus, non modo ſapientibus, ſed & rudiori plebeculæ, imo quod me magis angit, res altiſſimas & ſubtiliſſimas multo facilius humiles, quam turgidæ mentes exceperunt. Ea enim eſt hujus religionis vis, & natura, ut quæ ad bene agendum excitandamque pietatem ſunt conſtituta præcepta, item quæ ad imprimendas veras rerum divinarum notiones, quibus humana vita ad rectitudinem, juſtitiamque dirigitur, ſunt evulgata, æque poſſint in ſapientum ac in imperitorum pectora demitti; ſunt enim inſigni facilitate, & miris verborum luminibus a Chriſto prolata. Quæ vero ſupra vires rationis eminent, æque doctorum ac inſipientum aciem fugiunt: cum enim vincant facultates mentis humanæ, comprehendi nequeunt, niſi quis ſe ſupra naturam extollat; ad hunc autem gradum neminem humana ſapientia ſublevat, ſed fides a Deo immiſſa, miraculis Chriſti, ejuſque diſcipulorum primum conciliata, ac deinde Eccleſiæ Catholicæ auctoritate munita; exæquavit igitur mentes hominum doctrina Chriſti. Imo cum ea, quæ rationem ſupervolant, ſola fide contineantur, hoc illi ſolidius in rudiorum mentibus imprimuntur, quo magis pietas & fides fervet in iis, qui minorem ſpem in acumine ingenii atque in rationis ſubtilitate conſtituunt. Ii vero, qui vana efferuntur opinione doctrinæ, quique humana tantum ſapientia tumidi, nullo divinæ gratiæ lumine illuſtrati, jactant ſeſe pandere divinæ legis oracula, nihil ſupra plebeculam ipſam ſapiunt; imo quod vir plebecula parum enitet, atque ſincerum iiſdemque veſtitum vocibus, quibus a Chriſto fuit emiſſum in mentibus ſapientum, qui ex humanis doctrinis notiones arripiunt & vocabula, contingere poteſt, ut corrumpatur, & detorqueatur, tamquam terrena fœditate contractum. Unde obſcurant illi quod eſt illuſtre, obruunt quod eſt eminens, quodque ſincerum & limpidum eſt maculant & labefactant. Quapropter cum ego demandatam a patre noſtro provinciam mihi ſuſcepiſſem, onuſque ſubiiſſem corrumpendæ Chriſtianæ doctrinæ, cujus exitio poſſet patris mei regnum poſt everſa gentium numina pene collapſum reparari, aliquibus Philoſophis, qui fidem jam Chriſtianam admiſerant, me inſinuari, cernens animo nullum eſſe magis ad hoc opus aptum inſtrumentum, quam hominum ſapientiam & philoſophiam, cujus robur tantopere Chriſtus & Paulus ejus apoſtolus obtriverant, eam vehementer deteſtantes, ac longe arcentes a fide: Furiales igitur flammas excutiens, inflavi mentes philoſophorum & agitavi, ac in eorum pectoribus injeci nimiam cupiditatem penetrandi ulterius in divinis arcanis, adduxique ipſos in ſpem, poſſe per philoſophiæ acumen evolvere quæcumque Chriſtus ſolius fidei tutelæ conſignaret. Quibus promiſſis eo celerius dederunt

runt

runt animum, quod indigne ferebant, nihil eſſe in fide Chriſti, quo docti præſtarent imperitis. Quapropter conati ſunt doctrinas ſuas traducere ad fidem, cumque illa philoſophiam tamquam inito conjugio commiſcere, depulſa & ſemota plebecula. Ideo concluſerunt philoſophicis vocibus divina myſteria & præcepta, quorum ſe deinde conſtituerunt interpretes, atque ad ſuam ditionem redegerunt, non ea modo, quæ propter rerum ſublimitatem ſunt obſcura, ſed etiam ea, quæ clara ſunt, ac, ut ita dicam, in fronte locata. Ego quippe, ut Chriſti conatum & doctrinam obruerem, interpretandi rationem longe ab aliis diſſimilem meis philoſophis præſtiti. Nam cum interpretes aliarum doctrinarum res obſcuras ſimplicibus communibuſque vocabulis exponant, ut rerum difficultatem ſentiant facilitate verborum, illi interpretes ſcripturarum res ſimplices & planas, novis commentis, & ignotis vocabulis involvunt, ita ut interpretatio non eliciat, ſed opprimat ſenſum. Hac arte aſſueti ſunt homines, dum divinum volumen conſulunt in rebus ſingulis, ac in facilioribus & apertioribus hærere, ſtatim ad interpretationes excurrentes: ubi enim nulla ſe offert obſcuritas, tamen ipſi eam inducunt & ſubtiliter excogitando pariunt. Vix enim ſibi perſuadere poſſunt, aliquod eſſe in lege divina patens & expoſitum. Hinc illi interpretes, qui humanæ tantum ſapientiæ viribus confidentes in ſcripturæ ſenſum perſuadere voluerunt, gradum ſibi ſublimiorem inter fideles elevarunt, tamquam ad id, quod Chriſtus mortalium fidei commiſerat lumen ipſi ſapientia ſua, & non potius tenebras inventorum novitate, obſcuritate vocabulorum offuderint. Cum hac via inter fideles ad ſummam exiſtimationem perveniretur, ſenſim dominandi cupido ſuborta eſt, ac ut plerumque accidit, qui animos nominis auctoritate tenuerunt, eos tandem oppreſſerunt imperio. Cum igitur ad dominationem multi contenderent, & ad eam doctrina duceret, alius alium in literis & ſcripturarum intelligentia ſuperare conabatur, ut fide magis apud populum emineret: Hinc ortæ diſſenſiones & partium ſtudia, hinc diſcordiæ frequentes & jurgia, cum quiſque ſcripturam ad ſe traheret, quaſi mente Deum concepiſſet, ac non per Chriſti prædicationem, ſed per os interpretum Dei verbum eſſet erupturum. Cumque alii alium ſenſum uni vocabulo temere ſubjicerent, legem divinam per ſe puram ac ſimplicem, in tot ambages ac difficultates detruſerunt, ut (quæ mea ſumma laus eſt) non jam quæratur amplius, quis eſſet aptior ſenſus, ſed qui ſubtilior, non qui verior, ſed qui remotior ac longius advectus, tandem conſuetum eſt inquiri, non quid Chriſtus docuerit, ſed quid ſapientibus placeret, eum docuiſſe. Tot itaque inſitis Evangelio commentis hominum, tot adjectis floſculis ingeniorum & eloquentiæ, tot interpretationibus ſuper ipſum exaggeratis, inflexum eſt tandem robur veritatis, atque in tam variis ingeniorum vorticibus, tamquam in profundo gurgite fuit abſortum. In hac difficultate atque in iſta rerum caligine latiſſimus mihi locus eſt patefactus: Ideo celebris eſt ea vox apud Tertullianum *Philoſophi Patriarchæ Hæreticorum*. Ex his noſtris machinamentis, ac philoſophorum meorum præſtigiis ortæ ſunt virtutes vitioſiſſimæ Simonis, Aonis, Valentini, bonum & malum principium Manetis proxime ad Dæmonia Socratis accedens, Hermogenis ignis, quem detulit e ſecta Stoica, unde diſceſſerat, ex quo paradiſum viſibilem orbem terrarum, infernum, animaſque hominum condidit. Multaque multi ab his non diſſimilia monſtra pepererunt, Evangelii lucem e fidelium oculis ineptiſſimis noſtris commentis abducentes, & pro verbo Dei cogitationes & inventa hominum obtrudentes. Obumbrato igitur divino lumine mea & meorum philoſophorum opera, grex fidelium auctores cujuſque ſectæ ſibi ducem conſtituere evocatus eſt, cum quivis ex conditoribus novarum opinionum manum & multitudinem cogeret, quam poſſet, traheret ad ſuas partes. Unde a pietate & fide res ad factiones & partium ſtudia deducta eſt; ſuam enim quiſque doctrinam tuebatur, non ut verbum divinum aſſereret & propugnaret, ſed ut diſcipulorum multitudinem in officio contineret, & in veneratione cultuque magiſtri confirmaret. Ex his diſſenſionibus gliſcebat in dies in pectoribus hominum cupiditas & ſuperbia, quæ non modo ſingulos homines & familias, ſed univerſam pene labefactarunt

ſtarunt Eccleſiam. Ut autem magis hanc opinionum diſcordiam alerem, ac veritatem, quo poſſem artificio tegere, duxi ſemper homines per abrupta & devia, rectam ſemitam obſtruendo. Ita enim conſueverunt interpretes, me ſuadente, ſcripturam exponere, ut certi nunquam aliquid conſtituatur, quin alio ſtatim oppoſito loco poſſit everti. Nam cum ea ſit optima veritatis inveniendæ ratio, quæ docet, ut nihil admittatur in animo, niſi quod ſimplicius ſit, & certum, ex quo deinde, quaſi per gradus deveniatur ad aliud: hanc ipſi normam neglexerunt, & ex pluribus locis obſcuris ac ambiguis ſimul coactis certam ac firmam eduxere veritatem. Quæ ratio peſtis eſt maxima doctrinæ, ſiquidem ex pluribus & ſimilibus ambiguis, quantumvis numerum eorum adaugeas, nihil umquam certi poterit oriri. Cum igitur locos illos ambiguos quiſque pro ſuo ingenio interpretaretur, evenit, ut varii varias pro varia interpretatione ſententias efferrent. Huc accedit, quod cum raro quiſque deponat, quod longo ſtudio comparavit, qui ad fidem accedebat, occupatus alicujus ſectæ decretis, ſcripturæ ſenſus detorquebat ad opinionem, quam præceperat, nec ſe ſcripturæ, ſed ſcripturam ſibi ſubjiciebat. Hinc erat, ut, quod quiſque vellet, deprehenderet in verbis divinis, & erueret inde, quod cuperet, ope dialecticæ, quæ comes eſt noſtra fidiſſima. Præterea tot interpretandi genera ſunt inventa, ut tamquam plurima retia tendantur, quod hinc effugit, illuc cogatur incurrere, ac quivis ſenſus ſi una via non ſucceſſit, alia poſſit occupari. Qui etenim placita ſua non poteſt e ſcripturis elicere per interpretationem proprietatis vocabulorum, confugiet ad tropos & metaphoras; hic ſi obſtructus eſt aditus, divertet ad analogicum ſenſum; ſi neque hinc exitum reperiat, undique patebunt & occurrent allegoriæ, quæ deeſſe non poſſunt unquam; cuilibet enim ex ſuo ingenio eas efformare licebit, ut nihil jam facilius ſit, quam humani ingenii partum ſcripturæ divinæ ſupponere. Has autem vias late ſtravit Origenes, qui liberius proprio indulſit ingenio, ac a genuino ſcripturæ ſenſu ad coactum & remotum avertit homines. Quem deinde ſecuti ſunt illi omnes, qui ſibi præ aliis ſapere viſi ſunt nunquam retinentes eum ſcripturæ ſenſum, quem ſimplicitas orationis exprimeret, ſed etiam in re perſpicua, ſemper aliud per ſubdolam & importunam interpretationem exerentes. Hæ vero ſubtilitates & argutiæ rerumque caligo ex inventorum varietate conflata arma præbuerunt Ario noſtro, quibus doctrinam de Trinitate perſpicuis in novo Teſtamento verbis expreſſam oppugnaret. Hæc duas in Chriſto perſonas per Neſtorium, unam naturam per Euthychetem affinxerunt: Hæc alteram ei voluntatem per Monothelitas ademerunt. His humanis præſtigiis captus & Origenis ſpiritu compulſus, cujus ramuſculus a Hieronymo nuncupatur, Pelagius, originale peccatum & gratiæ neceſſitatem, abnegando Chriſti mortem, inutilem atque irritam reddidit. Hæc denique Chriſti regnum pene perverterunt, nobis vero ſolium extulerunt excelſum. CAS. Videris tu mihi ejuſdem erroris maculam adſpergere etiam ſanctis illis & veteribus Eccleſiæ patribus & doctoribus; nam & ipſi magnam diſputationum partem e philoſophicis fontibus deduxerunt, & e Platone potiſſimum, e cujus doctrina uberem argumentorum copiam excipiebant. HÆR. Sumſerunt ipſi, fateor, a doctrina philoſophorum non pauca, tamen ad id non ſponte veniebant, ſed ab adverſariis provocati, non libere, ſed coacti, ac ea tela intorquebant, non ut adſtruerent ac fidei fundamenta locarent, ſed ut conatum adverſariorum reprimerent, eoſque caperent iiſdem laqueis, quos tendebant aliis, falſitatemque delerent iiſdem armis, quæ in veritatem erant intentata: Præterea philoſophiam adhibebant fidei tanquam ancillam atque pediſſequam, quæ nihil per ſe ageret unquam, ſed cederet atque pareret imperiis. Nec tamen hic deſinunt noſtræ fallaciæ, nam alias ſtruximus graviores. Ut enim peſtis ſerperet latius, non in ſola diſputatione regni noſtri fundamenta locavi, ſed ad clamores & ſtrepitus differentium, vim etiam atque potentiam imperantium adjeci. Fortiores enim viribus & opibus valentiores hinc occaſionem arripuerunt, & regnum affectarunt, cum quilibet ſtudium religionis prætendens, cuilibet ſectæ propagandæ ducem ſeſe fortiſſimum præbuit, armis adverſus alios illatis, eoque artificio cunctos

ſtos illi ſectæ addictos imperio ſuo ſubegit. Et dum quiſque Principum externos ritus & alienas doctrinas a ſuis finibus arcet, accenduntur animi ſuorum adverſus alios, tanquam infeſtos animarum ſaluti, atque ita Princeps ſecuritatem ſibi ab inſidiis & invaſionibus alterius parat, & ſuam cum divina cauſa conjungendo populum ſibi ſubjectum inexplicabili nexu & exterius obedientiæ vinculis obſtringit. Ideo vero diſſenſiones & diſcordiæ in perpetuum aluntur, ut is qui regnat, populum ſuum ab aliis ſecernat, non modo morum & veſtium diverſitate, ſed quod omnes concordiæ nodos incidit, religione & cultu; atque ita diremtum ſit commercium inter populos diverſis ſubjectos Imperiis. Cum igitur in Chriſtianam fidem has flammas intulerim, cogor eam aſſidue aliquo vento, vel novæ vel renovatæ doctrinæ perflare, ne unquam ex his vepribus, quæ Dei verbum irretiunt & obſident, ſcripturæ puritas atque ſimplicitas evadat. CAS. Ego vero, mea ſoror, multo expeditiori via perveni, quo tu per ſtrages & arma contendis. Eoque rem felicius geſſi, quod tibi nunquam contingit immittere pedem in Eccleſia catholica, cum ego in hac potiſſimum peſtiferum virus effuderim. Quodque mirere magis, Evangelio cladem intuli ſine bello, necem ſine vi, nec ſtrepitus ullos aut turbas excitavi, ſed per pacem & fœdus, imo per ſpeciem cultus & obſequii vici divinum verbum & obtrivi, pluresque animas in orcum deduco tradendo regulas pietatis, quam tu fidem & religionem lacerando. Tu nempe arietibus admotis & vineis aperte & palam Dei doctrinam inundas, unde fideles ad rixas & prælia concitantur. Ego contra nihil horum moveo, ſuo quæque ſtare loco patior, fidei ſuum jus integrum ſervo: tantum cuniculis quibuſdam occultis ſubtraho fundamenta ſalutis, & venenum latenter in Eccleſiæ corpus immitto, quo ſanguis & membra putreſcant. HÆR. At quonam pacto id aſſequeris, mea ſoror? Miram enim rem narras, potuiſſe te fallere oculos tot hominum vigilantiſſimorum, ac iis ignaris nec providentibus quidquam tantam larem adſpergere. CASUIST. Jam aperiam tibi rationem inſtituti noſtri, ac oſtendam, qua pervertam arte ſalutem hominum. Non te fugit, Chriſtum Jeſum prædicationes omnes ſuas huc retuliſſe, ut ſcilicet fidem & caritatem inter homines ſtabiliret. At ex uno & altero Chriſti diſcipulorum, ipſius eruditione inſignium atque pietate, cum aures ad verba colloquentium inter ſe forte quondam adverterem, accepi, nullum pondus habere fidem a caritate divulſam. Quid a virtutibus ſejuncta doctrina Chriſti? Hoc eſt ſupremum opus divinitatis, hæc eſt ſumma legis divinæ ratio, ut per rectam fidem & ſinceras cœleſtium notiones, traducantur homines ad apicem culmenque virtutis, ac in pectoribus ardor caritatis excitetur, quod correpta mens rapiatur ad Deum, & ad amorem hominum eodem ſtudio, quo quiſque inclinat in amorem & benevolentiam ſui, eandemque opem, quam ſibi aliis præſtet, aut ad malum propulſandum, aut ad bonum aſſequendum: Hæc nempe radix eſt virtutum omnium, hæc ſumma lex rerum bene gerendarum, hic fons eſt omnium benefactorum uberrimus. Cum hæc eſt inſculpta pectoribus, veram excitat honeſtatem & virtutes procreat univerſas. Hanc adumbrarunt quidem aliquando Philoſophi, nunquam tamen expreſſerunt. Chriſtus tantum hoc lumen extulit vitiorum omnium nube diſſipata. Hoc vinculo conſtruxit ipſe virtutes, & perpetuo nexu tam bene colligavit, ut eo vel ſoluto, vel aliquantulum laxato continuo diffluant omnes. Huc ſuam doctrinam Chriſtus contulit, & cuncta præcepta, quæ ſi bene introſpexeris ad amorem Dei, & dilectionem fratrum excitandam videntur intenta. Totum enim Evangelium in hæc fere capita diſtinguitur: aut enim divinam naturam, virtutem, & gloriam pandit, qualia ſunt arcana Trinitatis, & Incarnationis Verbi; aut malefactorum pœnam, bonorum autem operum præmia promittit, qualia ſunt ea, quæ de futuro judicio, de reſurrectione mortuorum, & poſtremo adventu Chriſti traduntur; aut rationem vitæ recte inſtituendæ proponit, qualia ſunt ea, quæ de amore erga Deum & mutua hominum benevolentia præcipiuntur. Quæ de natura divina produntur, ea caput & initium ſunt religionis, quibus Chriſtiani a Judæis & Gentilibus ſecernuntur, & cum fideles

X 2 con-

Digitized by Google

conceptas habent veras de Deo notiones, amorem ſuum in verum numen dirigant, eoque inflammentur ardentius, quod certa fide teneant. Illud numen, cui ſubjiciuntur, ſubjeciſſe ſe pœnis omnibus, ut homines pœnæ ſervos per peccatum factos, & æternæ morti damnatos ad libertatem vitamque revocaret. Hæc igitur prima lux verbi divini, ſi intimis ſenſibus hauriatur, mirum caritatis ardorem excitabit. Cum autem huic accedit, aut imminens futuræ pœnæ metus, ſpe æternæ felicitatis magis firmantur homines in exercitatione vi tutem, & in cultu ſummi numinis, a quo tanta merces beneſactorum in ſpem oſtentatur. His facibus inflammatus animus vi divinæ promiſſionis, & contemplatione bonitatis infinitæ facile flectitur ad ea præcepta, quibus Chriſtus humanam vitam inſtituit; qui enim in amorem ſummi numinis totis viribus fertur, is libenter accipit impoſitam ſibi legem, conceptoque ſemel igne caritatis, voluntas in aliorum voluntatem & utilitatem ac beneficium inclinat ipſa per ſe, atque ad culmen virtutum omnium ardore incitata divino contendit. Triplici ergo ratione Chriſtus promovit atque complevit opus caritatis, ſe ſcilicet & ſua bona patefaciendò, pœnam & præmium conſtituendo, regulas & vitæ præcepta tradendo. Quibus illud frequentius injunxit, eos omnes, qui doctrinam a ſe partam accipiunt, habendos eſſe tamquam plura in uno corpore coacta membra. Unde ſicuti ſi brachium in alterius brachii damnum tela vibraret, & illi & ſibi & toti denique corpori periculum afferret; ita & Chriſtiani, quod ſingulorum eſt, commune debent incommodum reputare. Hinc, qui fidem profitentur, ſenſibus tantum, & terminatione membrorum ſinguli ſunt ſeparati, mente tamen & divinæ legis vi, unum conſtituunt ſimplex corpus & indiviſum. Hæc ſi ratio vigeret in animis, reſecaret omnes vitiorum radices, & uberrimos fructus pacis, humilitatis, juſtitiæque produceret. Si ſola enim amicitia in civitatibus bene firmata ſedaret diſcordias omnes, & tolleret neceſſitatem legum atque pœnarum, ut ipſe etiam Ariſtoteles in libris Ethicorum obſervavit, quanto majorem caritatis concordiam firmaret, quantoque longius jurgia & rixas averteret. Nam quænam invidia, vel livor, aut quale unquam odium penetraret in illos; qui mutuis inter ſe voluntatibus complicati unanimes feruntur in Deum, atque in ipſius immenſa bonitate, tamquam in eodem puncto cohærent. Quænam acies peracuta diſſolveret nodum tam bene contextum? Hac autem animorum firmata concordia, quis non videt, quam mira ſeſe tolleret moles cohorſque virtutum, quæ pietas in terris, quæ integritas & innocentia floreret? Hæc illi Chriſti diſcipuli ſæpe inter ſe: itaque ipſos audivi de caritate diſſerentes, ex quibus probe agnovi hujus vim virtutis, quæ ſi pectora occuparet latius, recte homines deducerentur ad Deum, & patris noſtri opes exhaurirentur. Cum e contra ſi fides ſtet, deficiant autem opera caritate, reſtincta; ingens mortalium turba fluat in orcum. Ideo caritatem & bona opera mihi opprimenda ſuſcepi, ut exugerem ſuccum fidei, & nervos ipſius eliderem, Chriſtique prædicationem non quidem oppugnado, ſed vel negligendo, vel intervertendo perverterem. Faciliimum eſt enim, rapere Chriſtianos in interitum & ruinam, abrupto vinculo perfectionis, nempe caritatis lege relaxata. Ad id igitur omnes meas vires contuli, omnem induſtriam, & quam bene mihi ſucceſſerit opus, quibuſque machinamentis legis divinæ robur oppreſſerim, accipe.

Primum omnium latiſſimam viam meis fraudibus patefecit neglectus & ignorantia ſcripturarum: Si enim ad ipſum fontem purum homines os admoviſſent, profecto avertiſſent ſe a turbidis rivis, quos ego deduxi: tum ſi conſueſſent homines in rebus dubiis, quæ inter agendum occurrunt, confugere ad oracula ſcripturarum, rationem ſtatim rerum bene gerendarum & exercendæ virtutis accepiſſent, nec diutius jactarentur tot dubitationibus & difficultatibus, quibus defatigati tandem ad me recurrere coguntur. Quis enim humanorum eventuum ad legum divinarum trutinam & normam non ſtatim expenditur? Deinde meam auctoritatem mirum in modum ſublevavit humanarum affectionum impetus, quibus a præceptis divinis homines abſtrahuntur, ac ideo in incertitudinem ſe maximam conjiciunt; quia non ad eam vivendi ratio-

rationem, quam lex divina præſcribit, ſed ad illam quam libentius humana imbellicitas patitur, animi ſui ſenſus intendunt. Quam facile enim dubitationes, quæ in vitæ curriculo ſe offerunt, ſcripturarum falce reciduntur? Certe cum his duobus præceptis omnis honeſtas & ſuprema rerum gerendarum ratio concludatur, quæ ſunt ſumma hominum erga Deum, & par ac mutua dilectio inter ſe, duobus iſtis obnixe retentis, quilibet nodus citiſſime ſolvitur. Quemadmodum non paucos ex veteribus Chriſtianæ legis doctoribus non ſemel audivi differentes, Lacerit te aliquis (dicebant quidam ex illis) natura impelleris ad ulciſcendam injuriam, hæres incertus inter has animi jactationes, quia ſimul vereris, ne aliquo te ſcelere labefactes, nec tamen de hoc habes aliquid certi nondum tibi conſtans, vin' hos ſcopulos declinare, ſcripturas divinas evolve: ſtatim illæ tibi proferent ſanam & rectam in hac diſputatione ſententiam, Pone te enim in locum illius, contra quem furis, temet adhibe in conſilium, introſpice animum tuum ſi tu velles injuriam tibi remitti, cogita idem & velle alterum, idem igitur alteri præſta, quod eſſes tibi ſuſcepturus. Quære, ſi potes, aliam avertendarum quæſtionum rationem, quæ facilius, quam hæc nexus omnes inextricabiles dirimat. Nulla tibi profecto ſe offert expeditior, hac nulla præſtantior. Nihil igitur interrogabat alter, erit circa regulas morum inter Chriſtianos obſcurum, nihil implicatum & anceps. Multa (ſubjiciebat illa) multa ſunt, fateor, ambigua & incerta, in quibus quantumvis perſpicax ingenium hæreat oporteat, ſed hæ nubes & tenebræ difficultatem nobis non ex ipſa re, ſed vel ex cupiditatibus & affectionibus noſtris, vel ex negligentia divinæ legis & ignorantia ſcripturarum oboriuntur. Indue patientiam, bonitatem, humilitatem, repūta intra animum tuum, illum Chriſto judice præſtare ceteris, qui libenter ſe ſubjecerit alteri, qui celerius loco ceſſerit, eum apud Deum ſublimius evehi, qui humilius habitat inter homines, qui reſedit inferius: Defige in animo, lege Chriſti digniorem eſſe, qui jacet abjectior, præſtantiorem, qui vilior, quique contemtior vivit in terris, & in hominum glorioſorum deriſionem incurrit. Aſſueſce meditari, quam levia reputenter a Deo, quæ maximi ſunt apud homines, quamque rapide cuncta fluant & evolent. Si hæc inſederint animo, jam ſpectabis alio, jam terrena ſupergreſſus ex alto deſpicies errores hominum, quod faſtum & ſuperbiam deponere pudet. Cum hoc ex hujuſcemodi ſermonibus cognoviſſem, jam mihi ſtatim patuit, quo deberent ictus intendi, ut omnis pietas Chriſtiana concideret. Jam proſpexi, quo latere poſſit invadi. Quia igitur homines nolunt ſerio retrahere pedem a cœna, ſed cum præcepta ipſa atque accenſa cupiditate futuræ gloriæ, humanarum rerum ſtudia miſcent, & nolunt ſe divinæ legi ſubjicere, ſed eam ad ſuarum affectionum obſequium detorquere conantur, ideo confluunt ad me omnes, a qua petunt rationem penetrandi ad cœlum per ima & putrida terræ. Illi vero gaudent, quod a me tam molliter benigneque tractentur, ut iis perſuadeam, ad æternam gloriam conſequendam neceſſe non eſſe humana contemnere, & immenſas pecuniarum honorum ac imperii cupiditates reſecare, deponere odium, condonare vindictam. Hoc enim Evangelica doctrina ceteris anteceſſit, quod graviorum philoſophorum ſcripta umbram tantum virtutum exhibent; Chriſtus vero ipſam effert lucem. Illi revera non extinguunt, ſed formant flectunt & moderantur pravas affectiones. Chriſtus vero conterit illas evellitque radicitus. Docet enim Evangelium, ut illi, quos ſupra indicavi, urgebant, non moderationem ſolum, ſed abolitionem affectionum pravarum per abnegationem ſui ipſius, quod eſt ſummum virtutum culmen, quo nunquam acies ne acutiſſimorum quidem philoſophorum pervenit. Hi namque ſemper aliquid humanum tamquam ſignum virtuti propoſuerunt; nempe voluptatem, tranquillitatem, pacem reipublicæ, conſervationem libertatis, imperium, gloriam, futuram poſt mortem famam, (Stoicos enim nihil moror, qui honeſtatis vocabulo faſtum & ambitionem involvebant) cuncta præcepta tandem referebantur ad ipſos, ac in eorum utilitatem, aut gloriam redundabant. Chriſtus vero hæc omnia ſpernit, ſuadetque contraria, nempe contemtum, paupertatem, miſeriam abjectionem, &

quid

quid vilius inter homines reputatur. Juſtitiæ quoque ſpeciem formavit longe diverſam ab idea, quam de ipſa conceperant homines. Nam cum ea putetur optima juris ratio in aſſiduo commercio conſtituta, quæ docet malum pro malo reddere, quamque reipublicæ bene fundatæ, ac inſigniores philoſophi probaverunt, innixi lege naturæ, quæ propriam defenſionem & propulſationem damnorum hominibus indidit: Chriſtus id ipſum, quod hominibus ſumma lex eſt, qua malum ſibi illatum inferenti rependere propriis viribus permittitur, ejecit, ſuaſitque, ut non malum pro malo, ſed quod omnem virtutem vincit, & ſuperat, bonum pro malo reddatur. Nunc autem abductis hominibus ab hujus doctrinæ meditatione, ſunt hæc excuſſa de mentibus, & affectiones naturæ ad hominum pectora revocatæ. Quiſque enim ſatis ſe juſtum putat, ſi quodlibet hominum damno ſuum ſibi tueatur, ac actiones ſuas dirigat, quo pondus naturæ declinat. Poſtremo, ut arctius irretiantur homines, nec deflectere umquam poſſint, ad legem Chriſti mentes eorum laqueis inexplicabilibus involvi occupando illos in ſophiſticis captionibus Scholaſticorum acumine contextis, quibus humana ratio ita pervertitur, ut pro ſolidis rebus inania verba ſibi patiatur obtrudi. Et quoniam adverſus regulas, quas ego tradidi, quibuſque, tamquam machinis affectiones humanæ ſuſtentantur, & provehuntur cupiditates, poſſet & quis opponere præcepta Chriſti, quæ cum meis captionibus commentiſque collata fraudem detegerent, ipſa me potentiſſimis armis bene munivi, armis inquam iis, quæ ſi non frangunt impetum, divertunt tamen, ſi non opprimunt hoſtem, ſuſpendunt, & tanquam magieis incantationibus in ſtuporem adducunt. Quæ ſint hæc arma quæris? ſeries, & nubes quædam confuſiſſimarum diſtinctionum, quibus noctem offundo manifeſtæ veritati, & glaucomam hominum oculis objicio. Sunt hæc mirabilium verborum congeries, moles obſcuriſſimorum vocabulorum, barbararum & conſtupentium vocum acervus, quibus inflantur mentes, non replentur; quaſſantur, non devinciuntur. Hæc veritati tamquam aggeres ſunt appoſitæ. Hæ vineæ ſunt, & baliſtæ & catapultæ, hi cuniculi, quibus non modo religio, ſed & humana ratio tandem expugnantur. His mentes convolvuntur in turbinem, ac longe inter ſtrepitus inanium controverſiarum agitatæ demum in vaſtiſſimum probabilitatis oceanum demerguntur. Huc enim fluunt errores omnes, hinc etiam refluunt, perque totam moralem doctrinam diffunduntur; hujus humore nutritur omnis pravitas, hinc falſæ opiniones increbeſcunt, quibus conſcientiæ corrumpuntur. Liceat magnifice loqui, nihil eſt tam impium, nihil tam turpe, nihil tam nefarium, quod pro pio, ac ſancto non poſſim venditare, ubi ſemel in ampliſſimum probabilitatis ſinum defluunt. Hic ſcilicet oceanus cunctis primordia præbet erroribus. Jacet Evangelium, antiquos Patres tinea corroſit, ſqualore & ſitu veteres canones & ſummorum decreta Pontificum obſidentur. Tantùm eminet probabilitas. Pervolitant undique noſtri Caſuiſtæ ingentibus & novis voluminibus ſuis, Chriſto & Apoſtolis inſultantes. Ea vero eſt hujus noſtræ doctrinæ ratio, ut oppoſitis itineribus homines in ruinam & interitum ducat: ita enim a me ſunt inſtituti doctores noſtri, ut aut nodos omnes divinæ legis ſolvant, atque relaxent nimia opinionum libertate; aut animos opprimant, & in deſperationem adducant, tot in rebus leviſſimis ſuperinjectis ſcrupulis, quæ conſcientias hominum miſere contorqueant. Cum autem venerea delicta ſibi adjudicanda proponunt, mirum quanta ſit eorum in confingendis modis, ac figuris venereis ſubtilitas, acumen, curioſitas. Diſpeream, ni elephantidos, & Aretini Tabellas vincant, & molliorum poetarum in deſcribendis venereis luſibus evidentiam ſuperent. Quam vero ſuaves ſunt atque feſtivi, quam diligentes, & perſpicaces in notandis & obſervandis, imo excogitandis novis contrectationum generibus, quæ ne perditioribus quidem hominibus unquam aut laſcivies ſuggeſſit, aut longus uſus oſtendit, tantum noſtrarum acumen, & dialectica in inveniendo ſubtilitas poterat tam multa & nova luxuriæ genera ipſis ignota Silenis & Faunis in notitiam hominum lucemque protrahere. Quod opus multum juvit eorundem inprudentia ſingularis. Nec enim hos pudet, rem quantumvis turpem, ſuo proprio ac genuino vocabulo

Stoi-

Stoicorum more notare circumlocutionibus, ambagibuſque ſubmotis, tam diſtinčte, tam expreſſe, ut qui amoribus velit operam dare, hos præ ceteris habere poſſit peritiſſimos nequitiæ magiſtros, & qui velit libidinis ſenſus accendere, ſopitamque Venerem excitare, ex horum lečtione ſatis aptus prodire poſſit ad opus. Tam enim fuſe res hujuſmodi tračtantur, tam obſcœne, tam aperte, tam minutim ut:

Quod pruriat incitare poſſint
Non dico pueris, ſed iis piloſis,
Qui duros nequeant movere lumbos.

Sed dies me deficeret, ſi mentem tuam per ſingulos corruptionis fontes traducere conarer. Ut me expediam brevi, uno adſpečtu, ac ſub una imagine copias tibi noſtras exponemus, ut ſentias demum, quanto ſit noſtra potentia major: cum tamen tu ſtrepitu orbem compleveris & tumultu, nos autem latenter & occulto rem noſtram agamus ita feliciter, ut ſine ullius invidia, ſine odio, imo cum ingenti favore populorum, horrendam animarum ſtragem ediderimus. Tu modo huc adverte animum, & attende quid tuis ſe objiciat oculis? HÆR. Quid humum pedibus pulſas? Cur incutis ſolo virgam? quidnam evocas e profundo? Hem, ut terra diſſiluit, ut efflat caliginem, quam atræ ſurgunt nebulæ, qualis fœtor hic effunditur? Quo ſol receſſit, quis lucem fugavit, unde tam repente nox eſt adducta? Iam tenebris undique circumfundimur, niſi quod dubia quædam lux eſt intermiſta. Num relapſæ ſumus ad inferos, ad terram aſcendamus, quis illuc nos inſciis nobis revocavit? Dic age, mea ſoror, unde tam nova rerum perturbatio? CAS. Mox ſcies, intende huc oculos. HÆR. Hem quale monſtrum erupit, atrum, ferox, & horridum; cum acrius intueor, redeo in memoriam illius: Ah Hydram nempe adeo nobis familiarem ex inferis eduxiſti, verum hæc totidem quidem, non autem eadem habet capita; diſſimilia ſunt ora, diſſimilis vultus. Jam ſe circumagit in orbem, jam cauda flagellat humum, jam poſterioribus pedibus inflexis in anterioribus conſiſtit. Jam illam inſpexi totam, Hydram, video diverſam ab ea, quæ apud patrem permanere conſuevit. CAS. Recte putas, alia namque hæc eſt. Hanc ego peperi, & ex his eſt emiſſa viſceribus. HER. Miram rem narras. CAS. Hæc, quam vides, Hydra eſt celebris illa & captioſa *Probabilitas*. Hæc eſt noſtrum robur, hæc noſtra potentia, vincit hæc omnes leges, & divini juris repagula perrumpit. Huic Eccleſiæ univerſæ cedit auctoritas. Non modo ſcriptum jus iſta pervertit, ſed inſculptam in mentibus hominum a natura legem honeſtatis obliterat. Hac invaſimus, hac expugnavimus caritatem, hac de apoſtolicis ſcriptis, de doctrina evangelica, de tota denique religione triumphavimus. HÆR. Validum profecto, ac mirabile monſtrum; ſed quid iſta capitum diverſitas, cur vultus tam in ſe diſſimiles, cur ex his quatuor tantum cornu præferunt in fronte? CAS. Ut rem omnem teneas. Hæc ſingula capita ſunt ſinguli loci communes, unde vis & robur ad doctrinam *Probabilitatis* emanat. Quodlibet enim horum capitum ſuo præcipuo nomine ac officio diſtinguitur. Vides enim hoc humi demiſſum, ſemiſomne, ſtupidum, torpens involutumque cœno, ad cœlum ne leviter quidem attollens? Hoc eſt peccatum Philoſophicum. HÆR. Quid eſt, quod cornu non habet in fronte? CAS. Grave vulnus, ſoror mea, refricaſti. Cornu quod gerebat, quoque impetebat ſimplicem turbam & imperitam, non diu eſt, cum ei fuit obtruncatum ab Alexandro VIII. Pont. Max. Verum accedamus ad aliud. En caput iſti proximum anguſta & caperata fronte obductis ſuperciliis, buccis inflatis effundens tenebras, & tetram emovens caliginem, qua cœlum tegit & lucem eripit oculis. Hæc eſt ignorantia inculpabilis. HÆR. Euge hoc integrum habet cornu. Sed quid hoc alterum caput tam varie ſe flectens & circumvolvens oculis acribus & acutis, tranſverſis tamen & obliquis, ut neſcias quo ſe vertat acies anceps & dubia? Hem, & huic cornu deeſt. CAS. Hæc eſt directio intentionis, & reſtrictio mentalis, cui proh dolor! Innocent. XI. ictu prævalido decuſſit cornu. HÆR. Quid hoc tam audax, & petulans, quod irridentis, & contemnentis more cœlo cervicem obvertit, diſtorquet labia, extra os linguam projicit & agitat, ſoliſque radios avertit aſſidue; neque cornu hoc ſervat integrum, imo recentiora ſunt veſtigia vulneris? CAS Hoc eſt neglectio divini amoris, ſive acceſſio a dilectione ultimi

timi

timi finis. Hei mihi, & huic Alexander VIII. cornu confregit, ſed ne doloris acerbitatem augeamus, modo pergamus ulterius. Viden'hoc caput erectum, & elevatum ardua cervice micans? Hoc inquam, quod os habet bilingue, linguas autem effrenas, vagas & ſubdolas. Cornu præterea, vide quam ſit acutum. Nihil huic non pervium, nihil non penetrabile. Nihil eſt tam conjunctum; quod hujus acies non dirimat, nihil tam denſum, quod non diſſolvat, nihil tam ſimplex, nil denique tam unum, quod non plura comminuat, non extremam modo aciculam, ſed & Democriti atomos, & Pythagoræ unitatem diffundere valebit. Ipſa denique mathematica puncta bifariam dividet, ductaque per lineæ tractum in latera diſſecabit. Huic capiti nomen eſt diſtinctio verbalis & ſophiſtica. HÆR. Vetus eſt hæc & notiſſima, frequens eſt enim hujus uſus, ac neceſſarius iis omnibus, qui tractant ſcientias, a phyſica & rerum naturalium inveſtigatione ſejunctas. Diu eſt igitur, cum ego utar ejus opera. Imo & aliud caput huic proximum diu eſt, cum ſe mihi comitem fidiſſimum adjunxit. Hoc inquam caput vaferrimum involutum laqueis, quod obſident impexi & tortuoſi capilli nodis inexplicabilibus intexti. Nonne huic nomen definitio ambigua & captioſa? Hoc enim vero prævalidum cornu gerit & robuſtum, quo nulla vi unquam nullo impetu contundetur. Hæc igitur nobis ſunt arma communia, progrediamur ad ultimum caput. Intactum hoc habet cornu cervicem flavam, frontem ſerenam, oculos hilares, os ridens, totum denique aſpectum placidum atque jucundum. Quam modeſta facies eſt, quam lenis & manſueta! Ut ſe profert libenter, quam facile ſe tractandam & demulcendam præbet, lingua manus contrectantium lambens quam leviter flectitur, & ſe ad tactum aliorum accommodat! Quæſo mihi nomen & vires illius indica. CASUIST. Hanc vocamus condeſcendentiam barbaro & inaudito veteribus latinis vocabulo. Hinc eſt ſcilicet ratio temporum, quæ Chriſti legem & Evangelium ad ſeculi mores, & ad hominum imbecillitates accommodat, flectendo fortia, & acria demulcendo, ac onera tandem hominibus aptando, non homines oneribus. Hæc eſt præcipua noſtræ potentiæ pars, hæc ancilla robuſtior. Omnes enim ab imo difficultates evellit, legemque divinam cuilibet tractabilem reddit & ductilem. Per hanc omnes valles implentur, & omnes colles humiliantur, per hanc prava ſunt in directa, & aſpera in vias planas mutantur. Hæc ſunt inſtrumenta, quibus Evangelio vim intulimus, iiſque non ſolum virtutes theologicas & Chriſtianas, ſed naturales & gentibus conſuetas evertimus. HÆR. Multum profecto debes probabilitati, mea ſoror, quæ tot copiis atque auxiliis te inſtruxit, multoque validior eſt nova hæc beſtia & occulta, quam vetuſta illa, & pervulgata in Apocalypſi deſcripta. Sed quid eſt, quod non ſatis libere movet greſſus, ſed videtur aliquantulum claudicare? CAS. Hei mihi quam me mordet hæc acerba recordatio, quantiſque odii ſtimulis concitat adverſus eum, qui vehementius illam auſus eſt attentare, nempe Innocentium XI. qui contudit baculo tergum, & reddidit eam elumbem, ut jam non tam celeriter & expedite vagari poſſit. HÆR. Niſi properas alio, mea ſoror, velim has tuas omnes doctrinas, quas per imaginem expreſſiſti, fuſius evolvas, rationem earum & auctores cujuſque opinionis nobis indicando. CAS. Idem alio tibi die præſtabo, nunc non vacat, neceſſe eſt enim, ut opem feram cuidam judici, qui enim multa præter fidem, in exercendis judiciis, gratia, aut donis corruptus, egerit, nunc illata damna nequicquam reſarciendo, vellet ſibi ſcrupulos omnes, qui acriter eum angunt, eximere. Accedit alter, qui pretio ſibi viam ad dignitates Eccleſiaſticas ſternit, aurum, non pro dignitatibus ipſis, ſed pro bonis & commodis atque fundis, quæ dignitates ipſas conſequuntur, offerendo. Item eſt, qui me conſulit, an tendere impune inſidias aut calumnias ſtruere poſſit adverſus illum, a quo ſibi honores, aut famam præcipi ſuſpicatur. Huic ſe adjungit alter, qui illata morte ſuſtulit hominem, a quo ei res alicujus pretii furto auferebantur. Adeſt & vir nobilis, qui provocatus ad duellum, poſtulat, an exire in locum condictum queat, cum voluntate pugnandi, ſi ab adverſario prius injuſte petatur. Item puella, quæ furtivo complexu
gra-

Digitized by Google

gravida anxie rogat, an infamiæ vitandæ cauſa liceat ſibi fœtum nondum animatum medicamentis abigere? Succedit Mercator, qui fœnore, triplici contractu, aliiſque fraudibus ingentem pecuniam congeſſit, neque ad eam reſtituendam adduci poteſt. Non deſunt denique ſicarii, malefici, raptores, uſurarii, adulteri, inceſtuoſi, humanarum divinarumque legum perpetui contemtores, qui conſcientiæ ſtimulis agitati expectant, ut a me his anxiis curis eripiantur, & ſine ullius pœnitentiæ fructibus, excuſſo omni metu, in ſpem felicitatis æternæ vocentur. HÆR. Quid tu ad has conſultationes & petitiones? CAS. Rogas? Indulgentiſſime ad omnia, licere ſuadeo, quidquid volunt, eoſque in ſpem obtinendæ ſtatim poſt mortem beatitudinis adduco, dummodo ſolo gehennæ metu perculſi, ſine minima Dei dilectione, aut ullis laborioſæ pœnitentiæ exercitiis ſacramentali abſolutione donentur, prætertim ſi huic abſolutioni accedat jubilæum aut indulgentia plenaria. Sin vero his aliqua ſupererogationis opera addere libet, eis auctor ſum, ut Virginem ter aut quater in die conceptis & ſolemnibus verbis, ſalutent, vel aliquas recitent oratiunculas, mane cum ſurgunt, & veſperi cum eunt decubitum: Ut ſacris indumentis oſculum imprimant, ut oleo e templi lapidibus ſumto caput obliniant vel frontem luſtrali aqua tingant, vel ad quodlibet ſanctorum nomen caput denudent, præcipue dum templa prætereunt, vel ſeptem B. Virginis vigiliis panem tantum in cibum ſumant, & aquam in potum, tametſi majora Quadrageſimæ jejunia & indictas ab Eccleſia vigilias violare pergant: Denique, ut ſtatis diebus Eccleſias viſitent, & quibuſdam ſodalitatibus nomen ſuum inſcribant. Ubi his pietatis muneribus perſuncti ſunt, quæ non magno conſtant, quæque libera ſunt, & in cujuslibet arbitrio relicta, iis ſe ſolutos credunt, ad quæ legis neceſſitate adſtringuntur, & cum levia hæc impleverint, quæ graviora ſunt legis relinquunt, juſtitiam ſcilicet, miſericordiam, fidem, ſcelerum admiſſorum pœnitentiam, conſtanſque propoſitum vitæ rectius inpoſterum inſtituendæ. Imo, ubi has, ut vocant, devotiunculas obierunt, tamquam plenam flagitiorum impunitatem impetraſſent, per omnes voluptates, atque libidines licentioſi diſcurrunt. HÆR. Euge, mea ſoror, attolle animum, & confide. Si enim hoc noſtrum inſtitutum teneamus, & ego fidem, tu vero caritatem pergas oppugnare, brevi totum Chriſti regnum diſſipabimus. Vale.

ACTA CONSISTORIALIA

Creationis Eminentiſſimorum ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalum inſtitutæ a Sanctiſſimo D. N. Clemente XI P. M. Diebus 17. Maii & 7. Junii. Anno Sal. 1706.

J. VINCENTIUS GRAVINA

EXCELLENTISSIMO VIRO

HENRICO HUYSSENIO,

S. P. D.

Miſiſſem ad te libenter, quas expetis, Pontificis noſtri Sacratiſſimi res geſtas, cum publicas, tum privatas, ſi ullo humano conſilio earum commentarios mihi abducere licuiſſet e latebris, ubi ſuo juſſu procul a communi luce conduntur. Ac vehementer gauderem comprobare inde tibi animum illius, in omni ætate ac fortuna ſupremæ dignitati parem. Quam multos enim tuos ante oculos ſtatuerem doctos pioſque viros, aut ejus commendatione a ſuperioribus Pontificibus exornatos, aut eductos ab egeſtate clandeſtinis largitionibus & opibus, qui indigentibus de re ipſius familiari tacite, ac ſub tunica proferebantur? Quam ſummam beneficentiam ſi quis apud eum commemoraſſet, laudandique illius occaſionem inde cepiſſet, tanto rubore ſuffundebatur, ut pudor prope in indignationem tranſire videretur, & qui æquam in arduis pariter ac proſperis mentem perpetuo ſuſtinebat, ſola propriæ virtutis mentione perturbabatur: cujuſque opera opinionem ſuperabant aliorum, ab ejus tantum deſiderio vincebantur. Quid dicam de illius animi præſentia in proximis naturæ periculis, de prudentia conſiliorum, de laboribus publi-

ex utilitatis cauſa perpetuo toleratis? quarum omnium virtutum ſeriem magis & aſſiduis exemplis explicatam haberes, ac forſan per me habebis aliquando, ſi, cum facultas petendi da bitur, perſuadere illi potero, Principis modeſtiam id ſibi ſumere non debere, ut lucem auferat præclaris ejus operibus, & ſubducat poſteris memoriam eorum, per quæ in omnes gentes priſcæ pietatis documentum & imitatio traducatur. Princeps enim, quatenus Princeps, adeo non ſuus eſt, ſed totus alienus, ut vix quidquam juris retineat in propriis virtutibus: quæ ut proprietate ſint auctoris ſui, uſu certe atque fructu fiunt aliorum, quibus regendis fuit aſſumtus, quibuſque poſcentibus, niſi benefacta Principis & memoria illorum exhiberentur, virtus illa, quæ propter imitationem æterna maneret, in caducam & temporariam ſumma cum poſteritatis injuria verteretur. In præſenti vero, cum ad manum alia non habeam, tibi mitto actus proximæ creationis Cardinaliũ deſcriptos e Conſiſtorialibus monumentis. Qui ſane actus digni ſunt, ut e continenti ſerie rerum geſtarum avellantur, ac ſeorſum vulgentur, propter magnitudinem rerum & exemplorum novitatem, gravitatemque cum operum tum verborum. Nam præter ſententias ab E. E. Patribus de more ſapienter dictas, in quibus Collegam ſibi a Santiſſimo Patruo jure depoſcunt adoleſcentem, omnibus doctrinis & virtutibus ornatiſſimum, occurrent jucunde tibi plures orationes S. Pontificis, quæ ut de verſibus Euripidis cenſebat ille, tertio quoque verbo continent immortalia documenta vitæ. Occurret ejuſdem incredibilis quidem, ſed peracerbus omnibus in hac ubertima honorum diſtributione neglectus ſui atque ſuorum: qui propriis meritis in Eccleſia & Republica ſublimiora munerum obirent, niſi conſanguineus imperaret. Occurret poſtremo admirabilis, & perquam rara vel in ſacra hiſtoria immortalis ſenis Philippuccii ab oblata præcelſa dignitate abſtinentia, quam ille fortem antevertit a ſe per ſumma auctoritatis Cardinalem deprecari ſcripto, poſtquam eam ſibi ſenſit impendentem: adeo ut metuens auctoritate Pontificia ſibi præcluſum iri fugam, veluti de cœlo tactus conciderit, febrique correptus non ante convaluerit, quam S. Pontifex conſultis Patribus eum trepidatione illa liberaſſet. Cujus nuncii pharmaceo doctiſſimus Archiater Pontificius, ad ægrum curandum miſſus, morbum confeſtim cedere animadvertit, ut ſenem beatum, quem ſe-mianimem invenerat; poſt hunc nuncium viderit prope juveniliter exilientem. Tantam in animos aliorum virtutem propagavit exemplo ſuo Pontifex noſter, qui non alia ex cauſa recuſatam ab ſe diu ſupremam poteſtatem ſuſcepit, niſi ut, quam ſugere ſalva pietate non poterat, molem curarum inde imminentem publico beneficio complecteretur. Quoniam vero tuis in litteris jubes, ut ſcripta noſtra ad te perferantur, nos libros Originum a caſtigatione noſtra jam liberare feſtinavimus. Addemus & ſeptem orationes noſtras, ad morum & literarum emendationem ac regimen pertinentes, nempe primam de inſtauratione ſtudiorum ad Clementem XI. Pont. Max. ſecundam de Sapientia univerſa, tertiam de Juriſprudentia, quartam pro novis Philoſophis, quintam de repetendis fontibus doctrinarum, ſextam de recta in jure diſputandi ratione, ſeptimam de Canone interiori. Inſtitutiones meas jam tradidi deſcribendas, ut poſt annum ſi fuerint abſolutæ, ad te mittam, quæ ſunt quotidiani uſus in foro etiam, nedum in ſcholis: adeo ut non ſolum inter eruditos, ſed apud vulgus poſſint frequentes lectores invenire. Hoc enim Inſtitutiones noſtræ ceteris præſtant, quod pari filo cum Juſtinianeis contexuntur, neque notis & commentariis verba ſcinduntur, ſed ſunt paraphraſis & commentariorum inſtar, brevitatem ordinemque illius, horum vero facilitatem copiamque reddentes & eruditionum explicationes breviſſime complectentes. Vale, meque tui ſtudioſiſſimum & amantiſſimum, uti facis, redama. Romæ prid. Id. Jun. MDCCVI.

Acta Consistorialia Creationis S.R.E. Cardinalium.

INTER innumeras & graviſſimas curas, quibus ſub onere Apoſtolici Principatus aſſidue premitur Pontifex Maximus, illa præcipuum merito locum obtinet, quæ ad Eminentiſs. S. R. E. Cardinales eligendos ſpectat. *Nihil* enim *Eccleſiæ DEI magis eſt neceſſarium*, ſicuti ſacri Tridentini Concilii Patres ſapienter adverterunt, *quam ut Romanus Pontifex, quam ſolicitudinem univerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio debet, eam hic potiſſimum impendat, ut lectiſſimos tantum ſibi Cardinales aſciſcat. Seſſ.* 24. *de Ref. capit.* 1. Quod ſolicito reputans animo San-

Sanctiſſimus Clemens XI. Pont. Max. non niſi poſt maturam ac diuturnam deliberationem, atque aſſiduis accuratiſque precibus imploratum cœleſtis gratiæ lumen, ad novos Cardinales creandos, qui orbata jam dudum ſacri Collegii ſubſellia implerent, adductus eſt. Uti verò, quos tanto muneri pares cenſuit, ſedula circumſpectaque cogitatione delegit, Sacrum Conſiſtorium in Palatio Vaticano die 17. Maji 1706. indici juſſit, ut in eo ſolemni cœtu deſignatos Cardinales proponeret, ut moris eſt, ac evulgaret. Habitum itaque dicta dic fuit Conſiſtorium, cui interfuerunt viginti quatuor Eminentiſſimi S.R.E. Cardinales, quotquot fere in urbe degebant. Poſt privata ſingulorum cum ſua Sanctitate colloquia, deventum de more fuit ad plurium Eccleſiarum propoſitionem, vel præconium, quibus finitis, Pontifex univerſos Eminentiſſimos Patres e Pontificia ſede ita eſt allocutus.

Venerabiles Fratres. Poſtulat Roma, poſtulat Curia, poſtulat Eccleſia, ut imminutum jam valde Fraternitatum veſtrarum numerum augeamus. Hinc Chriſti Domini exemplo moniti, qui, antequam e diſcipulis ſuis eligeret Apoſtolos, exiit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei, illiuſque potiſſimum temporis opportunitatem nacti, quo iidem Apoſtoli, poſt Chriſti Domini conſcenſum in cœlos, mox advènturo ſpiritu veritatis replendi, erant omnes unanimiter in oratione perſeverantes: enixis tam noſtris, quam aliorum precibus Patrem miſericordiarum exoravimus, ut nobis divinæ ſuæ gratiæ lumine adeſſet, quo tales ad ſublime hoc in Eccleſia Dei munus deligeremus, qui eximiam pietatem ac zelum veſtrum æmulantes graviſſimum infirmitati noſtræ impoſitum onus levare, ac paſtoralem ſolicitudinem noſtram opera & conſilio juvare non prætermitterent. Hac igitur, quam tam ferventer imploravimus, cœleſti ope confiſi, ad majorem omnipotentis Dei gloriam ſanctæque Romanæ Eccleſiæ decus & utilitatem, creare intendimus eos omnes, nempe viginti, qui ad ſeptuagenarium veſtrum numerum complendum in præſens deſunt, Cardinales, & ex his novendecim nunc evulgare, videlicet:

Franciſcum Martellum, Patriarcham Hieroſolymitanum,
Joannem Badoero, Patriarcham Venetiarum,
Laurentium Caſonum, Archi-Epiſcopum Cæſareæ,
Laurentium Corſinum, Archi-Epiſcopum Nicomediæ,
Laurentium Fliſcum, Archi-Epiſcopum Januenſem,
Franciſcum de Aquaviva, Archi-Epiſcopum Lariſſenſem,
Thomam Ruffum, Archi-Epiſcopum Niceæ, Cubiculi noſtri Præfectum,
Horatium Philippum, Archi-Epiſcopum Spadam, Epiſcopum Lucanum,
Philippum Antonium, Archi-Epiſcopum Gualterium, Epiſcopum Imolenſem,
Chriſtianum Auguſtum, e Ducibus Saxoniæ, Epiſcopum Jaurinenſem,
Raynutium Pallavicinum, almæ urbis noſtri Gubernatorem,
Joannem Dominicum Paraccianum, Protonotarium Apoſtolicum, & Auditorem noſtrum,
Alexandrum Caprara, & Joſephum de la Tremoille, Rotæ Romanæ Auditores,
Gabrielem Philippuccium, Signaturæ Juſtitiæ Votantem,
Carolum Auguſtinum Fabronum, Congregationis de propaganda fide Secretarium,
Carolum Columnam, Protonotarium Apoſtolicum, & Palatii Noſtri Apoſtolici Præfectum,
Petrum Priolum, Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericum, ac Alexandri VIII. Prædeceſſoris noſtri Pronepotem, cujus memoriæ notum omnibus eſt, quantum debeamus,
Nicolaum Grimaldum, Congregationis Epiſcoporum & Regularium Secretarium.

Unum in pectore reſervare intendimus, arbitrio noſtro quandocunque evulgandum. Quid vobis videtur?

Tunc Eminentiſſimus Dominus Acciajolus, Cardinalis antiquior primum, ac ſubinde reliqui Eminentiſſimi Patres, ſervata inter eos ordinis & loci prærogativa, ſententiam dixere; ſinguli tum præſtantium virorum virtutes & merita effuſis laudibus extulerunt, eorumque in ſacrum Collegium cooptationem conſilio & aſſenſu unanimi probavere. Unum tamen communis gaudii complemento deeſſe viginti

ex ipſis palam affirmarunt, ut ſcilicet Sanctitas ſua ad ampliſſimam hanc dignitatem aſſumere dignaretur etiam

D. Abbatem Annibalem Albanum, germani fratris filium: eſſe illi ætatem ad ejuſmodi honorem capeſſendum idoneam; plura ipſum ac illuſtria ingenii & eruditionis ſpecimina prodidiſſe, non tantum in amœnioribus ſtudiis, verum etiam in ſeverioribus diſciplinis: Theologicas inſuper Theſes ante plures annos in totius conſpectu urbis magno cum plauſu publice propugnaſſe: ac poſt adeptam tum in eadem facultate, tum etiam in utroque Jure lauream Doctoralem in forenſibus ſtudiis majorum urbis Tribunalium diu laudabiliter fuiſſe verſatum: ejus denique prudentiam, pietatem, morum integritatem omnium ſermonibus celebrari; proinde qui communi omnium conſenſu probaretur, tantoque munere digniſſimus haberetur, ex Pontificia moderatione nequaquam reprobandum videri. Quidam Pontificis animum flectere aggreſſi ſunt variis propoſitis exemplis Pii II. Pii V. aliorumque Pontificum, qui ſacro flagitante Senatu, nepotes ſuos ad Cardinalatus honorem evehere non recuſarunt. Alii demum commemorarunt, hac ipſa recurrente die, Anno 1570. ab eodem Pio V. ſacro Cardinalium cœtui adſcriptum fuiſſe Joannem Hieronymum Albanum, Sanctitatis ſuæ gentilem, pietatis literarumque gloria celeberrimum, adeoque maxime decere ajebant, ut ea ipſa felici die ſua Sanctitas ſacro Collegio redderet Cardinalem Albanum, communibus expetitum votis, domeſticarum virtutum æmulum, eidemque Collegio præſidio ſimul ac ornamento futurum. Porro Eminentiſſimi D. D. Sacripantes Prodatarius, & Pauluccius a Secretis Status, etſi cum reliquis omnino ſentirent, ab ejuſmodi tamen petitione ſibi, ut Pontificiis Adminiſtris, abſtinendum eſſe duxerunt. At Pontifex ſacri Collegii precibus minime delinitus, nec allatis rationibus & exemplis a propoſito revocatus, nepote præterito, eos tantum Cardinales creavit, quos ſupra memoravimus, pronuntiavitque deſuper Apoſtolicum ſolemne decretum, ex conſueta verborum formula tenoris ſequentis, videlicet:

Auctoritate omnipotentis Dei, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Noſtra creamus S. R. E. Presbyteros & reſpective Diaconos Cardinales, Franciſcum Martellum, Patriarcham Hieroſolymitanum, Joannem Badoero, Patriarcham Venetiarum, Laurentium Caſonum, Archi-Epiſcopum Cæſareæ, Laurentium Corſinum Archi-Epiſcopum Nicodemiæ, Laurentium Fliſcum, Archi-Epiſcopum Januenſem, Franciſcum de Aquaviva, Archi-Epiſcopum Lariſſenſem, Thomam Ruffum, Archi-Epiſcopum Niceæ, Horatium Philippum, Archi-Epiſcopum Spadam, Epiſcopum Lucanum, Philippum Antonium Archi-Epiſcopum Gualterium, Epiſcopum Imolenſem, Chriſtianum Auguſtum, e Ducibus Saxoniæ, Epiſcopum Jaurinenſem, Raynutium Pallavicinum, Joannem Dominicum Paraccianum, Alexandrum Caprara, Joſephum de la Tremoille, Gabrielem Philippuccium, Carolum Auguſtinum Fabronum, Carolum Columnam, Petrum Priolum, Nicolaum Grimaldum, cum diſpenſationibus, derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis. Unum in pectore reſervamus, arbitrio noſtro quandocunque declarandum. In nomine Patris † & Filii † & Spiritus † Sancti. Amen.

His peractis Eminentiſſimus D. Cardinalis Mariſcottus, qui aliquot ante dies Sanctiſſimo nuntiaverat, ſe a R. P. D. Gabriele Philippuccio fuiſſe rogatum, ut quatenus ſua Sanctitas ipſum ſacro Cardinalium Senatui adſcribere decreviſſet, id impedire, atque Pontificem a ſententia deducere conaretur, cernens ipſum in ea conſtantem perſtitiſſe, rurſum ejuſdem D. Philippuccii preces expoſuit, humiliter ſupplicantis, ut ſua Sanctitas recuſationem Cardinalatus, cujus oneribus ferendis ſe prorſus imparem agnoſcebat, benigne admittere dignaretur, ac deinde aſſurgens reverenter exhibuit Sanctitati ſuæ ſupplicem libellum ſcriptum, ſubſcriptumque ab eodem D. Philippuccio, quo hæc ipſa petitio continebatur. Pontifex acceptum libellum legendum tradidit Eminentiſſimo Domino Cardinali Pamphilio, Priori Diaconorum, qui ſtatim eum palam in Conſiſtorio recitavit; ejus autem exemplum hic ſubjicitur:

B. P. Invaluit rumor, Sanctitatem Veſtram inter Cardinalitia dignitate decorandos me quoque adſcribere deliberaſſe. Fateor ingenue, me hujuſmodi rumorem non modo vanum

Digitized by Google

num pror'us & inanem, ſed etiam ſummæ prudentiæ Sanctitatis Veſtræ injurioſum ſemper habuiſſe & adhuc habere, eum revera me nulla ex iis qualitatibus præditum agnoſcam, quibus ad tantæ dignitatis culmen paratur adſcenſus. Verum quia ſumma & innata bonitas, quæ in Sanctitate Veſtra reſidet, his omnibus poſthabitis, vere adhuc efficere poſſet, quæ falſo, ut dixi, a fama nunciata fuiſſe exiſtimavi: idcirco in hoc caſu humillime provolutus ad pedes Sanctitatis Veſtræ, majori, qua poſſum, ſubmiſſione, aliis quamplurimis rationibus omiſſis, pono ante ejus clementiſſimos oculos gravem meam ætatem, quæ in hiſce poſtremis diebus omnino indiget pace & quiete, non autem agitationibus, quas ſecum ferunt negotia eidem dignitati neceſſario annexa. Spero itaque, Sanctitatem Veſtram benigne admiſſuram eſſe eam, quam poſt diuturnas ad Deum fuſas preces ſponte, libere, & matura prævia deliberatione nunc facio, & in qua, Deo dante, conſtantiſſime, quoad vixero, perſeverabo, recuſationem, vel potius non acceptationem, ſeu etiam ſi opus fuerit, repudiationem aut renunciationem Cardinalatus; cum præventiva tamen facultate, quatenus opus ſit; ſi ita placeat ſummæ bonitati Sanctitatis Veſtræ, retinendi pro mea honeſta ſuſtentatione Canonicatum, quem nunc obtineo in Eccleſia S. Joannis in Laterano, cum penſionibus, una ſcilicet ſuper altero Canonicatu ejuſdem Eccleſiæ, alia ſuper Canonicatu Baſilicæ S. Petri, & reliqua ſuper dignitate Cathedralis Alſinæ, nec non alia officia, quæ modo ſimiliter obtineo. Venerabundus deoſculor pedes Sanctitatis Veſtræ, deprecans ei a Deo Opt. Max. omne bonum.

Humillimus & obſequentiſs: ſubditus,
GABRIEL PHILIPPUCCIUS.

Abſoluta hujuſmodi libelli recitatione, Sanctiſſimus, etſi animum a compellendo invito alienum oſtenderet, aſſerens ſe toto ſui Pontificatus tempore neminem unquam renuentem ad Epiſcopale munus ſuſcipiendum coegiſſe, & ceteroquin expediens ducere, ut præclara hæc Chriſtianæ humilitatis exempla aliquando ederentur: noluit tamen illico quidquam decernere, ſed meritiſſimo viro longius tempus ad deliberandum in re tam gravi concedere velle, declaravit. Interea vero ſinguli Eminentiſſimi Patres e ſubſelliis ſurgentes ad Pontificiam ſedem acceſſere, obſeſſumque Pontificem validioribus, quam antea, precibus aggreſſi ſunt, ut D. Abbatem Albanum, nepotem ea ipſa die ſacra decorare purpura dignaretur. Verum Pontifex ſententiæ tenax novam hanc oppugnationem fortiter excepit, propulſavitque, quin imo vultu commotior ait ſe eorum ſuffragia exquiſiviſſe pro iis, quos Cardinales creare intendebat, non autem pro iis, quos creare minime intendebat, adeoque omnino ab ejuſmodi ſibi moleſta petitione deſiſterent. Quibus verbis univerſos dimiſit, ingenti profecto admiratione perfuſos, quod Pontificia conſtantia obnixis iteratiſque ſacri Collegii precibus flecti minime potuiſſet.

Eadem die veſpertinis horis omnes renunciati Cardinales, Romæ degentes, præter D. Philippucium, ſcilicet Eminentiſſimi Martellus, Caſonus, Corſinus, Fliſcus, Ruffus, Pallavicinus, Paraccianus, Caprara, de la Tremoille, Fabronus, Columna, Priolus, & Grimaldus, in Vaticanum Palatium conceſſere, purpureum birretum, atque mozzettam, ut vocant, a Sanctiſſimo accepturi, eique de ſua in ſacrum Collegium cooptatione gratias, ut moris eſt, acturi. Eos omnes Pontifex in cubiculo, ubi ſacræ Inquiſitionis Congregatio haberi ſolet, benigno lætoque vultu excepit, ad oſculum Pontificiorum pedum admiſit, ac ſubinde ceremoniarum magiſtris opem ferentibus, purpureo bireto ſingulos, atque mozzetta decoravit. His peractis Eminentiſſimus Martellus ſuo, collegarumque nomine, ſatis gravi ac ornata oratione Italicis verbis compoſita Sanctiſſimo gratias egit. Cui Sanctitas ſua eodem ſermone in hunc fere modum reſpondit:

Devoti obſequii, gratique animi ſenſus, quos ob acceptam Cardinalitiam dignitatem profitebantur, ſibi perjucundos accidere. Ipſam quidem dignitatem omnium eſſe maximam, quæ ab Apoſtolica ſede conferri poſſunt, jure tamen ipſis delatam eſſe, quorum ſpectatæ virtutes, atque preclara in Apoſtolicam ſedem merita jamdudum tali eos præmio digniſſimos declarabant. Porro non alia ab eis grati animi ſe expetere documenta, niſi quod proprii officii partes ſedulo implere ſtuderent. Reminiſcerentur idcirco, ſibique attente conſiderandam proponerent verba Cantici

An-

Digitized by Google

Annæ: Domini enim ſunt Cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem: 1. Reg. cap. 2. verſ. 8. *quibus verbis Cardinalatus eſſentia & quidditas demonſtratur; Cardinales enim, ut notum eſt, a Cardine denominari. Hos autem Cardines non mundi, non carnis & ſanguinis, non Principum ſeculi, vel alterius cujuſcunque perſonæ, ſed domini duntaxat, ut ſacer textus admonet, Cardines eſſe debere, id eſt nulli partium ſtudio addictos, ſed Eccleſiæ Apoſtolicæ Sedis, adeoque JESU Chriſti tantum obſequiis mancipatos. Adverterent præterea diligenter, ſacrum textum non dicere:* poſuit eos ſuper orbem: *ſed,* poſuit ſuper eos orbem, *ut per hunc loquendi modum Cardinales edoceantur, ipſorum munus eſſe Eccleſiæ onera ſane graviſſima ſuſtinere. Eminentiſſimum igitur, qui ad ſublimem hunc gradum aſſumitur proponere ſibi debere, ſe a Deo non ad otium, delicias, faſtumve; ſed ad labores, curas, atque ſolicitudines vocatum eſſe. Romanum Pontificem ſervum ſervorum appellari, hujuſce Pontificiæ ſervitutis Cardinales quoque, qui perpetui ejus Coadjutores & Conſiliarii ſunt, participes eſſe oportere, quin etiam ejuſmodi ſervitutis nunc maxime potiorem quam unquam alias partem illius ſubeundam eſſe, propter infirmitatem ipſiuſmodi Pontificis, qui difficillimis hiſce temporibus ſe tanto oneri ferendo plane imparem agnoſcebat. Meminiſſe præcipue igitur eos debere, Cardinalium officium in eo ſitum eſſe, ut Pontifici opportunis conſiliis & monitis adſint, etiam irrequiſiti. Eo ipſos officio diligenter fungi, quam enixe cupere, eaque de re cujuſque illorum conſcientiam diſtricte onerare. Minime tamen ambigere, quin cum hanc, tum reliquas omnes ſuſcepti muneris partes egregie impleturi forent, ac palam ſemper facturi, probe intelligere, non eos ſuper orbem, ſed orbem ſuper eos poſitum eſſe. Quod ſi fecifſent, ut omnino ſibi pollicebatur, ex ipſorum creatione magnum Sanctitati ſuæ meritum apud Deum magnum itidem Catholicæ Eccleſiæ præſidium & decus, magnum denique eorum animabus emolumentum comparatum iri. Quæ ut feliciter evenire vellet, divinam bonitatem enixis aſſiduiſque precibus exorare non prætermitterent.*

Dimiſſis poſtmodum Eminentiſſimis Cardinalibus, Pontifex de perſona D. Philippucii Cardinalatum renuentis deliberare cœpit. Miſit itaque poſtridie Patrem Franciſcum Mariam Caſinum, ex familia Capuccinorum, ſacri Palatii Apoſtolici Concionatorem, pietatis, prudentiæ, doctrinæque laudibus inſignem, qui nullo hortationis genere prætermiſſo, hominem de ſuſcepta ſententia revocare & ad accipiendam Cardinalitiam dignitatem adducere niteretur: eique præterea ſubſidia exponeret, quibus Sanctitas ſua domeſticæ illius rei anguſtiis liberali plane animo ſubvenire decreverat. Irritus tamen fuit Pontificius conatus; nam D. Philippuccius propoſiti tenax nullis omnino rationibus flecti potuit, quinimmo ex ejuſmodi ſibi permoleſto ſucceſſu eam ſuſcepit animi ægritudinem, ut in admodum gravem ancipitemque corporis morbum delapſus fuerit. Quod ubi reſcivit Sanctitas ſua, illico miſit Illuſtriſſimum D. Joannem Mariam Lanciſium, Medicum intimum Pontificium, qui ſuo nomine ægrum inviſeret, eumque conſolari & a ſuſcepto mœrore abducere conaretur.

Explorato vero jam ſatis ſuperque D. Philipuccii animo, Pontifex Maximus, ne quid inconſulte decerneret, exquirendum cenſuit votum complurium D. D. Cardinalium, ſapientia & rerum uſu præſtantium, itaque negotium ſerio ac diligenter expendendum commiſit Eminentiſſimis D. D. Acciajolo, Carpineo, Mariſcotto, Spada, Colloredo, Pantiatico, Sacripanti, Ferrario, Spinolæ, Pauluccio, Sperello, Pamphilio, ac Otthobono, conſtituta ex ipſis peculiari congregatione, cujus Secretarium, R. P. D. Coradinum, Sanctitatis ſuæ Auditorem deſignavit. Coacta igitur ejuſmodi Congregatione in ædibus Eminentiſſimi Acciajoli die 25. Maji 1706. diſcuſſoque mature dubio, an R. P. D. Philippuccius a Sanctiſſimo cogendus eſſet præcepto ſanctæ obedientiæ ad Cardinalatum ſuſcipiendum, ejuſque inſignia geſtanda, cæteraque ſolemnia peragenda, Eminentiſſimi Patres unanimes cogendum non eſſe cenſuerunt.

Poſt hæc idem D. Philippucius in propoſito uſque magis conſtantior perſeverans, ne de fixa deliberataque ejus voluntate refutandi, vel etiam renuntiandi Cardinalatum unquam dubitari contingeret, omnia & ſingula in ſupplici ſuperius enuntiato libello contenta confirmavit, ampliavitque, ac uberibus adhuc & ſolemnius animum ſuum ea in re declaravit, publico deſuper die 31. ejuſdem Menſis Maji 1706.

1706. celebrato inſtrumento, cujus exemplum inferius ſubjicietur.

Cernens itaque Sanctiſſimus Pater, nullam jam ſibi reliquam eſſe ſpem flectendi viri conſtantiam, vimque renuenti juxta Congregationis ſenſum adhibendam non eſſe ducens, tandem ad enixas illius preces exaudiendas benignum animum inclinavit. Indici propterea juſſit ſacrum Conſiſtorium Fer. II. die 7. Junii 1706. quo rite coacto præſentes Eminentiſſimos Patres 37. his verbis allocutus eſt:

Venerabiles Fratres. Inter eos quos, in præterito Conſiſtorio, de unanimi Fraternitatum Veſtrarum conſilio pariter & aſſenſu Cardinales creavimus, fuit, ſicuti noſtis, dilectus Filius, Gabriel Philippuccius, Signature juſtitiæ Votans. Curaverat is quidem prius nobis non obſcure indicare animum ſuum a tantæ dignitatis quam ſibi deferendam audiverat, fulgore refugientem, ſed ut verum ingenue fateamur, Chriſtiana hac & rara Viri humilitas potius nos in ſuſcepto conſilio magis confirmavit. Clarius ille poſtmodum ac diſertius ſenſus ſuos aperuit, ſupplici libello nobis in eodem Conſiſtorio per dilectum Filium Noſtrum Galliatium Cardinalem Mariſcottum porrecto, cujus tenorem tunc audiviſtis, & hodie iterum audietis. Noluimus hac in re quidquam tunc inconſulta celeritate decernere, ſed ſolum eidem Gabrieli longius tempus ad deliberandum concedere velle declaravimus, ut tam ſuis, quam aliorum precibus divinam voluntatem accuratius exploraret, ſperantes profecto, tametſi a compellendo invitum fere eſſemus alieni, quod ipſe ſerius animo reputans, ſe per miniſterium Noſtrum a Deo vocatum fuiſſe, judicio tandem Noſtro acquieſcere deberet, ac non minus amicorum lacrymis, quam ſuaſionibus flecti; verum alter omnino res accidit. Ille ſiquidem propoſiti tenax, accepto geſtæ rei nuntio, idem, quod antea; conſtantiſſime ſemper ſenſit, idem quod antea, demiſſiſſime ſemper precatus fuit. Nullum interea Nos, adhibita ad id ſpectatæ pietatis & prudentiæ virorum opera, hortationis genus omiſimus, quo optimum Senem de ſuſcepta ſententia deduceremus, ac rationes, quibus ille cauſam ſuam orabat, rejiceremus; omnia tamen irrito conatu: nec ſolum irrito, ſed ei inſuper gravi adeo & moleſto, ut ipſa ejus vita in propinquum inde diſcrimen pene adducta fuerit. In hoc rerum ſtatu quid conſilii capere deberemus, a compluribus ex Fraternitatibus veſtris, quarum fideli in ſinu Pontificiæ ſolicitudinis curas deponere conſuevimus, libentiſſime exquiſivimus, & ſane re mature ac diligenter, quemadmodum veſtri moris eſt, diſcuſſa, nullam renuenti vim adhibendam eſſe unanimes cenſuiſtis. Interim idem Philippuccius, ne de conſtanti ejus voluntate recuſandi, refutandi, ac etiam renuntiandi Cardinalatum, unquam dubitare contigeret, omnia & ſingula in ſupplici ſuperius enunciato libello contenta, confirmando & ampliando uberius adhuc & ſolemnius animum ſuum hac re declaravit, publico deſuper celebrato inſtrumento, quod mox a Secretario Collegii Veſtri legendum erit.

Perlectum ſubinde fuit a D. Secretario Collegii elata voce memoratum inſtrumentum, tenoris, qui ſequitur, videlicet;

In DEI Nomine, Amen. Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo ſexto, die trigeſima prima Maji. Indictione XIV. regnante Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente, Papa XI. Anno ejus Pontificatus ſexto.

Cum ſit, prout aſſeritur, quod ante aliquot menſes in ore atque ſermone Curialium hujus almæ urbis exortus fuerit rumor, Sanctiſſimum Dominum Noſtrum inter ceteros Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegio a Sanctitate ſua adſcribendos aſſumere ſtatuiſſe etiam Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Gabrielem Philippuccium, Signaturæ Juſtitiæ Votantem, ejuſmedi vero rumor diebus proxime præcedentibus noviſſimum Conſiſtorium habitum die 17. labentis Menſis Maji, maxime percrebuerit; unde idem D. Philippuccius, tali rumore audito, tametſi illum falſum exiſtimaverit, valde tamen timens, ne verum eſſe contingeret, Eminentiſſimum & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Mariſcottum rogaverit, ut eundem Sanctiſſimum ab hujuſmodi conſilio, quatenus illud ſuſcepiſſet, removere conaretur, eique exponere dignaretur cauſas, ob quas tantæ dignitatis oneribus ferendis ſe prorſus imparem agnoſcebat, adeoque illam nunquam acceptare potuiſſet, quinimo expaveſcens, ne Sanctitas ſua in Conſiſtorio ſupra dicto eum Cardinalem crearet, ipſi Eminentiſſimo Mariſcotto ſupplicem libellum manu ſua ſcriptum & ſubſcriptum dicto Sanctiſſimo porrigendum in actu Conſiſtorii tradiderit, in quo conſtantem animum ſuum nequaquam aſſentiendi ſuæ creationi in Cardinalem, eamque dignitatem

tatem reſutandi, repudiandi, & renuntiandi apertiſſime declarabat.

Cumque etiam ſit, quod dictus Eminentiſſimus Mariſcottus etiam ante Conſiſtorium prædictum Domini Philippuceii ſenſus, ea qua decebat; circumſpectione & reverentia eidem Sanctiſſimo innuere non omiſerit, ut eum a propoſito removeret. Verum Sanctitas ſua hujuſmodi accepta notitia in ſua potius ſententia conſtantior perſeverans, ſpe forſan concepta, quod dictus D. Philippuecius, prout alii alias fecerunt, tandem aſſentiret, illiuſque animus rationibus & inſinuationibus Amicorum flecteretur, eum in ſupra dicto Conſiſtorio diei 18. labentis Menſis una cum aliis pluribus S. R. E. Cardinalem creaverit ac pronunciaverit, quemadmodum conſtat ex decreto Conſiſtoriali dictæ Creationis, & notorium eſt.

Sitque etiam, quod ſtatim edito dicto decreto idem Eminentiſſimus & Reverendiſſimus Mariſcottus, aſſurgens in præfato Conſiſtorio dictum ſupplicem libellum ſcriptum, ſubſcriptum ab eodem Reverendiſſimo Philippuceio, Sanctiſſimo exhibuerit, & Sanctitas ſua illum legendum tradiderit Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Cardinali Benedicto Pamphilio, priori Diaconorum, qui illius tenorem audientibus & intelligentibus omnibus Eminentiſſimis D. D. Cardinalibus, qui dicto Conſiſtorio interfuerunt, de verbo ad verbum, palam publice legit & publicavit, uti patet ex Actis Conſiſtorialibus, atque ex ipſo ſupplici libello originaliter mihi tradito, ad effectum eum inſerendi præſenti Inſtrumento, cujus tenor hujuſmodi eſt:

Beatiſſime Pater. Invaluit rumor &c. Omittitur integrum ſupplicis libelli exemplum, quia alibi, nempe ſuperiori folio 172. inſertum fuit.

Sitque itidem quod idem Sanctiſſimus Dominus Noſter, ſuper præfata inſtantia, nihil tunc in dicto Conſiſtorio decreverit, ſed ſolum ſe longius tempus ad deliberandum in re tam gravi eidem Domino Philippuccio dare velle declaraverit, ac ſubinde mediante opera graviſſimi Viri, quem ad ejuſmodi munus delegit, nullum hortationis genus omiſerit, quo ipſum D. Philippuceium a ſuſcepto conſilio deduceret, atque ad accipienda Cardinalatus inſignia urgeret, validiſſimis ad id illatis rationibus, imo etiam munificentiſſimis additis oblationibus, quibus domeſticæ ejus rei anguſtiis abunde ſubventum eſſet. Verum omnia inutiliter & in caſſum geſta fuerint.

Hinc eſt quidam in mei Ceremoniarum Sanctiſſimi Domini Noſtri Magiſtri ac Pronotarii Apoſtolici, teſtiumque infra ſcriptorum præſentia conſtitutus idem Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dn. Gabriel Philippuecius, Maceratenſis, mihi cognitus, cognoſcens ſuas vires omnino impares eſſe ad tantæ dignitatis onera ferenda, ex cauſis in relato ſupplici libello recenſitis, ne unquam in futurum dubitari contingat de ejus voluntate, & ne amplius ſub ancipiti remaneat vis & robur dicti decreti Conſiſtorialis, in quo S. R. E. Cardinalis pronunciatus fuit, præmiſſis humillimis precibus, quibus exorat Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, ut dignetur ea paterna pietate, qua fulget, benigne admittere excuſationes ſuas in relato ſupplici libello enunciatas, & animum ſuum a maximis anguſtiis eripere, præmiſſaque itidem ſolemni declaratione, qua innumeras Sanctitati ſuæ rependit grates, quod indignum & humillimum ſervum ſubditumque ſuum ad tam Eminentem Eccleſiæ Catholicæ gradum evehere cogitaverit, ſponte & ex animi ſui matura & conſtanti deliberatione fatetur & aſſerit rem univerſam ſuperius narratam eſſe veram, & ſupplicem libellum, juxta tenorem ſuperius relatum, fuiſſe a ſe traditum Eminentiſſimo Cardinali Mariſcotto ante præfatum Conſiſtorium diei 17. currentis Menſis Maji omniaque & ſingula in dicto ſupplici libello a me coram infra ſcriptis teſtibus eidem tradito, & ab eodem lecto, & attente ponderato, mihique ſtatim reſtituto, contenta laudat, probat, ratificat, & emulgat, illumque integrum & prout jacet, manu ſua ſcriptum & ſubſcriptum medio juramento tactis &c. fatetur, ac eo animo & firma intentione dicto Eminentiſſimo Mariſcotto eſſe traditum affirmat, ut dictus Eminentiſſimus illum exhiberet Sanctiſſimo in Conſiſtorio, quatenus Sanctitas ſua eum inter Cardinales creandos nominaſſet eidemque Sanctiſſimo, & univerſo ſacro Eminentiſſimorum D. D. Cardinalium Collegio conſtans ejus animus innoteſceret, nequaquam tantam dignitatem, cui ſe imparem omnino intelligebat & intelligit, acceptandi, imo eam præventive repudiandi, reſutandi, & renuntiandi. Declarat præterea iterum atque iterum, ſe neque ante dictum Conſiſtorium, neque dictæ creationis in Cardinalium tempore, aut poſtea, & uſque in præſens eidem creationi in Cardinalem aſſenſum ſuum unquam præſtitiſſe,

tiſſe imo ſemper & conſtanter repugnaſſe, & repugnare, & tantam dignitatem humeris ſuis graviſſimam ſe ſemper repudiaſſe, refutaſſe, & renunciaſſe, prout iterum eam repudiat & refutat, & quatenus opus ſit, omni & cuicunque juri, tam ad rem, quam in re, tam initiato, quam perfecto, & ſi quod acquirere potuiſſet, vel acquiſiverit ex creatione, pronunciatione, & decreto Conſiſtoriali in manibus ejuſdem SS. renuntiat, & dimittit, nullo jure ſibi prorſus reſervato, facultatem plenariam & opportunatam impartiendo Reverendiſſ. Domino Secretario Sacri Collegii Eminentiſſ. S. R. E. Cardinalium, & cuicunque perſonæ SS. bene viſæ, hanc refutationem, repudiationem, & quatenus opus ſit, renunciationem ſuam eidem SS. & Collegio exhibendi, ac pro eo humillime ſupplicandi Sanctitati ſuæ, ut dignetur illam admittere, ſeque quod reliquum vitæ ſibi ſupereſt, in ſua vocatione & quiete tranſigere permittat. Actum in Palatio ejuſdem Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Gabrielis Philippucii, præſentibus Illuſtriſſ. & Reverendiſſimis D. D. Petro Annibaldenſi de Molaria, Signaturæ Juſtitiæ Votante, & Antonio Franciſco de Graſſis, Cardinalibus Sacroſanctæ Eccleſiæ Lateranenſis teſtibus vocatis & rogatis. Ita eſt, Candidus Caſſina, Novocomenſis, SS. D. N. Papæ Ceremoniarum Magiſter & Protonotarius. Loco (✠) Sigilli.

Abſoluta inſtrumenti recitatione Sanctiſſimus inceptam orationem his verbis proſecutus eſt:

His omnibus attentis, Beati Gregorii prædeceſſori noſtri exemplum ſequentes, qui invitum neminem Epiſcopale onus ſubire Apoſtolica juſſione coegiſſe unquam reperitur, recuſationem, repudiationem, ſeu renunciationem a præfato Gabriele Philippuccio, ſicut præmittitur, factam admittere intendimus, eidem Gabrieli forſan aliquando illud ipſum dicturi, quod prædictus Beatus Gregorius cuidam Sebaſtiano, qui commiſſum ſibi ab Anaſtaſio Patriarcha Eccleſiæ regimen recuſaverat, reſcripſit, videlicet: Senſum ac ſapientiam veſtram valde ego libenter amplexus ſum, laudavi vehementer, & vos felices, me infelicem eſſe deputavi, qui hoc tempore regimen Eccleſiæ ſuſcipere conſenſi. Faxit divina bonitas, quæ omnia ſapienter diſponit, ex humili hac ampliſſimæ dignitatis recuſatione, non minus utilitatis & ornamenti in Eccleſiam derivari, quam ex tot præſtantium virorum laboribus, qui gravia ejuſdem dignitatis onera non refugerunt.

Quid vobis videtur?

Auditis poſtmodum viginti quatuor Eminentiſſ. Cardinalium ſententiis, (nam reliqui tredecim recentiores a ſecundo ſuffragio abſtinere debuerunt, quod nondum ipſis ea facultas a Pontifice tributa foret, eum ſinguli Cardinalatus refutationem a Reverendiſſ. D. Philippuccio factam admittendam eſſe unanimes cenſuiſſent, SS ejuſmodi refutationem, atque renuntiationem Apoſtolico ſolemni Decreto ſequentibus verbis concepto admiſit & approbavit:

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Noſtra

Admittimus recuſationem, repudiationem, ſeu refutationem, & quatenus opus ſit, renuntiationem, ac dimiſſionem juris, quod acquiſivit vel acquirere potuit præfatus Gabriel Philippuccius ex ejus promotione ad Cardinalatum in ſuperiori Conſiſtorio per nos facta, ejuſque locum vacantem, ut prius, declaramus, perinde ac ſi promotio de illius perſona facta nunquam fuiſſet. Præterea quatenus opus ſit, & ad abundantiorem cautelam, concedimus ei retentionem Canonicatus & Præbendæ Eccleſiæ Sancti Joannis in Laterano, nec non officii Doctoris Decretorum Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, ac penſionum omnium Eccleſiaſticarum, quas de præſenti obtinet, cum derogationibus & clauſulis neceſſariis & opportunis: In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Deventum poſtea fuit, ut moris eſt, ad propoſitionem & reſpective præconium plurium Eccleſiarum; quibus finitis Sanctiſſimus ita rurſus locutus eſt:

Venerabiles Fratres. Locum Collegii veſtri, quem admiſſa nuper recuſatione, repudiatione, ſeu renuntiatione dilecti Filii Gabrielis Philippuccii, ut prius, vacare declaravimus, abſque ulla cunctatione implere volumus; ideoque ad majorem Omnipotentis Dei Gloriam, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ præſidium, & decus, creare intendimus Præsbyterum Cardinalem Venerabilem Fratrem Michaelem Angelum de Comitibus, Archi-Epiſcopum Tarſenſem.

Quid Vobis videtur?

Singuli Eminentiſſimi Cardinales Seniores, ſilentibus ceteris junioribus, ob ſuperius enuntiatam rationem ante dicti Reverendiſſimi de Comitibus, Archi-Epiſcopi Tarſenſis, generis nobilitate, virtuti-

tutibus & meritis honorifice commemoratis, illius in Sacrum Collegium cooptationem unanimi ſententia comprobarunt. Quocirca ſua Sanctitas ipſum ſubinde S. R. E. Presbyterum Cardinalem creavit & pronunciavit adhibita conſueta verborum formula, videlicet:

Auctoritate omnipotentis Dei, & S. S. Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Noſtra creamus S. R. E. Presbyterum Cardinalem Michaelem Angelum de Comitibus, Archi-Epiſcopum Tarſenſem, cum derogationibus & clauſulis neceſſariis & opportunis: In Nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti. ✠ Amen.

Poſtremo Sanctiſſimus ut eximiam ſuam, ac vere paternam in D. Philippucium caritatem aliquo alio minime reſpuendo beneficii genere declararet, ſimulque ejus honeſtæ ſuſtentationi opportune proſpiceret, peracto Conſiſtorio illi attribuit, & aſſignavit annuum ſubſidium mille ſcutorum monetæ Romanæ, quoad vixerit, e Cameræ Apoſtolicæ proventibus perſolvendum; inſuper officium Votantis Signaturæ Juſtitiæ ab ipſo demiſſum, ejus ex ſorore nepoti D. Franciſco de Vico, in Romana curia Advocato, benigniſſime detulit, ac demum eundem D. Advocatum, quo commodius atque decentius ſuſcipiendi muneris onera ferre poſſet, Canonicatu Lateranenſis Eccleſiæ, qui jam dudum vacabat, auxit ornavitque, ſacro plaudente Senatu, univerſaque propemodum urbe Pontificiam munificentiam ac æquitatem; quibus par erat, laudibus proſequente.

J. VINCENTII GRAVINÆ

DE FOEDERE PIETATIS ET DOCTRINÆ.

ORATIO

Ad ſuos Gratianei Decreti auditores.

QUod bellum a Juliano Cæſare Chriſtiano populo conſulto ac fraudulenter movebatur, idem nunc imprudenter, atque ignoranter ſuſcitatum præter ſuam & omnium opinionem videmus ab indoctis quibuſdam ſimulatoribus novæ pietatis, qui non opibus in pauperes effundendis, neque abſcindendis cupiditatibus, honoribuſque declinandis; ſed flectendis cervicibus, unaque calumniandis melioribus, ignarum ſibi vulgus attraxerunt.

Quippe Julianus non ſecuri, aut gladio, quibus ira priores hoſtes Chriſtianorum armaverat; ſed ignorantia & caligine ingeniorum, Chriſtianam ſapientiam obruere, curſumque Religionis noſtræ revocare nitebatur, clauſis Chriſtianorum ſcholis, averſiſque procul ab Eccleſia præmiis & honoribus literarum.

Norat enim ille Apoſtolos, etſi humana eloquentia profaniſque ſcientiis expertes, tamen ſuſcepiſſe demiſſam ſibi e Cœlo æternam Sapientiam, Divinamque Facundiam, qua Evangelicæ veritati pectora mortalium aperirent; eoſdemque Terris cedentes, Chriſtique ſinum adeuntes reliquiſſe poſteris imitationem pietatis ſermoniſque cœleſtis, quem veteres Patres, Apoſtolorum ſucceſſores alebant Græcorum ac Latinorum ſelectioribus & purioribus literis, quibus Chriſtiana doctrina illorum in ore coruſcans, falſæque Religionis tenebras diſcutiens, populos nationeſque integras, exiguo tempore, ſub Chriſti ſigna traduxerat.

Has facultates & artes, quas Chriſtiani ſapientes hoſtium noſtrorum detractas manibus, adverſus eos mire converterant, repetebat a noſtris, imperio ſuo, impius Apoſtata; ut iis ademtis, opem etiam ac facultatem religionis latius diutiuſque fundendæ noſtris auferret, illoſque non divinis modo, quæ nullis patent injuriis, ſed & humanis animorum ornamentis conſpiciendos, ſuiſque adverſariis merito verendos deinceps exutos ſcientiis & literis, eorundem ludibrio adverſariorum objiceret.

Succurrebat nimirum ei quantum Platonica Clementis Alexandrini diſcipulique ſui Origenis Philoſophia; quantum Tulliana Lactantii dictio, quantum Demoſtenica Tertulliani fulmina, & ceterorum ſuo tempore Patrum Attica facundia ſacris noſtris contuliſſent; quantuſque inde cultus atque celebritas falſis defluxiſſet Numinibus, ad quæ non ante honorem priſtinum redituros ſperabat, neque prius putabat Chriſtianam gloriam prolapſuram, quam Epiſcopi, Doctoreſque noſtri bonarum artium, & ſcientiarum uſum amitterent.

Nunc

Nunc non quidem conſilio, verum inſcitia noſtra, eodem prope quo Julianus tendebat exitu, nova hæc profeſſio pietatis perſequitur literas, atque inſectatur ubique artes illas, quarum jacturam tantopere veteres Eccleſiarum Antiſtites pertimeſcebant, quibuſque retinendis humana, divinaque omnia contra Juliani calliditatem commemorant, non antea libris & concionibus quieſcentes, quam Juliani morte, ſtudiorum libertatem recuperarint. Enimvero hi noſtri veterum Patrum, quales ſe nobis ferunt, imitatores, non erubeſcunt contra morem illorum, quos voce habituque imitantur, abducere adoleſcentes a ſtudiis Græcarum & Latinarum literarum, tanquam profanis & indignis Religione illa, quam eædem literæ ſub Divinitatis auſpicio tamdiu educarunt. Unde & Platonicam doctrinam ſcholarum olim Chriſtianarum magiſtram, cum videant noſtris temporibus reviviſcentem, ac multis poſt ſeculis remigrantem, excludunt ab animis ſtudioſorum, quibus non alienam ſcientiam proponunt, niſi cujus ipſi, & imbecillimi quique ipſorum ſimiles fuerint compotes, & Doctores idonei, cujuſque auctoritatem inſidiis & calumniis contra eruditorum cachinnos & ludibria munierunt.

Ac ne ſolam lanienam exercere videantur, nec perterrefacere tantum, ſed pro ſummo eorum ingenio & doctrina monere quoque, atque perſuadere exiſtimentur, ignaviæ ſuæ prætendunt ſtudium ſeverioris honeſtatis, quam illi non tam fuga tuentur periculoſarum conſuetudinum, quam odio & exilio Poetarum. Quorum tamen hi virtutes, non vitia eripiunt adoleſcentibus, ea longe uberius haurientibus, e ganeis & luſtris & ſpectaculis, & commeſſationibus, & alea. pro quibus ſi occuparentur in Poetis, præter Eloquentiam & eruditionem, quam inde carpſerint, cognoſcendis Poetarum ægritudinibus atque moleſtiis carmine illorum expreſſis, alieno labore cavere ſibi diſcerent a voluptatibus illis, ad quas imperitia plerumque ferimur & ignorantia periculorum. Quas Poetarum utilitates minime contemſerunt veteres Eccleſiæ Patres, ex quibus Chryſoſtomus, & Hieronymus, alter Ariſtophanem, alter delicias meas Plautum pulvinari ſuo ſubjiciebant, ut ex his leporem illum atque facundiam, quam ſcriptis ſuis reddiderunt, aſſidue haurirent, indeque ſagittas illas Eloquentiæ peterent, quibus Chriſtianorum hoſtes configerentur. His facultatibus deſtituuntur noſtri adoleſcentes, dum avelluntur ab optimis Poetarum. Iidemque adoleſcentes omnino pro labore otium, & pro doctrina fraudem amplectentur, ſi unquam viderint indoctiſſimos quoſque, pulſis dignioribus, ſublatos ad honores eos, quos Romana Eccleſia Romanis paravit literis.

Eadem ſimulatione ſeverioris diſciplinæ præceptores civilis vitæ Hiſtoricos & Oratores excutiunt e manibus noſtris, tanquam profanos, cum profanos ipſi magiſtratus, & profanam dominationem, cujus regimen diſcere dedignantur, aviditate ad ſe tanta corripiant, ut niſi publicam privatamque rem ignaviæ imperitiæque ſuæ perdundam dederimus, avita eos hereditate ſpoliaſſe videamur. Unde qui profanos faſtus minime ſibi cavendos cenſent, ſumma tamen Religione cavent a profanis Scriptoribus: quos Hieronymus, quicum certe nemo illorum de ſanctitate certaverit, minime verebatur explicare pueris, quos ſacris piiſque muneribus ſuſceperat exercendos. (a) Norat enim optime Hieronymus quod minima intelligunt noſtri duces ingeniorum, non tam homines ignoratione vitiorum, quam cognitione virtutis fieri meliores. Ita facultates omnes, arteſque cultiores a nobis legitimis olim poſſeſſoribus, imo & auctoribus earum ad hoſtes tranſierunt, a quibus noſtris telis noſtriſque inventis appetimur, atque mari terraque obſidemur; neque claſſibus tantum, & exercitibus, & re militari, quam diu jam amiſimus, oppugnamur; ſed & peritia literarum, quibus poſt militares latinorum opes everſas, barbarorum tamen vires adhuc implicuimus, prudentia eos atque doctrina ſubigentes ingeniique opibus: quæ nunc eripiuntur nobis ab ambitione imperitorum, qui nec opinantes & imprudentes hanc nequicquam olim Juliano ſuſceptam operam navare videntur, remittentes adverſariis noſtris Græcam & Latinam Eloquentiam,

(a) Rufin. in Hierony.

tiam, Eruditionem, atque Philoſophiam; nobis vero excipientes aniles puerilesque tricas, Arabumque deliramenta, quibus imperium ſibi aſſerunt ingeniorum.

Neque ſatis habuerunt iſti pellere in exilium civilis regiminis civiliſque vitæ præceptores; ſed & fontes ipſos clauſerunt adoleſcentibus Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, cui uberius cautiuſque promendæ Gratianeam prælectionem inſtituere majores noſtri publicis in Academiis, de quibus nunc Juventus ad iſtorum nænias avertitur, vacuefacta etiam Gratianea ſchola, unde munerum Eccleſiaſticorum cognitio & origo, rerumque omnium ſacrarum doctrina profertur; adeo ut nos, qui ſcholam eam accepimus, vix unum, aut alterum veteris diſciplinæ, primordiorumque ſacrorum ſtudioſum invenientes, nobis canere tantum cogamur & Muſis; ac ſolis conſulere & laborare poſteris, ad quos curas noſtras unice dirigimus, dum primævas Eccleſiæ inſtitutiones, morumque candidiores regulas pandimus, & ſuis ab initiis ducimus ſingulorum præſulum officia & auctoritates. Quæ niſi ſcriptis conderentur, voce quidem noſtra darentur *protervis in mare Creticum portare ventis:* cum interea videamus contemtores quoſque doctrinarum, ignaros alieni juris & ſui, proprioque in munere prorſus hoſpites irridere doctorum labores, ac, ſtultitia ſua, imperare ſapientibus ab ſe præmio ſpoliatis, reddentes jura ſibi prorſus ignota, eaque docentes, quæ nullo unquam tempore didicerunt.

Ac ne munerum ſatagamus alienorum, & ad penſum unice vertamur noſtrum, quis niſi publicæ utilitatis & ſacræ diſciplinæ hoſtis amentiam tulerit eorum, qui Gratianeas prælectiones cum Sophiſtarum & Grammatiſtarum circumforanea verborum pompa commutant? Enim vero ut Gratianus, quem nos interpretantes paſſim emendamus, atque caſtigamus, tenebris merſus temporum, quibus involutæ falſæ opiniones, & mendoſi Codices, auctoreſque ſuppoſititii, privatas publicaſque ſcholas perambulant, puro non ſemper de fonte petierit, inque collectione ſua pro veris falſa non pauca inſeruerit, quorum ei plurima falſus ſuggerebat Iſidorus; copia tamen ille, ac varietate atque utilitate rerum diſcendarum, præquam alii ante ſe omnes, jus Eccleſiaſticum locupletavit. Codices enim Canonum, Gratiano antiquiores, vel plurium Conciliorum celebrationem præcurrerunt, vel certis Eccleſiis prodiere moderandis. Vetuſtiſſima eſt Collectio Canonum Eccleſiæ univerſæ, prius ad uſum Orientalis Eccleſiæ producta, poſtea vero etiam ad Occidentalem delata multorum Canonum acceſſionibus.

Ab hac eſt altera Theodoreti, quæ privato conſilio privataque de cura proceſſit. Excepit utraſque Photii nomocanon, ſive contextus Canonum & Legum, quod opus pro Eccleſia Orientali conditum tanto præſtitit cunctis, quanto auctor illius eruditione ingenioque præcelluit.

Neque Africam ultra ſpectavere Canonum Eccleſiæ Africanæ, atque Creſconianæ collectionis volumina. Omnium tandem opulentiſſimus & lectiſſimus fuit Codex Dionyſii Exigui, qui Orientalis Eccleſiæ collectionem in latinitatem transferens cultiorem, eique adjiciens aliorum Conciliorum Canones, qui ad ſua prodiere tempora, primuſque illis Decretales Romanorum Pontificum longo ab ſe ſtudio coactas epiſtolas inſerens, uberrimum Eccleſiaſticæ doctrinæ promptuarium condidit Eccleſiæ Romanæ, a qua inferiores omnes ad Eccleſias ejus Codicis doctrina diffunderetur.

Quam vero prodidiſſe fertur Iſidorus Hiſpalenſis, ea Hiſpanas Eccleſias complectebatur; quamvis cum ea olim confunderetur, quam protulit Iſidorus ille alter, cognomento Mercator, qui apud indoctos Hiſpalenſis perſonam falſo tulit; quam perſonam ei detraxerunt eruditiores qui præſtigiatoris hujus collectionem plurium fraudum redargutam ac manifeſto convictam, ab altera jam diu diſtinxerunt. Reginonis præterea collectio, & Burchardi, & Ivonis Carnotenſis, & incerti Auctoris quæ Pannormia, ſive univerſa regula nuncupatur, & Anſelmi Lucenſis, & Deuſdedit Cardinalis, & Gregorii, quæ dicitur Polycarpus, & inferiores denique aliæ, quarum aliquot ordine, cultu, & delectu Gratianum facile præſtiterint; pondere certe, uſuque rerum & copia, nequaquam cum eo contenderint, ne frequentiam attingam & celebritatem conſenſumque Nationum & Scholarum omnium atque

que

que Tribunalium in Gratianeam: qua de Bononienſi Schola, ſive de antiquiſſimo divini humanique juris ærario, ad Gentes manavit univerſas, Bononiam ad Theologiam & Juriſprudentiam ipſamque Humanitatem hauriendam undique confluentes.

Omnis igitur Gratianeo de Codice non exterior modo, ſed & interior diſciplina fluit & cognitio munerum ſacrorum: floreſque SS. Patrum omnium decerpere hinc licuerit utiliores ad publicam & privatam emendationem animorum. Quæ univerſa neglexerit commoda quiſquis Gratianum, aut ignorat omnino, ut nunc ii maxime, qui munera Eccleſiaſtica concupiſcerent plurimum; aut illum privatim ſibi legendum ſuſcipit procul a publicarum Scholarum luce ac voce Præceptoris. Ut enim qui Gratianum negligunt nullam, ita qui vocem interpretis ad eum ſibi non advocant corruptam in Eccleſiam & vitioſam diſciplinam facile attulerint, ſeque deridendos præbuerint, non hoſtibus modo noſtris, verum & eruditiotibus Catholicorum, qui præter publicam curam a Summis Pontificibus adhibitam, privato etiam labore in dies retegunt eluuntque ſimul Gratiani maculas, partim ſocordia ipſius, partim ex aliorum collectionibus & communi ejus ætatis errore contractas.

Obtrudit enim Gratianus nobis commentitios Canones haud paucos, nominaque falſa ſubjicit plurima pro veris, quibus ignota eis inſtituta & facta incomperta prorſus ætate illorum attribuit. Ipſum præterea temporum confundit ordinem, turbavitque ſenſum vocabulorum, & nexum contextumque rerum, atque locorum; ut qui ſe Gratiano, ſpreta Præceptoris voce, committat, is conetur abſque gubernaculo circumire ſirtes, qui vero ambiens Eccleſiaſtica munera Gratianum, laboris tædio, refugiat, is aut, de more, ſit ignoratam ſibi diſciplinam tractaturus, aut eam incerta, dubiaque via ſparſim, & minutatim correpturus ex immenſis, ac variis, & infinitis veterum Patrum, Conciliorumque voluminibus, ac toto quæſiturus Oceano quam uno collectam alveo piguit explorare. Quis vero tam fuerit excors, ut laborem ab eo ſibi polliceatur infinitum, qui circumſcriptum, & levem tolerare nequiverit? Quis credat homines adeo ſocordes, qui vocem interpretis Gratianei non tulerint, perrupturos aggerem antiquitatis, & ſuperaturos molem obſcuræ illius eruditionis, quæ veteris Eccleſiæ voluminibus incumbit?

Utinam vero ſcholæ vulgares tale unquam adoleſcentum examen emitterent, quale Sanctorum Patrum lectio poſtularet: tum enim non ſolum Gratianus eorum diſciplinæ collector auditores benevolos, verum & tribunalia, magiſtratus, ac judices, & curiæ præſules, & Eccleſiæ paſſim rectores invenirent idoneos.

Quales ut quandoque vos ingenioſi adoleſcentes evadatis, nolite ſpes opeſque veſtras ducere a Sophiſtarum ſcholis, quas adhuc incoluiſtis, quaſque pro doctrina jam pridem occupavit arrogantia faſtuſque popularis; verum alio quæſitum eatis, quæ inde tam vane impudenterque oſtentantur, ſcientias ſcilicet, & eruditionem, ſive græcam, ſive latinam, ſine quibus neque jura ulla, ſive civilia, ſive ſacra recte perceperitis, neque digne atque utiliter geſſeritis munera illius Eccleſiæ, quæ cum alias complectatur univerſas, eam quoque ſacram & civilem Sapientiam ſuis inſtitutis profitetur, quæ ad tantam rerum adminiſtrationem, taliumque cauſarum & controverſiarum diſceptationem definitionemque poſtulatur.

Qua de cauſa, ſuis ab uſque primordiis Eccleſia Romana, non ſolum Divinam ab Apoſtolis tranſmiſſam Sapientiam perpetuo cuſtodivit; ſed & humanam undecumque arceſſitam atque collectam complexa eſt univerſam, ut inventa omnia virtuteſque veterum ſacra potiſſimum auctoritate protexerit ab injuriis barbarorum omnia diripientium. Quorum furorem Pontificii numinis majeſtas avertebat a ſcriptis & ædificiis aliiſque monumentis antiquitatis: adeo ut reliquias, quas habemus Eloquentiæ, Sapientiæ, ac Magnificentiæ veteris, uni debeamus curæ pietatique Pontificum Romanorum, qui pro ſua poteſtate falſorum Deorum ſedes, impia religione jam expiatas, & Chriſtiano ritu luſtratas, vero cultui attribuerunt, & ad obſequium Eccleſiæ vocaverunt majeſtatem omnem priſtinam, ſive operum, ſive indumentorum, quæ cum Chriſtianis moribus ab initio coaluerat.

Digitized by Google

Hinc Pontificii ornatus candor, hinc & communis Clericorum tunica talaris, & modus capillorum & toga pulla inopum olim, atque lugentium, quorum ſibi modeſtiam Clerici maluerunt. Hinc & imitatio ſcipionis eburnei, & utraque purpura, plebeja nimirum, ſive violacea minorum præſulum, & patricia, ſive rubra majorum, quibus & indumenta cetera ſive ſenatoria, ſive conſularia, & triumphalia ceſſerunt. Quorum ornamentorum, & rituum, quæ culmen dignitatis exprimerent in Summi Pontificis perſonam, in quem & conſularis poteſtas confluxit, merito convenerunt, qui & equis utitur albis, & ſella curuli, & ſtatim creatus, in ſublime attollitur, dum veteri more præfertur ignis.

Quid linguam latinam commemorem, cujus miniſtero patrum noſtrorum ſenſus adhuc dominatur nationibus, per quam linguam ſonum etiam & notam conſularis Imperii ad gentes mittimus univerſas, quarum ſocietatem atque commercium, ejuſdem ſermonis nexu, contraximus & retinemus? Quibus armis imperantis hujus linguæ majeſtas barbararum vocum fœdam impreſſionem excluderet, vitamque ſuam proferret in æternitatem, niſi ſacris Pontificiis ſuſcipiendis atque tractandis eorum immortalitatem participaret?.

Militares præterea omnes honores & civiles eadem auctoritate, in honorem ceſſere literarum, quas cum præ ceteris, vel unice, barbaris temporibus profiterentur Sacerdotes; ideo per togatam, ſive literariam militiam, omnia priſtinæ dignitatis inſignia, quæ aut negligebantur a barbaris, aut lacerabantur, ad nos integra pervenerunt: adeo ut in Eccleſiam ſelectior omnis & ſanctior migrarit antiquitas. Præterea laurus, qua Imperatores & Conſules victorias ſuas coronabant, vertit in præmium literarii laboris, & aureus annulus, equeſtris olim nota ordinis, teſtimonium nunc præſtat fidemque ſtudiorum, per quæ nobilitas equeſtris ordinis communicatur.

Quin & jura civium Romanorum plurima, quæ barbari extinctum ibant, Pontifices Romani, auctoritate divina, in Eccleſia retinuerunt, ut ſicuti Lex Porcia verbera & necem a civibus Romanis arcebat, ita & injurias eaſdem Summus Pontifex per immunitatem, ex æterna lege petitam, averterit a corporibus Clericorum, qui jure Sacro Civitatem Romanam naneiſcuntur: utpote qui undeunde venientes Romano Pontifici ſubjiciantur. Quamobrem evenit ut Civitatem Romanam, quam olim, vel a Senatu accipiebamus, vel a Conſule, nunc a Deo Optimo Maximo per ſuum Vicarium aſſequamur. Cujus immunitatis ac poteſtatis, ſi qui ſunt ex Italis contemtores, haud intelligunt eadem opera ſe avitam communemque libertatem, & dignitatem, quam ſuſcipiendis ſacris miniſteriis recipimus, prodere nationibus exteris, a quibus per nos diu recti, nunc rectores petimus; adeo ut exulatum eat ab Italia, quidquid Eccleſiæ Romanæ deceſſerit.

Hanc ſummam ſacrorum poteſtatem, auditores, præcipue vero vos Quirites, e Cœlo a Chriſto adductam, perque Pontifices Romanos implicatam literis, nativa etiam pietate conſuetaque olim doctrina, obſecro, munieritis, cum ab exteris omnibus hoc priſtinæ majeſtatis propugnaculum Italiæ invidentibus, tum præcipue ab hoſtibus noſtræ Religionis, qui cum fruſtra nos divina veritate ſpoliare contenderint; tamen ignavia noſtra, & vigilantia ſua prope ſpoliavere patriis Italorum literis. Callidius enim illi exeubant corripiendis alienis, quam nos propriis opibus retinendis incumbamus.

Vos vero, quincumque Romanos Magiſtratus ſuſcepiſtis, nolite committere, ut antiqua eruditio & vetus Eloquentia ibi proculcetur, ubi aſylum ſuum & præſidium ſibi deſpondet. Ac demum revolvitote animis veſtris Romam uno ſub capite corpus præbere tergeminum, Eccleſiam nimirum, Populum, & Curiam. Eccleſia de Pontificatus culmine, tamquam e fonte præcelſo in Epiſcopos minoreſque Sacerdotes alios diffunditur velut in rivo, divinaque auctoritate ac cœleſti vaticinio Terrarum Orbem complectitur univerſum, nulliſque adverſariorum inſidiis, nulla hoſtium violentia vacillabit. Eadem, neque ab ignorantia, neque a vitiis miniſtrorum unquam labem conceperit; utpote cum de cœlo per mini-

miniſtrorum ora ſua ducat oracula, & veterum virtutum ac divinorum exemplorum auctoritate novitatem obruat vitiorum, quæ ab hominibus orta, ſacras tamen ad hujus Eccleſiæ leges nunquam perrepſerint. Populus, cujus ab opulentia & numero ſecuritas procedit, & opulentia principatus, augetur frequentia connubiorum; & inſtitutione commerciorum ac nundinarum, honeſtaque libertate ludorum, qui civium lætitia, & concurſu exterorum ditant, ornant, & multiplicant Urbes. Civilibus vero Magiſtratibus Curia conſtituitur, quæ laudis atque auctoritatis plurimum duxit a gloria literarum, & a peritia civilis & Pontificii juris, atque a ſanctitate judiciorum, quorum juſtitia, fides, & æquitas e patriis tribunalibus convellebat cauſas, Romamque pertrahebat

Hæc autem, non e ſolis civibus componitur, ſed ex gentibus univerſis ad Urbis, & Eccleſiæ regimen confluentibus; adeo ut Curia, quæ corpus eſt Sacrorum & Civilium munerum, ſuos in humeros ſuſtulerit Romanum Sacerdotium & Populum, quorum alterutrum ſeorſum ab altero ſuſceptum, ſi graviſſimum ac difficillimum foret ad adminiſtrandum, quid oneris, atque periculi eſſe in utroque gerendo exiſtimemus? Quibus non divinis, humaniſque virtutibus, & literis opus fuerit miniſtris, & magiſtratibus ejus Eccleſiæ ac populi, quorum altera veritatem & ſanctimoniam æternorum Numinum exprimit; alter priſcorum omnium, ſive Græcorum, ſive Barbarorum fortitudinem, Juſtitiam, & Sapientiam, non vocibus modo & ſcriptis, ut Græcorum complures præſtitit; verum longa & perpetua ſerie rerum ſupra mortalem conditionem geſtarum anteivit nationibus univerſis; quas ſingulas certa aliqua patriaque virtute præſtantes, Populus Romanus omnium virtutum cumulo præſtantiaque ſuperavit: utpote qui ad præclara terriſque inaudita facinora, non ſolum diſciplina ſapientiſſimorum Regum, qui Romanarum victoriarum ſemina jecerunt, neque memoria modo veterum exemplorum; ſed & natura ipſa ducerentur: quæ cœlum hoc ita temperavit, itaque miſcuit, atque compoſuit coeuntium huc elementorum facultates & motus, ut nuſquam alibi gentium talis oriatur ſobrietas, atque dexteritas animorum & corporum, quibus neque abſit aliquid, neque redundet, qualem ingenia præerunt Romanorum, quibus experiundis minus miramur ſi virtutes complures ante inauditas, & præcipue τὸ πρέπον Græcis voce magis, quam re notum, latine decorum & morum gravitatem temperiemque civilem Romani apud omnes mortales inſtituere primi, regimine ſuo aliis, quod acceperant a Natura contribuentes: adeout antequam Deus Opt. Max. oracula ſua Romæ collocaret, naturali tamen ſanctimonia ſuorum civium, ad conformandos aliarum nationum animos Roma uteretur: cum tale Romanum naſcatur ingenium, quale aliorum longa vix arte componitur.

Unde, ne genus humanum antiquis ſuis cultoribus indigeat, plurimum intereſſet omnium gentium provocare præmiis, Augusti exemplo, frequentiam & copiam civium Romanorum, ut multiplicatione commercioque illorum gravitas & prudentia cum Orbe Terrarum univerſo, ut olim communicata, in dies multiplicetur, ſimulque in Urbe hac æterna validioribus viribus & crebrioribus Romanarum virtutum exemplis, reſiſtatur vitiis, quæ huc extrinſecus convehuntur: unde incremento populi Romani, & Roma ipſa, & Orbis Terrarum univerſus felicius emendaretur. Cum Romana igitur Eccleſia divinarum, Romanus vero populus humanarum omnium virtutum ſegetem ediderint, providendum eſt maxime, ne ſemina, quæ adhuc a Natura ſuggeruntur, exareſcant: idque curandum eſt præſertim Curiæ miniſtris, quos ſi ſe dignos, & idoneos utriuſque cultores & moderatores preſtare velint, oportuerit morum ſanctitatem, doctrinæque integritatem ex Apoſtolicis repetere temporibus, & exemplis & ſcriptis; prudentiam vero civilem, ex univerſa memoria rerum a majoribus, ſupra mortalium opinionem, geſtarum, ad præſentem utilitatem uſumque transferre; juſtitiam tandem ad Eccleſiarum populorumque præſentium regimen evocare de Gratianeis priſcorum Canonum, & Juſtinianeis Legum voluminibus: quo non modo inimicos exarmemus noſtros, & libertatem retineamus, majorum virtute par-

partam, & Pontificum auctoritate confirmatam; ſed etiam ad Romanam poteſtatem & fidem atque ad ſpem ſalutis æternæ revocemus eos, qui antea quidem ſe ſubtrahentes, ditionem noſtram extenuarunt; nunc autem exultantes, & opibus ferocientes, iis graviorem ſervitutem parant, quibus olim ſe paruiſſe indignantur. Quorum autem cauſa nobis tantopere inſidiantur, eo majori virtute munire debemus; quod ſummo cum periculo poſſeſſoris amittitur quidquid ſumma cum invidia poſſidetur.

DE DISCIPLINA POETARUM.

Ad Scipionem Maffejum, Marchionem.

QUærenti mihi ſæpenumero, Maffei doctiſſime, cauſam cur initio Græci Poetas pro Diis coluiſſent; Romani autem ſero admodum eos honoraſſent; cum Cato crimini daret Marco Nobiliori, quod Ennium Poetam ſecum in provinciam duxerit: ea demum occurrit ratio potiſſima, quod Græcis publica neceſſitas, Romanis vero privata voluptas Poeſim initio commendarit. Quippe Romanis oratio ſola Prudentium ſufficiebat ad tuendam tribuendamque ſummam humanitatem; cujus virtutis leges homines Latino ſub cœlo nati ultro parturiunt: Græcis vero ad exuendam feritatem ac fraudulentiam compeſcendam, ſenſuum illecebris opus fuerat & melodia; qua ſimul cum auribus arriperentur etiam animi ac flecterentur ad præcepta virtutis; quæ modulatione ac numeris infundebantur: adeo ut apud eos Sapientia & Eruditio a Poeſi & Muſice raro diſtingueretur, omniſque doctrina Muſices appellatione veniret, quia ſine Muſice nullus doctrinæ publicus fuiſſet uſus.

Nimirum præter Cacum, aliumve quem, nulla memorantur in Latio portenta immanitatis, qualia tam crebro invenias apud Græcos, ut Thucydides initio hiſtoriarum referat, eos vitam in latrocinio & rapina publice inſtitutam habuiſſe, verſutiamque atque violentiam in civilem diſciplinam convertiſſe: unde non unum aut alterum, quorum nomina ſuperfuerunt, ſed innumeros, nullo nomine notos, oportet apud eos erupiſſe Pythones, Procuſtes, Scirones, Lycaones; quorum plurimos, haud fortaſſe diſſimiles, inter Deos retulerunt, ut communia gentis vitia pro ſummis virtutibus in cœlo collocarent, & ſcelerum auctoritatem a Numinibus ducerent.

Quare quid mirum, ſi Homerus, qui teſte potiſſimum Ariſtotele ac Platone, homines ætatis nationiſque ſuæ tales, quales natura ipſa, reddidit, generoſitatis veſtigium prope nullum delineaverit; ceterarum virtutum vero petrarum, cum exempla libidinis, avaritiæ, feritatis ſingulis prope verſibus effuderit? Quæ hominum, regionum, temporumque vitia in divini Poetæ dedecus detorquent homines imperiti potiſſimum antiquitatis: Quaſi heroibus ſuis, quibus nomen hoc vires & virtus militaris meruerant, adſcribere, ſalva imitationis lege, debuiſſet Homerus virtutes illis ignotas, quas non modo nationes barbaræ, ſed & ipſimet recentiores Græci, qui Philoſophorum vocibus eas vane jactaverant non ante conſerre cœperunt in morem, quam exemplis & inſtitutis aſſueſcerent Romanorum.

Nam, obſecro, antequam ea inſtituta cum Romanis armis Græciam ingrederentur, quæ fides, quæve æquitas, aut juſtitia, vel quæ fœderum ſanctitas verſabatur, non dicam inter liberarum urbium rectores atque magiſtratus, præcipue Athenienſes, quibus, teſte Cheriſopho apud Xenophontem, veluti ſolemne fuerat diripere opes publicas, atque hoſtibus vendere cives ſuos; ſed inter magnanimos illos Alexandri Duces, quorum regna exordium duxerunt & curſum a perfidia, Caſſandros nimirum, Lyſimachos, Seleucos, Antigonos, Ptolemæos, eorumque ſucceſſores: quorum majores, utcumque virtute militari & munificentia regia claruerint; imperia tamen eorum parricidiis, proditionibus, & pupillorum cædibus adeo ſcatuerunt, ut non multo diſcreparint ab Argivis illis, & Mycenæis, atque Thebanis regnis, quæ ſegetes fuere tragœdiarum.

Quamobrem Propertius hanc potiſſimum inter laudes Italiæ ponit, quod, nec

nec ceraſtas pepererit, neque Adromadæ ſtrepentes de ſcopulo catenas audierit, neque humanarum dapum fœditate ſolem averterit, nec materno furore aut Meleagro vitam exuſtam, aut Penthea diſcerptum viderit, neque Iphigeniam aliquam paterno conſilio cæſam tulerit, neque fœminam ullam ſub vaccæ ſpecie paverit; neque homines pinuum ramis utrimque nexos, illiſque diſcedentibus divulſos, aut Scironia ſaxa hoſpitum in exitium dederit. (a)

At non ſquamoſo labuntur ventre ceraſtæ;
Itala portentis nec furit una novis.
Non hic Andromadæ reſonant pro matre catenæ;
Nec tremis Auſonias, Phœbe fugate, dapes;
Nec cuiquam abſentes arſerunt in caput ignes,
Exitium nato matre parente ſuo:
Penthea non ſævæ venantur in arbore Bacchæ;
Nec ſolvit Danaas ſubdita cerva rates:
Cornua nec valuit curvare in pellice Juno;
Aut faciem turpi dedecorare bove:
Arboreaſque cruces Sinis, & non hoſpita Grajis
Saxa, & curvatas in ſua fata trabes.

Enimvero Græci pariter, ac barbari rationem a potentia; Romani vero potentiam a ratione ordiebantur, eamque tuebantur gravitate atque conſtantia: quæ cum in libris habitaret Græcorum, exularet a moribus; crebræ mutationes Rerumpublicarum apud eos oriebantur, & mutuæ cædes & inteſtina diſſidia & ex privatis odiis publicæ ruinæ: ut Athenienſium ſtatum Cleonis potius temeritas, & Alcibiadis volubilitas everterit, quam Thebanorum arma & Lacedæmoniorum: Quorum deinde potentiam iidem Thebani, qui odio Athenienſium eam auxerant, mutatis confeſtim poſt victoriam animis, perfregerunt, ut ſe demum, cum omni Græcia domeſticis & voluntariis cladibus attrita, deduxerit in Macedonum poteſtatem: Contra Romanorum inter ſe odia domeſticis conſiliis ſæpe quieſcebant; neque niſi poſt annos ab U. C. ſexcentum in civilia bella erupere. Quæ bella utcumque nova & extraordinaria imperia invexerint in Rempublicam, ipſam tamen Rempublicam nunquam deleverunt, eamque hoſti nulli externo prodiderunt. Exemplo ſit Sertorius, qui Mithridatis opem ſibi oblatam noluit accipere, ſub ea conditione, ut eriperetur Aſia populo Romano, cujus ipſe armis opprimebatur; & Pompejus, qui fuſus atque fugatus a Cæſare, durius morte ſibi Parthorum auxilium judicavit, cum Græcæ civitates certatim ſibi Pharnabazi, aut Tiſaphernis alicujus gratiam appeterent; ut per eos alioſque conterminos ſatrapas communem hoſtem, nempe Perſarum Regem, contra propriam nationem urgerent.

Quæ variæ inter ſe notæ atque imagines animorum a Principibus utriuſque populi Poetis Homero & Virgilio mirifice exprimuntur: Siquidem Homeri Duces & Reges rapacitate, libidine, atque anilibus queſtubus, lacrymiſque puerilibus græcam levitatem & inconſtantiam referunt; Virgiliani vero Principes ab eximio Poeta qui Romanæ ſeveritatis faſtidium & Latinum ſupercilium verebatur, & ad Heroum populum loquebatur, ita componuntur ad majeſtatem Conſularem; ut, quamvis ab Aſiatica mollitie luxuque venerint, inter Furios atque Camillos nati educatique videantur, neque ſuam ullo actu Æneas originem prodidiſſet, niſi a præfractiore aliquando pietate fudiſſet crebro copiam lacrymarum; quas aliter revocaſſet, ut & hodie revocat parentum etiam & natorum in funere nativa ſoli hujus gravitas ab oculis Romanorum: ut, mirum dictu, parcant in cognatorum amicorumque morte lacrymis, qui nullis laboribus in morbo, nullis pietatis & caritatis officiis pepercerunt.

Qua meliorum expreſſione morum, hac ætate non modo Virgilius Latinorum Poetarum Princeps, ſed quivis inſtatiſſimus Vernaculorum Homero præfertur: cum hic animos proceribus induerit ſuos, ille vero alienos: & inter Poetas, non de perſonarum, quas inducunt, dignitate, ſed de imitationis veritate contendatur; nec minus conſerat expreſſio deteriorum ad præcavendum, quam melio-

(a) *Eleg.* 21. *lib.* 3.

liorum ad imi tandum: ut hinc palam Platonis arguatur livor, qui gloriam ſummorum Poetarum, quam ſuis ipſe verſibus aſſequi nequibat, ingenioſa cavillatione, per cauſam honeſtatis tuendæ, convellere conabatur.

Quamobrem varietas morum, qui carmine reddebantur, & hominum, ad quos ea dirigebantur, inter Latinam Græcamque Poeſim, non inventionis tantum attulit, ſed eloquutionis diſcrimen illud, quod præcipue inter Homerum & Virgilium deprehenditur: cum ſententias & ornamenta, quæ Homerus ſparſerat, Virgilius Romanarum aurium cauſa contraxerit; atque ad mores & ingenia retulerit eorum, qui a Poeſi non petebant publicam, aut privatam inſtitutionem, quam ipſi marte ſuo invenerant; ſed tantum delectationem: exceptis Lyricis Poetis & Elegiacis, qui eam artem verterunt in rem ſuam; & carminibus aut potentiorum, quos laudarent, aut mulierum, quas amarent, gratiam plerumque captabant.

Inter hæc & ratio in mentem ſubit, cur Græci Poeſim ante ſolutam orationem arripuerint (a): Nempe quia Sapientes, qui communi cum ceteris lingua utebantur, ut a vulgo, a quo procul ſententiis recedebant, etiam oratione diſcederent; numerum invenerunt certum & præfinitum, quo attollentes & variantes orationem, a vulgo diſtinguerentur. Quod in mentem primum venit oraculorum auctoribus; qui novitate & miraculo numerorum, divinam auctoritatem dictis ſuis tribuebant. Quamobrem vetuſtiorum Poetarum carmina ſimpliciora ſunt & placidiora: & quamvis Poetico ſpiritu introrſum exæſtuent, fluantque mira ſuavitate modulationis; tamen exteriori motu, atque complexione verborum & ſono, Rhetorum & Hiſtoricorum numeroſam orationem exemplo ſuo præiviſſe videntur. Nam antequam Rhetorum arte, in orationem ſolutam numerus commigraſſet; Poetæ ſuis numeris ſatis habebant effugere communem loquendi uſum, a quo levi qualibet pedum elatione ſecludebantur: at poſtquam Rhetores orationem etiam ſolutam a communi loquutione diſtinxere, numeris utcumque liberioribus; Poetæ, qui metri lege alligabantur, numerum ſuum extulerunt altius, orationemque validius intenderunt, ut non ſolum a vulgi, ſed a Rhetorum quoque ſermone procul irent. Hinc vetuſtiora Poemata naturæ proximiora ſunt, rebuſque ſimiliora, quas exprimunt: Hinc Lyricæ Poeſis numerus poſterior fuit heroicis carminibus; quia, priuſquam numerum aliquem ſoluta oratio ſuſcepiſſet, ſufficiebat Lyricis heroicum contorquere carmen. At poſtquam Epici numerum heroicum inflaverunt, Lyrici quærere ſibi novos & elatiores coacti fuere numeros; ne, ſi heroicos adhuc tenerent, æquis paſſibus cum Epicis viderentur incedere.

Nec numeris tantum, ſed vocabulis, atque dicendi generibus Poetæ, ne vel hac in parte prorſus cum vulgo confunderentur, excellere ſtuduerunt, adeo ut linguam non ſibi tantum pepererint, ſed & Oratoribus; qui a Poetis, quorum ſcripta præceſſerant, linguam accepere, ſelectiorem illam atque ſublatiorem longeque ſplendidiorem, utpote non e populari fæce venientem, ſed a ſublimitate Poetarum, qui veteribus aliquando vocabulis revocatis, inventiſque novis, & peregrinis etiam aliquot adſcitis, vel nativis translatione atque artificio illuminatis, rejectiſque plebeiis, cum vulgo ſenſum quidem eorum retinuere communem, ut ab omnibus intelligerentur; at ſeorſum a vulgo ſermonem protulere literarium, quo ſecum Oratores & Philoſophi, bonarumque preceptores artium uterentur.

Quamobrem Literariam linguam, Græcorum quidem, præter omnes, Homerus, Latinorum potiſſimum Ennius, & Italorum præ ceteris Dantes Aligherius condidere. Ac ſane Homerus non ex tota Græcia modo nobiliores omnes, verum & e barbaris etiam regionibus jucundioris ſoni collegit aliquot confuditque voces, quas poſterorum poſtea lenivit uſus, ut indigenarum jure potirentur. Cujusetiam Ennius exemplum imitatus, eadem libertate, cum Græcis vocabulis multis, dicendi genera Græcorum longe plura in Latinam deduxit linguam, quæ fere omnia

in

(a) *Strab lib. 1. pag. 34. edit. Amſterd.*

in recentiorum cultiorumque ſcriptorum orationem convenere; aſſiduaque conſuetudine Latinitatem ac civitatem accepere Romanam. Quod Aligherio, qui & ipſe tota ex Italia (qua illuſtrem linguam patere merito cenſebat) & ex Latino ſermone voces collegit multas, admiſſis exterarum nationum paucis, non tamen admodum feliciter proceſſit, propter muliebrem ſcriptorum, qui ei ſucceſſere, mollitiem: qua effectum eſt, ut multa ſermoni noſtro neceſſaria, quæ Dantes obtulerat, finibus excluderentur noſtris, atque uſus auctoritate deſtituerentur.

Igitur Poetarum, præter communem vulgi ſermonem, ſermo emerſit illuſtrior, ad Oratorum quoque, atque Hiſtoricorum ſcriptorumque aliorum conſuetudinem & commodum: cujus voces, etſi omnes vulgo non uſurpentur, ab omnibus tamen intelliguntur. Eumque ſermonem Grammatici ſtabiliunt exemplis, regulisque cuſtodiunt, ne vulgi volubilitate feratur atque corrumpatur; neve ingruente contagione demum intereat.

Quapropter Oratores a Poetarum oratione, a quibus ſumſere numeros & loquutiones, nonniſi libertate numerorum, & ſimplicitate loquutionis diſtinguuntur: quandoquidem curſu numerorum, uſuque verborum, propius quam Poetæ, ad vulgi conſuetudinem feruntur Oratores; utcumque a Poetis illuſtriora dicendi genera mutuentur, quæ tamen multitudinis moderantur auribus. Ac ſane integra valetudine floret Eloquentia, donec acumen cogitandi, & ornatus verborum concinnitaſque naturalem conſervat animorum communiſque ſermonis imaginem, qualem Græci Latinique ad Auguſti ævum, Itali toto Leonis X. ſeculo expreſſerunt. Cum vero inveniendi ſubtilitas, verborumque ac numerorum luxus adeo increbreſcit, ut extinguat naturæ ſimilitudinem; tum in Eloquentiæ locum ſuccedit verborum & argutiarum luxuries, ipſa barbarie abſurdior: Furenti enim eſt, quam loquenti ſimilior, quiſquis Eloquentiæ ſuæ laudem a loquentium diſſimilitudine petit. Eſt autem, ut ait Horatius, omnibus in rebus, at in Eloquentia præſertim certus ac præfinitus ab arte, ſive a ratione modus: quem qui ſubtilius inveniendo, aut exquiſitius ornando tranſierit, tota prorſus aberrabit via. Quamobrem ſicuti cibum condimentorum copia labefactat, & mulier quamvis pulcra, ſi mundo ſimplicique cultui fucum addiderit, faciem dehoneſtabit; ita & Lucanus, Statius, Plinius junior, & alii, quos deinceps habuerunt, vitiis quidem longe majores, virtutibus vero prorſus diſſimiles, utramque corruperunt Eloquentiam; dum Virgilium & Tullium, ætatemque illorum acumine mentis, & artificio cultuque verborum, vana ſpe ſuperaturi, modum ab illis poſitum exceſſerunt. Quem rectum cogitandi, ornandique modum duobus ante ſeculis cum Itali repetierimus; iidem poſtea turpiter propulimus per ſcriptores tumidiſſimos: præ quibus audaciſſimus quiſque veterum Latinorum Plautino Soſia meticuloſior habeatur.

Refluxit enim jamdiu longe inſolentius atque intemperantius apud nos in Latinam linguam turgeſcentium ſcriptorum colluvies, cum argutiarum glacie luxuque ornamentorum: quæ ſuperiori ſeculo corripuit etiam ſcriptores vernaculos, illis in ſcholis inſtitutos; qui novis verborum portentis, & inauditis numerorum tonitribus, inſaniſque translationibus Pindaricum ſcilicet, & Horatianum ſpiritum, ſimul cum ſenſibili eorum, ac prope animabili ſpirantique dictione putarunt in vernaculam linguam allaturos.

Cujus linguæ Lyrica Poeſis, utcumque traxerit a Petrarcha plurimum; illius tamen, aut imitatorum carminibus ſuſcitandis, Muſa nequaquam opes omnes exhauſit ſuas: neque ademit poſteris, novorum numerorum & loquutionum novarumque ſententiarum facultatem; etſi facultatem eam infeliciter exercuiſſent ii, qui proximo ſeculo in novam viam ſe dederunt abſque Muſarum commeatu; quique Latinorum Græcorumque imitationem aut ſine neceſſaria earum linguarum cognitione, ut inter ceteros Fulvius Teſtius; aut ſine judicio ſuſceperunt, ut Ciampolus: cui eruditio ſumma non defuiſſet, niſi maluiſſet perquam ſimilis eſſe veteribus: Marino enim, quam nemo naturæ felicitate ſuperavit, abſuit utrumque, Chiabrera vero, etſi eruditionis & judicii novorumque luminum haberet ſatis; tamen ſuamet copia merſus amiſit limam, delectumque neglexit rerum, & linguæ cultum; ut novitate ſua nihil tamen veteribus Petrarchæ imitatoribus dederit invidendum.

Quamobrem recentiores, dum Græcas Latinaſque virtutes nullis idoneis inſtrumentis ad vernaculum ſermonem traherent, & carerent arte illa veterum, qua ſcientiarum abſtruſiora ſenſibus admoventur, & corporis expertia oculis ſubjiciuntur, nova monſtra ſuſcitarunt; ac dum novas loquutiones moliuntur, novum barbariæ genus advexerunt: cum debuiſſent a Petrarcha, & imitatoribus ejus arripere dictionem, qua nulla purior, nulla floridior; & ſenſus, ac tropos, coloreſque mirificos Græcorum, ac Latinorum, ad linguam transferre vernaculam: eaque arte novum Lyricæ Poeſeos genus tradere Italis, non alium agnoſcentibus Lyricorum Principem, præter Petrarcham; qui Poeſim ſuam, Platonica, quæ tum falſo ferebatur, Philoſophia ita obnubilavit, adeoque ignotis implevit ſenſibus, ut non e circo, vel e foro, ſed e ſcholis evocare cogatur auditores. Quamobrem populares, quarum cauſa Poeſim præſertim Lyricam inventam ſcimus, non modo Petrarchæ defuerunt, ſemperque deerunt; ſed ejus etiam imitatoribus, qui hodie omnes eadem prorſus chorda oberrant, ſeque beatos putant, ſi Poetica in ſcena feliciter egerint judæum interpolatorem. Nam Caſa, qui alter haberi poſſit a Petrarcha Lyricorum apud nos Princeps, non aliud attulit, niſi vulgaribus in ſententiis novos verborum complexus, novumque iiſdem in numeris ſonum: & Bembus, Molza, ac Navagerius, cum eorum æqualibus, qui optime potuiſſent Lyricam noſtram Poeſim revocare ad Græcorum, Latinorumque libertatem ac varietatem; longe magis ad reſtituendum Latinitatis candorem, quindecim ſeculorum tenebris obrutum, quam ad tropos, modos, numeroſque novos in Italica lingua ferendos incubuerunt.

Quamobrem Itali, qui non meo, ſed multorum & quidem doctiſſimorum judicio, ſolo Dante, atque Arioſto cum veteribus non improbe contenderimus; quique uno Torquato vincimus exteros, quibus in omni Eloquentiæ genere antecellimus: Lyrica tamen Poeſi, non minus, quam Tragica & Comica, utcumque præſtemus aliis; Græcis tamen ac Latinis longo intervallo cedimus: cum præter Petrarcham, vetereſque illius imitatores, ejuſdemque præſentes deſcriptores; ſobrios alios Lyricos habuerimus nullos, neque ſperemus habituros, niſi retenta veteri dictione, adhibitoque temperamento ac judicio; quo ſimul cum dictione pura & candida veterum nugatores proximi ſeculi caruerunt, & varietatem rerum quæramus majorem, eventuſque intexamus lepidiores, ac res interſeramus Græcis Latiniſque ſimiles; animorumque motus & imagines ingeniorum, popularibus coloribus ad communem cognitionem ac ſenſum exponamus. Quod blaterones noſtri cum admodum inſulſe tentaſſent, atque infeliciter ac more ſtultorum, vitatis vitiis, in contraria cucurriſſent, utque ſterilitatem fugerent, ſupra modum intumuiſſent, adeo ætate noſtra ſtomachum hominibus integrioris judicii commoverunt; ut ad unius Petrarchæ imitationem, tamquam ad aram maximam, ſecuritatis cauſa, ſe retulerint: repetentes toties ab aliis recantata, ne aliam ineuntes viam, in illorum inauditas ineptias delaberentur, quaſi lyricum carmen vernacule modulaturus aut redditurus aliena ſit, aut cum Achillino, Baptiſta, & Artalio debacchaturus. Nam Rhedius, Filicaja, Magius, Lemenius ſcientia quidem & eruditione præſtantes; tamen ut novorum inſignioribus vitiis, ita & præcipuis veterum virtutibus caruerunt.

Inventus vero eſt hoc ævo Alexander Guidus, noſter amiciſſimus, qui primus mortalium tollere contra ſit oculos auſus; primuſque novorum inſolentiam candore atque caſtitate veteris locutionis, & imitatorum ſervitutem moderata elatione ſpiritus & colorum novitate declinarit. Eum excepere novi cœtus Arcades, qui & ipſi Latina Vernaculaque lingua Lyricam Græcorum inter nos, Latinorumque Poeſim novo ſpiritu fundunt; quos inter ii, quos nos Juriſprudentia potiſſimum, & in ſolemnibus vacationibus Eloquentia excolendos ſuſcepimus; & quotquot denique rectam intelligentiam, rectumque uſum Poeticæ noſtræ Rationis aſſequuntur: Quam Poeticam Rationem non minus ad malos Poetas amoliendos edidimus; quam ad diſſolvendos ingeniorum laqueos, a vulgaribus præceptis, falſiſque judiciis contextos. Sed quoniam illis in libris nimium verbis pepercimus, minuſque conſuluimus imbecillioribus, quibus inſidiæ ten-

tenduntur, erroreſque objiciuntur a præſentibus Poeticarum ſordium collectoribus, a quibus eadem incogitantia, qua carmina propria effutiunt, de carminibus judicatur alienis; minime patiemur hoc Italiæ dedecus excurrere latius: eoſque non ſine fraude, dolove malo ſe alioſque decipientes peculiari Dialogo, eorum cauſa, vernacule ſcribendo, quam poſſumus humaniſſime admonebimus; eoſque benevole docebimus, quanto difficilius ſit recte judicare, quam confuſe atque immodice ſcribere.

Tu vero, Maffei jucundiſſime, qui ſcriptis tuis Nobilitatis Diſciplinam, falſa virtutis imitatione, abſurdaque ſpecie honoris prolapſam, ad rationis normam revocaſti, has habe paucas de Diſciplina Poetarum animadverſiones: quas hic tibi perſuſorie collegimus, ut hac occaſione ſcribendi benevolentiam erga nos aleremus tuam; & noſtri erga te obſequii qualecumque hoc tenue argumentum præberemus. Vale.

Romæ Kal. Jan. MDCCXII.

LATINA CARMINA.

AD PAULUM DORIAM

JAMBI.

O Paule, noſtri magna ſecli gloria,
Qui mente celſa pervolas ad Sidera,
Et præter omnes diligis Vincentium;
Quem doctiores laudibus ſurſum efferunt,
At phormiones obruunt calumniis:
Quicquid meis objecerint Tragœdiis,
Horum latratus, quæſo, tanti feceris,
Quanti Deorum ſumma pendunt Numina,
Qui ſcripta noſtra, quique vitam carpſerint.
Nam pudorem quicumque, qui Jovem colunt,
Neque improbas adſcripſerint ſententias
Probis, neque ulla mentiantur crimina:
Et qui carent livore, qui dimiſerint
Vanas ſcholarum futileſque regulas;
Si quando fontes ebibant Ellenicos,
Nil Atticis invenient affinius:
Nec prodiiſſe dixerint vernacule
Rotundius Poema vel ſublimius
(Sublime ni cum turgido confuderint)
Seu verba ſpectes, ſeu metri pondus novi.
Sed forte carmen congruentius lyra.
Stulte quis expectabat a Tragedia;
Quæ fabulantes redditura Principes,
Natura quos humana non reliquerit,
Contortiora vitat, & procul ſita
A mente moribuſque colloquentium:
Quod cum Poeta Cordubenſis ſpreverit,
Auctoritate, quam meretur, plurima,
Novam loquelam pectore expromſit ſuo,
Quam non Latina ſcena, non Grajum dabat:
Is inde rexit omnium ſententias;
Sed malo mores, quam ſtilum regat meum.
Qui primus in theatra duxit Oedipum,
Medeam, & alter, qui furentem detulit,
Et cum Latinis ipſe princeps Ennius
(Fragmenta quantam pauca nobis indicant)
Ornant pudice, transferuntque ſobrie.
Nam ſi figuris uterentur parcius,
Intenſiore ſi metro conſurgerent,
Veros colores tollerent ſententiis:
At cui Latina verba ſunt faſtidio,
Quæ ſparſa noſtris offeruntur verſibus,
Quo res vocarit, atque faſtus regius;
Expectet ille donec emendaverit
Longa palatum lectione prologi,
Qui corrigendis ſcriptus eſt erroribus,
Et expiandis Italorum plurimis:
Sed, ſi ſaluti præferent amentiam,
Deliriis fruantur, ut lubet, ſuis.
Nos certe eorum non egemus laudibus,
Qui judicarunt antequam cognoſcerent:
Ineruditis namque qui non diſplicet
Placere doctis ille ne ſperaverit.
Et ſi vetuſta ſæpius poemata
Latina, ſive Græca, quis evolverit;
Statim probabit quod probaverat minus;
Si livor illi non obumbret lumina.
Nam, delicatum quæ poema læderent,
Severitati congruunt Tragœdiæ,
Quæ militares efflat ore ſpiritus,
Modoſque ſæpe, & verba captat horrida.
Quin, ipſa lex ni juſſerit poematis,
Vitare nullo quiveram negotio,
Siqua palata mordeant tenellula.
Sed quæ forent jucunda ſanioribus,
Ægris movere ſæpe nauſeam ſolent:
Et quiſquis aures educavit barbare,
Orationem ni tumentem viderit,
Niſi obſtupentes rima ſenſus excitet,
Nullum Poeſis noverit veſtigium:
Namque omne mentis lumen uſus abſtulit,
At cuncta, tu qui mente ſana perſpicis,

Mo-

Modos probaſti, & carminis leges mei,
Quod dictione ſurgit, atque perſonat,
Imago quantum veritatis manſerit.
Sed ipſe ſtultus, qui velim defendere,
Quæ nuntiantur doctiorum legibus,
Quos unice vocamus ad Tragœdias:
Solventur horum plauſibus calumniæ,
Auctoribus, quæ decidunt, cadentibus;
Ut arbores, radice vulſa, concidunt.
Nam non Homero defuerunt æmuli:
Maro latratus perferebat ruſticos:
Neque abſtinebat Flacco ineptus Mævius.
Sed doctiora ſcripta, pulſis æmulis,
Ut vina clarent, quando fæces ſubſident.
Et, quæ juventus floret, illis mortuis,
Sententiis imbuta ſanioribus,
Exuta pectus lividorum tenebris,
Ad aſtra tollit, quidquid error protulerat:
Nam Falſitati Juppiter curſum brevem;
Dies at omnes Veritati præſtitit.

JANI VINCENTII GRAVINÆ

BIBLIOTHECA.

SACRA BIBLIA.

CORPUS JURIS CIVILIS.

Heſiodus.	Plautus.
Sophocles.	Terentius.
Euripides.	Lucretius.
Ariſtophanes.	Virgilius.
Pindarus.	Horatius.
Herodotus.	Ovidius.
Thucydides.	Catul. Tib. Prop.

PLATO. HOMERUS. CICERO.

Xenophon.	Cæſar,
Ariſtoteles.	Salluſtius.
Demoſthenes.	Nepos.
Iſocrates.	Livius.

Divina quiſquis & ſtudet Mortalia,
Velit loquela quiſquis omnes vincere,
Civile Corpus Juris, & Sacros Libros,
Platona, Homerum, Tulliumque *perpetuo*
Evolvat; illis & frequentet additos:
Doctos adibit ceteros per otium.

OPUSCULORUM DEDICATIO.

INNOCENTIO DVODECIMO
PONT. OPT. MAX.
PAVPERVM. PARENTI.
VETERIS. DISCIPLINAE. VINDICI
PVBLICAE. TRANQVILLITATIS. AVCTORI
PER. QVEM
PRECIO. ET GRATIAE
DIGNITATES. EXEMTAE
HONORVM. SORS. ADDICTA.
VIRTVTI
PRISCA. FORI MAIESTAS
ET
IVDICIORVM. SEVERITAS
INSTAVRATA
I. VINCENTIVS. GRAVINA
SVAS. HASCE. LABORVM.
PRIMITIAS
VENERABVNDVS
DICAT. CONSECRATQVE.

ORATIONUM DEDICATIO.

FRANCISCO. PIGNATELLO
E. DECIBVS. VIBONENSIBVS. S. R. E. CARD.
ARCHIEPISCOPO. NEAPOLITANO
SACRIS. ET. CIVILIBVS. REBVS.
DOMI. FORISQVE. GERVNDIS
MAGNIFICENTIA. PIETATE. SAPIENTIA
NVLLI. SECVNDO
I. VINCENTIVS. GRAVINA
CVM. NIHIL. NON EI. DEBEAT.
ORATIONES. HASCE. NOVEM
DICAT. CONSECRATQVE.

RE-

Digitized by Google

RECEPTIORIS

JURIS SPECIMEN,

SIVE INSTITUTIONUM IMPERIALIUM EX USU NOSTRORUM TEMPORUM

LIBER I.

QUI EST DE PERSONIS.

TITULUS I.

De Jure Perſonarum.

JUS Perſonarum eſt Status, ſive Conditio hominum: qui vel Liberi ſunt, vel Servi. Ex liberis alii naſcuntur, alii fiunt. Qui naſcuntur appellantur Ingenui; qui e ſervis fiunt liberi appellantur Libertini. Ut autem rectius intelligatur, qui ſint liberi, qui vero ſervi, tradenda eſt libertatis, & ſervitutis definitio. Libertas eſt Naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, niſi vi, aut jure prohibeatur (*a*). Libertas igitur accipienda eſt de homine permanente in civili ſocietate, ubi naturalem agendi libertatem civilis honeſtas ex legum præſcripto moderatur: Servitus vero eſt Conſtitutio Juris gentium qua quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur: Refertur autem ad Jus gentium, quia non ſolum apud Romanos; ſed etiam apud alias gentes ſervitus fuit inſtituta: & quidem contra naturam, quia nemo ſervus eſt, niſi per vim; naturaliter enim quilibet liber manet.

Servi fiunt homines tribus modis. I. Per Captivitatem, cum quis ab hoſtibus in bello capitur. II. Per Nativitatem, cum quis e muliere ſerva naſcitur. III. Ex Jure Civili, cum quis major viginti annis ſciens prudenſque ſeſe vendit ad participandum precium: qui propter fœditatem viliſſimi animi a Jure Civili perpetuæ ſervituti ſubjicitur; cum libertatem, rem inæſtimabilem, precio permutaverit.

(*a*) *L. 4. D. de Stat. hom.*

TITULUS II.

De Ingenuis.

INgenuus eſt qui naſcitur liber. Ut autem quis liber naſcatur, ſatis eſt ſi matrem habeat liberam: patris enim conditio non inſpicitur. Et ſatis ſi mater libera fuerit aliquo ex tribus hiſce temporibus, nempe conceptionis, aut partus, aut medio tempore inter conceptionem & partum (*b*).

TITULUS III.

De libertinis.

Libertini ſunt qui ex juſta ſervitute liberantur, ſive manumittuntur, ut fiant liberi: Manumiſſio enim eſt Datio libertatis, quaſi Emiſſio e manu, ſive e poteſtate.

TITULUS IV.

De his qui ſui, vel alieni Juris ſunt.

SEquitur liberarum perſonarum alia diviſio; inter ſervos enim nulla eſt differentia, nam omnes ſunt æque ſervi, omnes æque libertate & civitate carent; quamvis plus, minuſve oneris alter altero ferat. Liberorum autem hominum alii ſunt ſui, alii vero juris alieni: Sui juris ſunt qui caput ſunt ſuæ familiæ, neque ullius poteſtati ſubjiciuntur; qualis eſt filius emancipatus, vel patre privatus: Juris vero alieni ſunt qui patris poteſtati ſubjiciuntur quales ſunt filii familias, qui veteri Jure Civili erant inſtar ſervorum. Unde a parentibus impune occidi, aut venundari poterant. Nunc autem quamvis tale jus patriæ poteſtatis fuerit imminutum; relictum tamen eſt parentibus jus in bona filiorum, & morum correptio atque coercitio; in qua conſiſtit hodie patria poteſtas: cui non modo ſubjicitur filius, ſed nepos, nempe filii filius, & qui deinceps progenerantur, dum procedant ex filio maſculo: nam qui deſcendunt ex fœmina, ſubjiciuntur marito filiæ patri nempe ſuo; non au-

(*b*) *L. 7. D. de Stat. hom.*

autem avo materno.

TITULUS V.

De nuptiis.

ORitur autem Patria poteſtas vel Naturaliter, vel Civiliter. Naturaliter ex Procreatione filiorum per juſtas nuptias: Civiliter ex adoptione, vel legitimatione. Unde prius de nuptiis dicemus. Nuptiæ, ſive matrimonium eſt viri & mulieris conjunctio individuæ vitæ conſuetudinem continens. Hujuſmodi contractus cum a Jeſu Chriſto Domino noſtro ſublatus fuerit ad dignitatem Sacramenti, exemtus eſt e poteſtate Juris Civilis; & prorſus redactus ad normam Juris Canonici, cujus eſt ea, quæ ad Sacramenta pertinent, explicare. Ideo ſuſius de his in inſtitutionibus Juris Canonici: contentique hic erimus aliqua breviter perſtringere.

Non inter omnes igitur perſonas nuptias contrahere licet: ac I. Vetantur nuptiæ inter impuberes, qui Jure Civili æſtimantur ab annis, qui in maſculis ſunt quatuordecim, in fœminis duodecim: Jure vero Canonico ab habitu corporis, & potentia coeundi II. Prohibentur inter conſaguineos, & affines uſque ad quartum gradum de Jure Canonum in tranſverſalibus; in linea autem recta in infinitum.

Conſanguinitas, ſive cognatio eſt Nexus perſonarum ex eodem ſtipite deſcendentium, ut fratres, & fratrum filii, & denique omnes, qui ad unum ſtipitem reducuntur. Diſtribuitur vero cognatio in lineas, linea in gradus. Linea eſt Ordinata ſeries perſonarum ſanguine conjunctarum: Gradus ſunt perſonarum generationes, quibus tanquam punctis linea componitur: dicunturque gradus, quia illorum ordinatio ſurſum; & deorſum ſcalam quodammodo præſefert. Linea duplex eſt Recta, & Tranſverſa. Recta ſimiliter eſt duplex, nempe aſcendentium, ſive generantium, & deſcendentium, ſive eorum, qui ſint progeniti. Tranverſa eſt eorum, qui ab eodem ſtipite diverſis lateribus pendent & efflorescunt; unde & Collateralis nuncupatutur, in qua ſunt fratres, fratrum filii, & qui ſunt deinceps. Eſt item linea Tranſverſa duplex: Æqualis; hoc eſt eorum, qui a communi ſtipite paribus diſtant intervallis, ut ſunt duo fratres & duorum fratrum filii: & Inæqualis, eorum nempe, qui intervallis diſtant imparibus, quorumque ſurſum alter fertur, alter deorſum; ut fratris filius & patruus, ſcilicet patris frater. Ut autem cognoſcatur, quoto gradu quiſque ſit, exponenda eſt ratio graduum computandorum.

Atque in linea quidem recta tam aſcendentium, quam deſcendentium quælibet perſona unum conſtituit gradum. Unde filius patri eſt in primo gradu; nam in hac linea tum jure Civili, tum Canonum tot numerantur gradus, quot ſunt perſonæ, una demta. Unde quia demto patre, ſupereſt filius, qui eſt una perſona; ideo pater ac filius conjuncti, exiſtunt in primo gradu: & quia avus, filius, & nepos tres ſunt perſonæ, ex quibus, una demta, ſuperſunt duæ; ideo avus & nepos ſunt in ſecundo gradu, & ſic deinceps.

In linea vero tranverſa longe aliter numerat Jus Civile a Jure Canonum: Nam Civile non agnoſcit primum gradum in tranſverſalibus, cum tot gradus excitet, quot ſunt generationes: Unde frater & ſoror, quia ſunt duo generationes, inter ſe ſecundo gradu conjunguntur. At Jure Canonico gradus ita in linea tranſverſa computantur: Quoto gradu perſonæ diſtant a communi ſtipite, eodem diſtant inter ſe. Quoniam igitur duo filii uno gradu diſtant a communi patre; uno gradu inter ſe diſtabunt: & quia nepotes, ſive eorum filii ab avo duplici gradu diſtant; duplici etiam gradu diſtabunt inter ſe: hinc patrueles Jure Civili ſunt in quarto gradu, Jure vero Canonum in ſecundo.

In linea vero tranſverſa inæquali hanc tradit regulam Jus Canonicum: Quoto gradu remotior diſtat a communi ſtipite, eodem diſtant inter ſe. Itaque filius diſtat a patruo, nempe a patris fratre in ſecundo gradu; quia duobus diſtat gradibus ab avo, nimirum patre patrui ſui; quamvis patruus a communi ſtipite, nempe a patre ſuo unico diſtet gradu.

Affinitas eſt Conjunctio diverſarum cognationum, quæ ex copula oritur, ex qua conſanguinei uxoris evadunt affines vi-

viri; & conſanguinei viri evadunt affines uxoris: quia cum vir & uxor per concubitum fiant una caro; conſequens eſt, ut unius cognatio in alteram transfundatur. Igitur qui conjunctus eſt viro in quarto gradu conſanguinitatis, in eodem affinitatis gradu conjunctus erit uxori: ac proinde viro mortuo, illum conjugem habere prohibetur. Hæc autem prohibitio viget inter unum ex conjugibus & cognationem alterius: non vero inter ipſas perſonas duarum cognationum. Quamvis ergo pater cum aliqua muliere coiverit: filius illius patris non prohibetur cum filia mulieris ex alio viro ſuſcepta contrahere.

Vetantur jure Civili nuptiæ, a quibus abeſt conſenſus parentum: hodie vero per Concilium Tridentinum ea neceſſitas ſublata eſt (a).

TITULUS VI.

De Adoptionibus.

NAſcitur ſecundo Patria poteſtas ex Lege, nempe per Adoptionem. Eſt autem Adoptio legitima ratio, qua qui filii natura non ſunt, per legem tales efficiuntur. Eſtque duplex: Alia quæ dicitur Adrogatio, cum ſcilicet adoptatur is, qui eſt ſui juris, quique patriæ poteſtati non ſubjacet, ſive qui eſt paterſamilias; quod genus venit ſub generali Adoptionis nomine: Alia dicitur Adoptio in ſpecie, quæ ſcilicet nomine Adoptionis ſpecialiter venit; nempe cum adoptatur is, qui ſubjacet poteſtati patris naturalis, ſive homo alieni juris. Adrogatio fit ex conſenſu ipſius adrogati, vel curatoris ejuſdem, ſi eum habeat; & fit per reſcriptum ſive conceſſionem Principis, in quem translatum eſt jus Populi: quia ante ſtatum Monarchicum tempore Reipublicæ ex univerſi Populi ſuffragio adrogatio peragebatur. In Adoptione vero in ſpecie requiritur conſenſus ipſius adoptati, & patris naturalis, ſub cujus poteſtate exiſtit: ſufficit vero ſi ſit tacitus, & fiat Adoptio ante Magiſtratum; cum ſit actus ligitimus, ſive ſolemnis.

Olim quælibet Adoptio, ſive fieret ab avo materno, ſive ab extraneo, ſolvebat poteſtatem patris naturalis, transferebat adoptatum in poteſtatem patris adoptatoris: hodie vero tranſit tantum in poteſtatem patris adoptantis is, qui adoptatur ab avo materno, vel alio ex majoribus ſuis: reditque in poteſtatem patris naturalis ſolum, ſi emancipetur a patre adoptivo: ſi vero quis adoptetur ab extraneo, in illius poteſtatem non incidit, nec ſolvitur a poteſtate patris naturalis, neque jus ſucceſſionis in patris naturalis bonis amittit; ſed tantum conſequitur, ut decedente ab inteſtato patre adoptivo, ad legitimam ejus ſucceſſionem admittatur. (b)

Adrogatus vero ſine ullo prorſus diſcrimine, ſive a perſonis neceſſariis, ſive ab extraneo adrogetur, in poteſtatem tranſit adrogatoris ipſe ſimul & filii ſui, qui adrogatori ſunt loco nepotum (c). At ſi adrogetur impubes, facienda eſt adrogatio cauſa cognita; an ſcilicet ex honeſta cauſa quis adrogetur, & debet adrogator cavere per fidejuſſores, ſe, ſi adrogatus moriatur impubes, bona reſtituturum iis, qui in morientis bona ſuccederent, ſi adrogatio facta non eſſet (d). Quod ſi adrogatus emancipetur, aut ſine cauſa exheredetur, non ſolum recuperabit bona ſua in adrogationis domum translata; verum etiam quartam partem bonorum adrogatoris conſequetur. (e)

Quoniam autem adoptio imitatur naturam; ideo qui per naturam filios habere nequeunt, neque illos per legem habere poſſunt. Non poſſunt igitur adoptare, niſi qui octodecim annis præcedant adoptatum: nam communitus ante hanc ætatem homines non ſunt ad generationem habiles. Ob eandem rationem adoptare nequeunt caſtrati: (f) Spadones vero, qui ob accidentale aliquod vicium impediuntur, non ex natura, jus habent adoptandi; quia ſublato vicio poſſunt ſpem prolis recuperare. (g) Tam autem in locum filii permiſſum eſt adoptare; quam in locum nepotis, pronepotis, aut ſequentium. Per legem vero adoptare impediuntur fœminæ: cum capaces non ſint patriæ poteſtatis; hoc

(a) *Seſſ. 24 c. 1. de Reform. matrim.*
(b) *L. penul. C de Adoptionibus.*
(c) *L. 15. 40. D. adopt.*
(d) *L. 17. in fine & ſeq. D. de Adopt. l. 2. C. eod.*
(e) *L. ult. D. ſi quid in fraud.*
(f) *L. 16. D. Adop. l 39. D. Jur. dot.*
(g) *L. 128. D. Verb. ſignif.*

eſt liberos in poteſtate habere non poſſint. (*a*) Poſſunt tamen adoptare ex indulgentia Principis viduæ, ob ſolatium amiſſorum liberorum. Tutor præterea pupillum ſuum adoptare non poteſt ob fraudis ſuſpicionem.

Tertia ratio inducendæ poteſtatis, quæ fit etiam per legem, eſt Legitimatio, quæ hodie fit vel per ſubſequens matrimonium; cum quis nempe uxorem ducit concubinam, ex qua liberos ſuſceperat: qui cum naturales eſſent, poſtea per matrimonium fiunt legitimi; (*b*) Vel fit legitimatio per Principis reſcriptum, quando deſunt liberi naturales & legitimi; tunc enim Princeps concedit, ut naturalis filius legitimus fiat. (*c*)

TITULUS VII.

Quibus Modis Patria Poteſtas ſolvatur.

EXIT filiusfamilias e poteſtate patris. I. Per Mortem Naturalem ipſius genitoris; mors enim, ut omnia, ita & hoc etiam vinculum ſolvit. II. Per Mortem Civilem ſive patris, ſive ſuam: nempe ſi ob delictum pater, vel ipſe filius deportetur in inſulam: tum enim, ademto jure civitatis Romanæ, adimitur etiam communicatio Juris Civilis, ſine qua patria poteſtas non conſiſtit. III. Per ſummam dignitatem impetratam a filio: item per Epiſcopatum & Cardinalatum. IV. Per Captivitatem patris, aut filii: per quam adimitur civitas Romana, & conſequenter patria poteſtas Romanorum. V. Denique per Emancipationem, ſive abdicationem patriæ poteſtatis coram competenti judice.

TITULUS VIII.

De Tutelis.

TRanſeamus nunc ad aliam diviſionis partem, quæ illorum eſt, qui ſunt ſui juris: quorum aliqui in nullius tutela ſunt, aliqui ſub tutela.

Tutela eſt Vis & poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem ſe defendere nequit, Jure Civili data & permiſſa: Eſt autem triplex Teſtamentaria, Legitima, & Dativa. Tutela Teſtamentaria eſt illa, quæ venit ex teſtamento illius, qui filium, vel nepotem habet in poteſtate, cui permittitur certam perſonam tutorem relinquere in teſtamento, vel codicillis. Matres vero, cum filios non habeant in poteſtate, nequeunt relinquere illis tutorem, niſi eos heredes ſcripſerint; tum enim relictus ab eis tutor confirmatur a Prætore, præmiſſa cauſæ cognitione (*d*). Pater autem dare tutorem poteſt etiam filio exheredato: quia tutoris datio magis in filii, quam in patris beneficium cedit: cum filii ſecuritati pee ejus dationem proſpiciatur: Emancipato autem pater tutorem dare non poteſt: ſed datus, eſſet a Prætore confirmandus; & quidem ſine cognitione cauſæ, quia pater recte cenſetur ſuis liberis proſpexiſſe. (*e*)

Dari autem tutor poteſt non modo paterfamilias, ſed etiam filiusfamilias: Tutela enim eſt munus publicum, a quo patria poteſtas non excuſat (*f*). Darique tutor poteſt ex certo tempore, & ad certum tempus: nempe, ut incipiat poſt elapſos tres annos, ex. gratia, a die mortis teſtatoris; & ut deſinat ad quadriennium. Non poteſt autem dari certæ rei, vel certæ cauſæ: ſed debet dari omnibus; quia tutor tam datur rebus, quam perſonæ a tutore regendæ. (*g*)

Tutela Legitima eſt illa, quæ, deficiente Teſtamentaria, defertur ex diſpoſitione legis agnatis, & conſanguineis proximioribus, qui, ſervata gradus prerogativa, debent tutelam ſuſcipere: cui enim defertur ſucceſſio ab inteſtato, eidem ſpectat & onus tutelæ; rejectis fœminis, quibus hoc munus non convenit, cum ſit virile: excepta matre, cui hoc ex liberorum caritate conceditur; ita ut præferatur ceteris conſanguineis: deficiente vero matre, defertur aviæ. (*h*)

Tutela Dativa eſt illa, quæ, deficiente teſtamentaria, vel legitima, datur a Magiſtratu, qui pupillis omnibus eſt loco parentis. Tenetur autem tutor finita tutela rationem ſuæ adminiſtrationis reddere; tam de

(*a*) *L. 5. C. Adop. cum concord.*
(*b*) *L. 5. 10. 11. C. de Natur. liber.*
(*c*) *Novell. 74. & 89. c. 9. & L. 7. C. de Natur. liber.*
(*d*) *L. 1. C. de Confirm. tut.*
(*e*) *L. 1. D de Confirm tut.*
(*f*) *L. 9. D. His qui ſunt ſui &c.*
(*g*) *L. 12 D. de Teſtam tut.*
(*h*) *Nov. 94. c. 2. Auth. Matr. & avia Cod. Quando mulier.*

de damno illato, quam de lucro prætermiſſo, præcavendo dolum & culpam. Quamobrem, antequam aggrediatur adminiſtrationem, debet tutor cavere, jurejurando dato coram judice, de curando commodo, & vitando damno pupilli; conficereque debet deſcriptionem omnium bonorum ipſius pupilli, quod Inventarium appellatur.

Suſcepta tutela, nihil geri poteſt cum pupillo, niſi cum auctoritate tutoris, ſine qua poteſt quidem pupillus meliorem reddere conditionem ſuam; ſed non deteriorem: ita ut obliget alios ſibi, ſed non ſe aliis. Debet autem tutoris auctoritas intervenire tempore ipſius negocii, dum geritur, ſive dum res calet, ut contractus valeat: vel ſtatim eo perfecto, dummodo alius actus non interponatur. (*a*) Si autem interea lis inter tutorem & pupillum oboriatur, tutori adminiſtratio interdicitur, & interea datur curator.

TITULUS IX.

Quibus modis Tutela Finiatur.

Finitur autem Tutela. I. Morte Naturali, II. Morte Civili, nempe deportatione ob grave crimen. III. Servitute. IV. Adrogatione, ſi nempe pupillus adrogatur: tum enim tranſit in poteſtatem adrogantis: ideoque, cum ſit ſub patria poteſtate, tutela deſinit. V. Pubertate pupilli, ſi ſcilicet maſculus ad decimum quartum; fœmina vero ad duodecimum annum pervenerit. VI. demum Remotione; cum ſcilicet tutor a judice ob ſuſpicionem fraudis removetur: & Excuſatione, ſi tutor juſta cauſa ſe excuſat ab hoc onere.

TITULUS X.

De Curatoribus.

Finita tutela, incipit Curatio, ſub qua degunt minores XXV. annis vel alii, qui propter imbellicitatem conſilii, aut impedimentum corporis nequeunt res ſuas adminiſtrare. Eſt autem Curatio, Vis & poteſtas ad tuendas res illius, qui ſuis negociis non ſufficit. Ex qua definitione intelligitur, tutorem dari perſonæ; curatorem vero negociis & bonis; tutelam eſſe præſidium ætatis; curationem vero eſſe munimentum imbellicitatis. Unde alii curatorem non accipiunt niſi volentes, uti ſunt adoleſcentes, nempe minores vigintiquinque annis, qui nonniſi in litem coguntur inviti curatorem (*b*) accipere (quamvis hodiernis moribus acceptum ſit, ut in univerſum etiam invitis detur): Alii vero curatorem accipiunt etiam inviti in omnibus cauſis, quales ſunt furioſi, mente capti, & prodigi: quibus curator durat, quoad durat vicium mentis & corporis; in adoleſcentibus vero uſque ad finem ætatis minoris: In ceteris generaliter quæ dicta ſunt de tutoribus, locum etiam obtinent in curatoribus.

TITULUS XI.

De Excuſationibus Tutorum.

Excuſatio eſt Allatio juſtæ ac legitimæ cauſæ, qua quis ſe eximit ab onere tutelæ: Quæ cauſæ multæ ſunt. I. Eſt Numerus liberorum legitimorum, & naturalium viventium, vel in bello cæſorum; qui numerus trium eſt [*c*] Romæ, in Italia quatuor, in Provinciis quinque. II. eſt Adminiſtratio rerum fiſcalium. [*d*] III. Abſentia reipublicæ cauſa, ſive cum quis abeſt a patria, ut reipublicæ negocia gerat. [*e*] IV. Summus honor cum magiſtratu conjunctus. V. Lis cum ipſo [*f*] pupillo ſuſcepta de omnibus bonis: nam ſi ſuſcipiatur ſuper certis bonis, & certo negocio, datur ſuper ea re curator, donec lis duret cum tutore. [*g*] VI. numerus trium tutelarum. [*h*] VII. Inſignis paupertas tutoris. VIII. Valetudo imbecilla. IX. Imperitia literarum. X. Odium & injuria teſtatoris. XI. Inimicitiæ capitales cum patre pupilli ſuſceptæ, atque geſtæ, necdum compoſitæ. XII. Ætas major in tutore annis LXX. [*i*] XIII. Militia. XIV. Profeſſio Artium liberalium. Proponenda vero eſt accuſatio intra L. dies, ex quo ſcien-

 tiam

(*a*) *L. 9. § ult. D. Auct. tut.*
(*b*) *L. 4. C. de Auct. præſt. L. 2. C. Qui leg. perſ. in judic.*
(*c*) *L. 1. C. Qui num. liber. excuſ.*
(*d*) *L. 8. §. 1. D. Vacat. mun.*
(*e*) *L. 32. 35. 38. D. Ex quib. cauſ. major.*
(*f*) *L. 15. & 17. D. de excuſ. tut.*
(*g*) *L. 20. & ſeq. D. de Excuſ. & l. 26. Cod. eod.*
(*h*) *L. 1. C. Qui num. tut.*
(*i*) *L. unic. C. Qui ae.*

tiam oneris ſibi relicti curatores, vel tutores [a] habuerint: Intra quod tempus ſi allegatam cauſam non probaverint; poſſunt alias proponere, quatenus fortaſſe habeant.

TITULUS XII.

De Suſpectis tutoribus, vel curatoribus.

TUtores vel curatores, qui ſe doloſe gerunt in adminiſtratione, ſunt a Magiſtratu revocandi. Accuſare autem ſuſpectos tutores poſſunt etiam fœminæ, ſi ex earum numero ſint, quas ratio caritatis ad id impellat, quales ſunt mater, nutrix, avia, ſoror pupilli. Removentur autem impuberes, qui ſuos tutores accuſare non poſſunt, propter inopiam conſilii: Quamvis puberes poſſint ſuos curatores accuſare.

Suſpectus autem eſt qui malæ fidei ſuſpicionem præbuit, ſive in actu adminiſtrationis, ſive ex præcedenti fama, & moribus: Item qui præſto non eſt, neque adeſt negociis pupilli, ubi eſt neceſſitas: vel qui tutelam emit, oblata pecunia.

Oppoſita vero ſuſpicione, ſtatim tutori adminiſtratio interdicitur; & ejus loco adſumitur curator, cui bona pupilli committuntur.

Finis libri primi, qui eſt de Perſonis: Reliqui vero deſiderantur.

ENCYCLIA EPISTOLA

AD POPULUM, ET CLERUM NEAPOLITANUM.

NOMINE CARDINALIS FRANCISCI PIGNATELLI.

Cum Neapolis Archiepiſcopus eſſet renunciatus.

QUam ſit arduum ſuſcipere ſalutem populorum, & apud Deum aliena facta, moreſque præſtare; non modo multorum exempla; verum etiam proprio decem & octo annorum periculo comperimus, quos in Eccleſiæ Tarentinæ regimine indigne tranſegimus. Virtutes enim communes, ex ingenio proficiſcentes & natura ſingulorum, qua ſemel moverunt via, eadem porro contendunt. Paſtorales vero diſcrepantibus ingeniis obviam euntes, varias oportet eſſe atque verſatiles, ductileſque ad opem ac neceſſitatem univerſorum; veluti rivum diverſis flexibus ad diſſimilium plantarum alimenta diſcurrentem. Ut virtutes quidem ceteræ cohærere ſibi, atque conſentire; Paſtorales vero diſcrepare invicem ac repugnare videantur iis, quorum acies non progreditur ad communem earum radicem Caritatem ſub ancipiti vultu latentem, ſeque in diſpares proferentem ramos: e quibus inſtitutionem divini Miniſtri D. Paulus mire contexuit: cum nobis præcepit, ut ſimus in præcavendis inſidiis & offendiculis declinandis tamquam ſeductores; in doctrina vero candide ac ſine fuco tradenda veraces: item ad inanis gloriæ fugam ſicut ignoti; ad exemplum vero aliorum ut cogniti: ad placandam hominum invidiam quaſi morientes; ad ſingulas vero fidei promovendæ occaſiones continuo reviviſcentes: in adverſitatibus ut caſtigati; at perferendo minime mortificati: in arguendis vitiis quaſi triſtes; in impetranda tamen venia quaſi gaudentes in propria victus parſimonia ſicut egentes; largitionibus vero noſtris multos locupletantes: in abdicatione rerum humanarum tamquam nihil habentes; in divinarum vero fiducia tamquam omnia poſſidentes. Cujuſmodi ſtudiis Epiſcopi dum bonis placemus, malos autem extirpatione vitiorum exaſperamus; inter infamiam oportet & bonam famam patientiſſime verſemur.

Ac ſi hæ, aliæque Paſtorum dotes ab eodem Apoſtolo alibi mirabiliter expreſſæ, literis tantum continerentur, e ſolis exemplis veterum producerentur ad noſtrorum lucem temporum; poſſemus ætatem & ſeculi mores excuſare, atque in eos transferre culpam noſtram: quaſi diſciplina præſens non exigat ad liquidum Apoſtolicorum temporum ſapientiam, & ſobrietatem. Verum quod populis unice gaudendum, Præſulibus vero, ac mihi præſertim omnium imbecillimo gaudendum pudendumque ſimul; quas Paſtores alii virtutes carptim attigerunt, eas divinis ſuis operibus in

(a) L. 38. D. de Excuſ. tut.

Digitized by Google

integras reddidit, atque inter hanc civilium & naturalium quaſſationem rerum, e ſeculorum nubibus eduxit ipſemet Paſtorum Princeps (*): cujus e manu dum veſtrum omnium regimen accipimus, exaudimus animo ſonum divinæ vocis nos admonentis, ut veluti parentem proles; ita & nos totius imagine vitæ Auctorem referamus noſtrum: quas inter cogitationes eſſemus omnino pudoris expertes, niſi totis animis concideremus. Ab unius enim perſona, tamquam ab ſtirpe bonorum omnium, occurrentem habemus oculis Evangelicam omnem innocentiam; omnemque veterum Patrum virtutem in ſcriptis factiſque illius divinitus reflorentem videmus, referentemque ſecum veterem diſciplinam: ut quod longa calamitate diffluxerat, vertenti triennio feliciſſime remigrarit; quaſi Deus omnium damna ſeculorum ad ea tempora contraxerit, quibus meditatum ab aliis, præſentaneum tandem remedium invenirent in illius manu Pontificis: cujus lenitate tam ſuaviter animi pertractantur; ut luxus & inanes faſtus diu ac teneriſſimis voluptatum nexibus hærentes ultro dimiſerint; cujus leges non metu, ſed amore ſanciuntur in cordibus populorum; cujus denique oratio cœlos libere permeans, ei tale a Deo ſuper elementa imperium detulit; ut reprimendis fluminibus pluvias medio in aere ſuſpenderit; ac Terram vel reſultantem, oppidaque ſibi & urbes excutientem ſuis in ſedibus continuerit: vel fauces pandentem, oneraque ſua prope devorantem repente compreſſerit; brevi Deo juvante, ſedatis jam elementorum deliriis, bellorum procellas, & civiles tempeſtates compoſiturus.

Quando igitur ille intervallis viciorum ſubducendis, inque vicem eorum reponendis propriæ pietatis exemplis, noſtrum cum Apoſtolorum ſeculo continuarit; nemo profecto nobis ignoverit niſi diſciplinæ candorem ab eo receptum Vobis dictis factiſque reddamus; & quæ adhuc monumenta fuerunt antiquitatis, ab illius pectore, tamquam a fonte, in uſum proprium, & præſentem Eccleſiæ noſtræ conſuetudinem derivemus. Ad quod ſane opus longe ſupra vires noſtras eminens fruſtra eniteremur: niſi qui nos præit exemplo, idem ſuis præceptis, digitum ad ſapientiæ divinæ ſignum intenderet; atque conſultiſſimis edictis præmitteret lucernam pedibus noſtris verbum ſuum.

Veſtrum vero erit volentes lubenteſque nos paribus etiam provocare ſtudiis, Venerabiles Fratres, Filii dilectiſſimi, quos grata Deo tellus, & æmula ſiderum regio ea ætate in lucem tulit, qua in urbem noſtram, non modo majeſtas finitima Latinarum: ſed & avita Græcarum literarum ſapientia, & omnium linguarum, atque bonarum artium opulentia commearunt: ut ad eam ornandam ſuas divitias natura ſimul & doctrina contulerint. Quibus de theſauris Vos non humanam & caducam, ſed divinam & immortalem ſapientiam eruentes pietateque propria ultro deſideriis occurrentes noſtris, haud minima parte levabitis Paſtorem veſtrum: næ ſimul oſtendetis, dignos eſſe vos apud quos Deus locaverit vivens ac ſemper præſens teſtimonium Chriſtianæ veritatis: quæ, obſtupente natura, omnium oculis offertur ab inclyti Martyris noſtri ſanguine, qui ſemen eſt atque propago miraculorum. Cujus præſidio ac tutela pia Civitas contigui montis toties feliciter contemſit iras: adeo ut ſibi uni detur diem nocturna prope caligine prætextum, & ignea flumina ſuperne delabentia, flammarumque undas rapide volventia impavide ac tranquille ſpectare. Tot cœleſtium beneficiorum, quibus perpetuo gaudetis, memores vos exiſtimavero, ſi non labiis tantum, ſed & operibus Deum honorantes, humiles ei gratias perpetua caritatis exercitatione reddatis. Cujus candorem atque integritatem non ex operum adſpectu, ſed ex eorum fructibus, ex Chriſti norma, dijudicabimus; atque id Chriſtianæ virtuti reputabimus, quod non in proprium cujuſque, ſed in aliorum, ac publicam Eccleſiæ ceſſerit utilitatem. Unum enim idemque ſæpe in contraria vertitur; & raro quis niſi ſpecie recti ſe aliumve feſellerit: cum eodem ex opere boni virtutem ad veram æternamque beatitudinem; pravi autem virtutis opinionem ad falſam hanc atque temporariam proſperitatem nanciſcan-

(*) *Clemens XI.*

ecſcantur. Hinc eandem doctrinæ guſteritatem alter ad emendationem propriam adhibet, alter ad condemnationem tantum aliorum: & paupertatem hic ad ſuas opes excutiendas, ille ad alienas exuvias colligendas extollit; ſcientiamque rerum divinarum alius ad expediendam, alius ad involvendam veritatem profitetur. Eſt autem, ut Paulus ait, bona lex, ſi ea quis legitime utatur. Hinc ejuſdem Pauli verbis vobis denunciamus, ne intendatis fabulis & genealogiis interminatis; quæ quæſtiones præſtant magis, quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide. Quod Chriſtianis omnibus cavendum, præcipue vero Sacerdotibus eſt abominandum: qui ſi fallacias nectant aliis, longe turpius implicabunt ſemetipſos: converſi, ut idem Apoſtolus, ait, in vaniloquium, volentes (ut certe deberent) divinæ legis eſſe Doctores; non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Quos ejuſdem Pauli auctoritate admonitos volumus, ut profanas vocum novitates devitent, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ; velintque aliis præeſſe poteſtate lucis, non poteſtate tenebrarum: quibus volutantur homines ſemper diſcentes, nunquam autem ſcientiam veritatis aſſequentes; & habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.

Noſtrum vero erit ita vos regere, ut ſemper meminerimus, Paſtores eſſe datos, non ut paſcamus noſmetipſos; ſed ut ad ſalutem noſtri gregis excubemus, infirmum conſolidantes, ac ſanantes ægrotum, alliganteſque confractum, & abjectum reducentes, & anxie quærentes quod perierit: ne cum veſtrum aliquem Deus e manu noſtra repoſcat, arguamur, quod vos Chriſti oves a nobis conculcata comederitis, ac pedibus noſtris turbata biberitis: & quia non eſſet Paſtor, facti fueritis in rapinam, & devorationem omnium beſtiarum agri.

Quamobrem cœleſtem Paſtorem Jeſum Chriſtum, & eum, qui vicariam ejus in Terris operam exercet, quantum Deus mihi tribuerit, imitaturus; quæ mihi vita manet, pignori pro vobis oppoſitam arbitrabor: paratus, ubi uſus venerit, mala morboſque veſtros vel ſanguine ipſo reſtinguere; quo paſcua vobis tradamus innoxia. Valete, Venerabiles Fratres, & Filii dilectiſſimi; ac mihi mentis lumen, ad meos greſſuſque veſtros dirigendos, aſſiduis precibus a Deo contendite.

TESTAMENTUM

I. VINCENTI GRAVINAE.

QVOD. DEVS. BENE. VERTAT I. VINCENTIVS. GRAVINA. ITA TESTOR. ANNAM. LOMBARDAM MATREM. MEAM. HEREDEM INSTITVO. IN. BONIS. QVAE HABEO. IN. CONSENTINA PROVINCIA. BRVTIORVM. QVOS CALABROS. VOCANT. IN. BONIS VERO. MEIS. ALIIS. OMNIBVS HEREDEM. INSTITVO. PETRVM TRAPASSVM. ALIAS. METASTASIVM ROMANVM. ADOLESCENTEM EGREGIVM. ALVMNVM. MEVM CVI. SIVE. ANTE. SIVE. POST ADITAM. HEREDITATEM. MEAM QVANDOCVMQVE. DECEDENTI SVBSTITVO. IVLIANVM PIERSANCTVM. LAVRENTIVM GORVM. ET. HORATIVM BLANCVM. VERNACVLE BIANCHI. DISCIPVLOS. MEOS CARISSIMOS. CORPVS. MEVM ANTEQVAM. TERRAE. REDDATVR CVLTRO. DISSECTVM BALSAMOQVE. PERVNCTVM VOLO. DOMINICANAE. FAMILIAE PATRIBVS. PRO. CELEBRATIONE MISSARVM. AD. PECCATORVM MEORVM. EXPIATIONEM DANTOR SEMEL. HOC. EST. VNA SOLVMMODO. VICE. ARGENTEA SCVTA. ROMANA. TRIGINTA QVAE SIMVL. CVM. SVMTIBVS. FVNERIS. PARCE. QVIDEM. ET MODERATE. A. PETRO METASTASIO. SIVE TRAPASSO PERSOLVVNTOR. NONIS. APRILIS. ANNI. CIƆIƆCCXV. EGO. IDEM I. VINCENTIVS. GRAVINA.

JANI

JANI VINCENTII GRAVINÆ
IN JURIS RECEPTIORIS INSTITUTIONES

P R O Œ M I U M.

CUm per longum docendi uſum compererim plurimorum Adoloſcentium , aut negligentiam , quæ illos a labore longioris ſcriptionis & acutioris contemplationis avertit , aut ægeſtatem , quæ immaturos eoſdem adigit ad forenſem quæſtum , deflectitque ab eruditioris Juris prudentiæ cura , propterea Inſtitutiones priores noſtras , quibus auditoribus Veteris etiam Juris lumina ſuis locis breviter & ſubtiliores rationes ſuggerebantur ; in has contraximus breviores & expeditiores , quo Jus tantum contulimus quotidianum & receptum , ut inertes laboris levitate , inopes diſcendi celeritate allicerentur . Verum ne meliores deteriorum vitio plectantur , aut laborioſis auferantur veteris Juris notiones & rationes illæ , unde provenit novum ; neve nexus Jrisprudentiæ cupidioribus Juvenibus celetur ; quidquid calamo negamus , voce ab ipſius Juſtinianei Textus explicatione promemus & illius Titulos ex ordine proſequemur etiam exoletos , deque ſcriptis his tum ex ſuperioribus rationibus excluſos , tum quia materiam eorum abunde protulimus in noſtris Originum libris : quorum quoniam ex primo , qui de ortu , & progreſſu Juris Civilis *ſeorſum eſt editus , colligere abunde poteritis omnem Juris Civilis hiſtoriam initio Studiorum omnium neceſſariam , in curſu vero forenſis exercitii plurimum profuturam ; ne tempus dictandis iis , quæ impreſſimus fruſtra teramus ; ad eumdem libellum vos mittimus comparatu facillimum.*

Etſi autem hæ recentes noſtræ , quas Juris Receptioris Inſtitutiones appellamus , nihil contineant obſoletum , nulla tamen carent ratione neceſſaria : cum breviſſimæ ſint atque facillimæ , neque brevitas a perſpicuitate abſit , neque a facilitate ſoliditas . Agite itaque , & exordiamur Diis bene juvantibus .

INSTITUTIONUM
LIBER PRIMUS.

TITULUS I.
De Juſtitia , & Jure .

J*USTITIA eſt conſtans , & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi .*

Eaque, vel in prœmiorum diſtributione verſatur & pœnarum , pro cujuſque meritis , aut delictis , & diſtributiva dicitur ; vel in uſu commercioque privato contrahentium , ſive vendentium , ementium , & locantium , conducentium , donantium , aliaſque conventiones ineuntium , ubi alter dat , alter accipit , aut rem , aut pretium , in quibus dignior ab indigniore non diſtinguitur , cum pretia & mercedes non ex qualitate perſonarum , ſed ex pactionibus ſtatuantur , cum in commutando , ſive in contrahendo conſiſtat .

Juſtitiæ cognitionem & explicationem profitetur Juriſprudentia , quæ definitur *Divinarum atque humanarum rerum notitia , juſti atque injuſti ſcientia .*

Juris præcepta ſunt tria , honeſte vive-

re ,

vere, alterum non lædere, jus ſuum unicuique tribuere.

Dividitur Jus in publicum, quod ad Divinarum rerum & ad Reipublicæ regimen ſpectat; & privatum, quod ſpectat ad regimen ſingulorum, cum ſuis bonis & facultatibus. De privato autem potiſſimum agemus.

TITULUS II.

De Jure Naturali, Gentium, & Civili.

JUS naturale eſt, quod nullo docente cognoſcimus. Idque vel cum omnibus animantibus commune habemus, ut eſt edendi, bibendi, generandi, ac Prolis educandæ ratio, & appellatur Jus Naturale primarium; vel ſeorſum ab Animantibus cæteris, ut eſt Pietas, & Religio, & virtus animorum, & appellatur Jus Naturale ſecundarium.

Jus Gentium primarium eſt id, quod in hominum univerſorum naturali ratione conditur, quale eſt Jus Naturale ſecundarium ſupra definitum.

Jus Gentium ſecundarium eſt uſus Hominum inter ſe contrahentium, & conventiones inde prodeuntes, qualis eſt emptio, venditio, cæterique prope contractus apud omnes fere Gentes conſueti.

Ad Jus Gentium autem primarium pertinet mutua obligatio alimentorum inter Parentes & Liberos: quando neceſſitate ac paupertate alterutri premuntur. (*a*)

Jus Civile eſt, quod ſingulæ ſibi Civitates ex ejus Regionis uſu & ingenio conſtituerunt. Et quoniam Roma, quæ ſuis legibus Orbem fere Terrarum univerſum ſubegit, Gentes ab ſe victas omnes accepit in Civitatem; eoſque Cives Romanos eſſe voluit: propterea Jus Civile Romanorum, tamquam prodiens ex omnium Gentium communi Civitate, per eminentiam, ſine adjectione alia Jus Civile appellatur: cum aliorum Jus, puta Lacædemonum, aut Athenienſium, ſimplici nomine Juris Civilis non veniat, ſed exprimendum ſit Spartanorum, & Athenienſium cognomentum.

Jus autem Civile Legibus S. C. Plebiſcitis, Principum Conſtitutionibus, ſive Placitis, Prætorum Edictis, & Juriſconſultorum Reſponſis componitur.

Lex eſt honeſta, juſtaque P. R. publicum & privatum ad regimen expreſſa voluntas. Eaque voluntas vel inciſa erat duodecim æneis tabulis, in quas Decemviri a Populo ad id conſtituti tranſtulerunt deſcriptas, per Legatos Roma miſſos, Græcorum Leges, & veteres Romanorum Regum, atque alias ab ipſis inventas, & appellatur Jus duodecim Tabularum, ſive Jus Decemvirale antiquiſſimum; vel data occaſione diverſis temporibus eadem Populi Romani voluntas proferebatur; & tum ſingulæ Leges appellationem ſuam trahebant a majoribus Magiſtratibus veluti Conſulibus, aut a Tribunis, a quibus ad Populum ferebantur, ut omnium conſenſu comprobarentur; qualis erat v. g. Lex Pompeja de Parricidiis, Lex Aquilia de damno illato. Quando autem Lex condebatur a ſolo Senatu, Senatus-Conſultum vocabatur, quando a ſola Plebe, Plebiſcitum. Quæ utraque poſtea Legis vim ad omnes obligandos acceperunt. Qualem etiam habuerunt & Conſtitutiones Principum, in quorum voluntatem Populus conſenſerat univerſus. Jus Prætorium ſunt Dicta, quæ proponebantur a Prætore, quæ item, ut Lex, obligant cunctos, & appellantur Jus honorarium a Magiſtratu, qui Vir honoratus appellabatur.

Reſponſa prudentum ſunt ſententiæ Juriſconſultorum, quibus Leges explicabantur, quæ a populari conſuetudine, & a Cæſaris poſtea juſſu vim legis acceperunt. Ea vero cum contineant ſilvam fere omnem humanorum caſuum, & civilium Cauſarum, a Juſtiniano Cæſare Juris Romani emendatore, rejectis ſupervacuis, & obſoletis, tributa fuerunt in libros quinquaginta, quos ab ordine, ac digeſtione rerum Libros appellavit *Digeſtorum*, & ab earum multitudine, ac varietate Libros *Pandectarum*, quaſi omnia humana complectantur. Conſtitutiones autem Imperatorum contulit in duodecim Libros, quos appellavit *Codicem*. Suas autem proprias Conſtitutiones poſt digeſtionem Juris editas appellavit Novellas: quæ habentur in Libro, quod authenticum vocatur: quarum epitome per Titulos Codicis diſtributæ

(*a*) *Cod. de alend. Liber. vel Parent.*

tæ Authenticæ dicuntur; adeout compendium earum ab integro contextu genere diſtinguatur: cum illæ Authenticæ, illud Authenticum nuncupetur. Hos autem quatuor Inſtitutionum, ſive Elementorum Juris Libros poſt Digeſta, & Codicem ad primam & brevem Juventutis Inſtitutionem, atque ad faciliorem ſuperiorum Voluminum intelligentiam compoſuit idem Juſtinianus per Tribonianum, Theophilum, & Dorotheum.

TITULUS III.

De his qui ſui, vel alieni Juris ſunt.

HOmines liberi vel ſunt Juris ſui, vel alieni. Juris alieni ſunt Filiifamilias, qui vivunt ſub poteſtate Patris: ceteri ſunt juris, ſive poteſtatis ſuæ. Patria poteſtas tribuit Parentibus tale jus in Filios, ut eos ad levem uſque verberationem coercere poſſint, & dominium nanciſcantur earum omnium, quæ Filius adquirit. Tum autem Filius venit in poteſtatem Patris, cum naſcitur ex juſtis, ſive ſolemnibus nuptiis. Quæ tum legitimæ ſunt, ex Jure Canonico, quod hac in materia Civili Juri apud Catholicos omnes antecellit, quando contrahuntur inter perſonas a Jure non prohibitas, adhibitis ex Concilio Tridentino duobus Teſtibus & Parocho: & præmiſſis denunciationibus ternis, inter Feſtorum ſolemnia, ut ſi quod obſtet impedimentum a Populo Præſulibus ſacris ſignificetur. Quibus denunciationibus omiſſis, pœnas ad arbitrium Judicis incurrunt Sponſi, & illicite contrahunt, quamvis contractum Matrimonium non irritetur; ſicut irritatur, ſi Parochi, & Teſtium præſentia deſit.

Aliquando Filii, etſi ab initio non ſint legitimi, nec naſcentes ceciderint ſub poteſtatem Patris, tamen in eam recidunt, quando Mater ab eo, quo Concubinæ loco habebatur, in Matrimonium ducitur; nam Filii ante ſuſcepti, poſt eas nuptias legitimi fiunt; perinde ac tales ab initio ex Matre prodierint. (*a*) Legitimi etiam fiunt & in poteſtatem rediguntur Patris, per Principis reſcriptum, Filii, ſi Pater nullos habeat prius, vel Mater mortua ſit, aut ſpe ſuſcipiendorum Liberorum deſtituatur. (*b*) Item & oblati Monaſterio legitimantur. Propter vim etiam patriæ poteſtatis, Filia nuptias poſtulans uſque ad vigeſimum quintum annum Patris conſenſum expectare jubetur; alioquin Parer ad eam dotandam non obligatur. Sed ſi annum vigeſimum quintum exceſſerit, ſine periculo amittendæ dotis, poteſt Patris conſenſum negligere. (*c*)

Parens vero utriuſque ſexus ad ſecundas tranſiens nuptias eorum, quæ a priore Conjuge quomodolibet accepit, vel a Filiorum ſucceſſione legitima retulit, tantum retinet uſumfructum; proprietate manente apud Liberos prioris Matrimonii: (*d*) etiamſi Parentibus non ſucceſſerint. (*e*) Quibus non extantibus, plena proprietate fruetur.

Præterea Conjux, alias quaſcumque contrahens nuptias, non poteſt Teſtamento, contractu, vel alio quolibet modo, plus transferre in novum Conjugem, quam in unum ex Liberis, cui minimam partem attribuerit: [*f*] & quod eam portionem minimam ſuperaverit, Liberis cedet. [*g*]

TITULUS IV.

De Adoptionibus.

INducitur etiam patria poteſtas in Filios alienos, per nativitatem civilem, ſive per adoptionem. Quæ definitur actus legitimus Naturam imitans, quo quis alterius Filius, aut Nepos in infinitum efficitur, cum antea non eſſet. Quæ generaliter accepta comprehendit tum adoptionem ejus, cujus Pater naturalis vivit & eum in poteſtate habet; tum illius, qui vel morte Patris, vel emancipatione, de poteſtate illius exivit, & eſt Juris ſui. Accepta vero ſpecialiter, ſignificat tantum adoptionem ejus, qui eſt alieni Juris: cum adoptio illius, qui eſt Juris ſui ſpecialiter adrogatio nuncupetur.

Permittitnr autem adrogatio, ſi accedat

(*a*) *Auth. licet patri C. de natural. lib.*
(*b*) *Nov. 89. C. 9. Auth. præterea auth. item ſive auth. ſi quis C. de natural. lib.*
(*c*) *Auth. ſed ſi poſt C. inoff. Teſt.*
(*d*) *L. Fœminæ 3. auth. ex teſtam. C. ſecund. Nupt.*
(*e*) *Auth. hoc et C. eod.*
(*f*) *L. hac edictali 6. C. ſecund. Nupt.*
(*g*) *L. quoniam 9. cum auth. ad eas C. ſecund. Nupt.*

cedat examen, atque cognitio juſtæ Cauſæ, quod ſcilicet adrogatio ſit utilis, nec periculoſa, vel ignominioſa Pupillo; & ſi adrogator caveat perſonæ publicæ, ſive Tabulario, aut Scribæ, ſe, ſi pupillus impubes deceſſerit, redditurum bona proximis Pupilli Conſanguineis.

Nec poteſt Pater adrogator emancipare, ſive e poteſtate ſua dimittere Filium adrogatum ſine juſta Cauſa, puta quod læſerit adrogatorem: & emancipato Filio, bona ejuſdem, quæ in adrogatoris Domum tranſtulit, reddere cogitur. Ac ſi adrogatum quis, vel exheredaverit, vel ſine cauſa juſta emancipaverit, præter bona reddita, quartam etiam adjicere debet propriorum bonorum ex Reſcripto Divi Pii, a quo quarta Divi Pii nuncupatur. Per adrogationem autem Filii, aut Nepotes hominis adrogati, cum eo veniunt in poteſtatem adrogantis: cum, ſi Pater det proprium Filiumfamilias in adoptionem alteri: Nepotes ex eo Filiofamilias ſuſcepti, ſub Patris naturalis, nempe Avi eorum poteſtate remaneant.

Imo noſtris temporibus ex conſtitutione Juſtiniani, (*a*) Filiusfamilias non exit a poteſtate Patris naturalis, neque tranſit in poteſtatem adoptantis, niſi adoptetur ab Avo Materno, vel Paterno, qui cum Filium emancipaſſet, adoptet Nepotes ex eo, poſt emancipationem, natos.

In locum autem, non ſolum Filii quis adoptare poteſt, ſed etiam Nepotis, quamvis Filium habeat nullum: Et, ſi Filium habeat, non poteſt quem in locum Nepotis adoptare, niſi Filius conſenſerit. (*b*) Nemo autem adrogare, vel adoptare poteſt, niſi annis 18. præcurrat adoptatum; cum ea ſit ætas magis ad generandum idonea, & plena pubertas appelletur, & adoptio debeat imitari Naturam.

Caſtrati porro, & quotquot vitio inſuperabili corporis generare nequeunt, neque poſſunt adoptare. Quamobrem Spadones, quorum nomine veniunt etiam ii, qui ſanabili vitio Corporis ad generandum ſunt idonei, adoptandi facultatem habent.

Fœminæ quamvis adoptari poſſint, non tamen ipſæ poſſunt adoptare alios; niſi ex indulgentia Principis, unum tantum ad ſolatium amiſſorum Liberorum. (*c*)

TITULUS V.

Quibus modis Jus Patriæ Poteſtatis ſolvatur.

PRimum ſolvitur Patria Poteſtas morte Parentis: nam Filius remanet liber, & in ſua poteſtate retinet proprios Filios. Sed ſi Pater eorum, ante mortem emancipatus fuiſſet; Filii ipſius, ſive Nepotes, qui remanſerunt in Avi poteſtate, Avo mortuo, liberi fiunt; neque recidunt in poteſtatem Patris eorum, niſi Filius, non emancipatione Patris ſui, ſed ſuprema aliqua dignitate, de poteſtate Patris exiſſet; nam tum, ne dignitas ei ſit damno, mortuo Patre, Filiorum ſuorum poteſtatem retinebit. (*d*)

Secundo ſolvitur Patria Poteſtas ea pœna, quæ adimit Civitatem Romanam: eaque appellatur media Capitis, ſive ſtatus humani diminutio.

Tertio ſolvitur ſervitute, ſive amiſſione libertatis, quæ maxima capitis diminutio nuncupatur.

Quarto ſolvitur Patria Poteſtas Epiſcopatus, & etiam Cardinalatus dignitate.

Quinto ſolvitur emancipatione, qui eſt actus legitimus, per quem Pater ante Magiſtratum declarat, ſe nolle amplius Filium in ſua poteſtate habere.

Cum quis bello captus in ſervitutem hoſtium redigitur, Patria Poteſtas in ſuſpenſo manet: nam ſi apud Hoſtes decedat, fictione Legis Corneliæ, pro mortuo habetur ab eo ipſo tempore, quo in Hoſtium poteſtatem devenit: Si redierit in Patriam, per Jus, quod poſtliminii dicitur, Patria Poteſtas redintegratur.

Emancipato autem Filio, ſi ejus Uxor ediderit Partum conceptum tempore, quo Maritus erat in poteſtate Patris, is, qui naſcitur, non Patris, ſed Avi poteſtate continetur; contra ſi conceptus fuit poſt emancipationem.

Sicut autem Liberi, ſemel e poteſtate dimiſſi, revocari in poteſtatem nequeunt;

(*a*) *L. penul. C. de adoption.*
(*b*) *L. 6. ff. de adopt.*
(*c*) *C. de adopt. L. Mulierum 5.*
(*d*) *Nov. 8. c. 2.*

Digitized by Google

unt; ita & in poteſtate Patris manentes, cogere Parentes ad emancipandum non poſſunt; (*a*) niſi ab eis ad turpidinem, aut impietatem compellantur; (*b*) aut Parentes illicitas contraxerint & inceſtas nuptias: tunc enim ab ipſa lege ſupplicio ſceleris, e poteſtate liberantur. (*c*)

TITULUS VI.

De Servis, & Captivitate minutis.

PRæter perſonas liberorum, ſive ingenuorum, ſive eorum, qui naſcuntur, & adhuc manent liberi ſunt etiam ſervi & Liberti, quorum pene amiſimus uſum.

Servi ſunt ſive bello capiantur, qui veniunt in poteſtatem victoris, amiſſa libertate, arbitrioque ſuo, & rerum ſuarum tam quæſitarum, quam quærendarum, quarum proprietas Dominis adquiritur & fructus; ſive naſcantur Domini ex Ancillis, quarum dominium habemus; ſive voluntate ſua tales fiant; cum ultro ſeſe vendunt ad participandum pretium: qua venditione libertatis ſervi fiunt publicorum operum, puta nauticorum aut metallicorum, quibus ſeſe vendiderunt.

Servi autem e ſervitute pervenire poſſunt ad libertatem per manumiſſionem, quæ eſt libertatis datio per Dominum: quam qui accipiunt; non ingenui, ſed Liberti appellantur, & ad aliquod obſequium Patrono, ſive veteri Domino eorum liberatori præſtandum adſtringuntur.

TIULUS VII.

De Tutelis.

ETiam qui ſunt ſui Juris Homines, tamen vel ob ætatem impuberem, vel ob mentis vitium, alieno regimini ſubjiciuntur, donec vel ad pubertatem veniant, vel reſipiſcant, impuberes ſub tutela manere dicuntur; alii ſub curatione, ſub qua ſunt, etiam minores 25. annis.

Tutela eſt jus, & poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem ſe defendere nequit, jure Civili data & permiſſa. Eaque triplex eſt, Teſtamentaria, Legitima, Dativa. Teſtamentarius Tutor eſt qui datur a Patre in Teſtamento Filiis, aut Nepotibus, quos habet, vel quos ſi viveret, cum naſcerentur, habiturus eſſet in poteſtate. Nam ſi Tutorem dederit emancipatis, is Tutor, non tam jure paterno, quam ex juriſdictione Magiſtratus ſuſtinetur: cum Lex jubeat, hujuſmodi Tutores, ob reverentiam paterni judicii etiam ſine inquiſitione confirmari. Sicut confirmatur etiam datus a Matre, vel ab eſtraneo iis Pupillis, quos reliquerint Heredes, (*d*) ſed cum inquiſitione.

Dari autem poteſt teſtamento Tutori etiam Filiusfam. propter publicam cauſam ad quam tutela trahitur: & in publicis cauſis Filiusfam. pro patrefam. habetur.

Et ſi datus fuerit Tutor non idoneus, teſtamenti tempore, puta furioſus, aut minor; expectandum eſt donec ille reſipiſcat, & iſte ad majorem ætatem, nempe annorum 25. pervenerit, & interea datur alius a Magiſtratu.

Poteſt & Tutor dari ad certum tempus, puta ad quinquennium, & ex certo tempore h.e. Ab anno a morte Teſtatoris tertio, aut ſecundo, & ſimiliter. Et datur Tutor tum educandæ perſonæ, tum rebus adminiſtrandis; quæ ſi diſſitæ in longinquas Regiones fuerint, licebit plures dare Tutores: qui quamvis diviſis Regionibus, & bonorum portionibus dentur, tamen ſinguli Tutelæ onus integrum ſuſtinent, cum ad omne Patrimonium, eorum quiſque datus intelligatur, & tantum adminiſtratio inter eos dividatur, integro in ſingulis manente jure tutelæ.

Fœmina ex Juſtiniani conſtitutione poteſt ſuſcipere tutelam Filii ſui, vel Nepotis, ſi Tutor nullus teſtamento datus fuerit: & præfertur ceteris Conſanguineis,

(*a*) *L. nec Avus C. de emanc. liber L. non poteſt. ff. de adopt. & emancip.*

(*b*) *L. ſi ſeniores C. de Epiſc. aud. L. ult ff. ſi a Paren. quis fuerit manum.*

(*c*) *Novell.* 12. *c.* 2.

(*d*) *L.* 2. *&* 4. *ubi Gloſſ ff. de confirm. tut. & L. Mater cum Gloſſ. C. de Teſtam. tut.*

neis, & datis a Magiſtratu. Sed hoc jure minime gaudet, ſi ad ſecundas nuptias tranſierit. (*a*)

Legitima tutela eſt, quæ a Lege defertur iis, qui vocantur ad Pupilli ſucceſſionem: quales hodie ſunt omnes proximiores Conſanguinei, ſive cognati ſint, hoc eſt, ex latere Matris veniant, ſive Agnati, hoc eſt, veniant ex latere Patris: inter quos hodie ſervata tantum vicinitate gradus, ſicut in hereditaria ſucceſſione, ſic etiam & in Tutelæ jure, omne diſcrimen eſt ſublatum. Cognationis autem nomine latius accepto, veniunt etiam Agnati. Qui ſi adoptentur, aut emancipentur, dicuntur exire de Agnatione paterna, & in novam Familiam tranſire, ideoque patiuntur capitis diminutionem minimam, ſive minimam mutationem ſtatus; cum retenta libertate ac Civitate, tantum amittant Familiam.

Habet autem locum Tutor datus a lege, quando vel nullus teſtamento datur Tutor, vel datus deceſſerit ante mortem Teſtatoris. Sed ſi datus teſtamento, ſe tutela excuſaverit, vel dolo fuerit remotus, tum non legitimus, ſed datus a Magiſtratu tutelam ſubibit.

Si vero deſit, aut deficiat Tutor teſtamentatius, aut legitimus, tunc Tutor datur a Magiſtratu, ex inquiſitione, & probatione perſonæ, qui dicitur dativus. Officium vero Tutoris eſt regere Pupillum, & bona illius prudenter adminiſtrare, atque in Pupilli contractibus interponere auctoritatem ſuam; ſine qua inutiliter cum Pupillo contrahitur, aut agitur. Pupillus enim commodum ſibi, ſine auctoritate Tutoris, parere poteſt; non autem ullam poteſt contrahere obbligationem; aut ferre damnum, ideo cum tranſigit, aut remittit, aut etiam cum adit hereditatem requiritur auctoritas, ne adeundo inconſulto ſe obliget æri alieno, ſine qua interpoſita auctoritate Pupillus, quamvis obliget ſibi alium, tamen alii non obligatur, neque convenitur, niſi in quantum fuerit locupletior, ne cum aliena jactura lucretur. Debetque auctoritas Tutoris interponi cum negocium geritur, ſive cum res calet, exigiturque præſentia ipſius Tutoris.

Nec licet Debitorem, aut Creditorem Pupilli Tutorem eidem a Judice dari; ſed tantum ex teſtamento, & ex certa ſcientia Teſtatoris, cui oportet Debitum & Creditum eſſe notum; excepta Matre, & Avia, quibus, ad tutelam gerendam, contractum cum Pupillo debitum & creditum minime obſtat. (*b*)

Immobilia Pupilli vel minoris bona, ſine Judicis decreto, inutiliter alienantur, aut hipothecæ ſubjiciuntur. [*c*]

Pubertate autem finita, non autem ante, ratio adminiſtrationis exigitur a Tutore. In qua reddenda Tutor præſtat Pupillo tum damnum datum, tum lucrum negligenter omiſſum. Neque Pater, qui filio tutorem teſtamento dedit, poteſt hanc rationum redditionem remittere: [*d*] quia p[illegible]ce intereſt manifeſtari fidem alienam.

Finitur porro tutela pubertate, cum Pupillus annum decimumquartum, aut Pupilla decimum ſecundum abſolverint. Secundo finitur qualibet capitis diminutione Pupilli, etiam minima, ſcilicet cum Pupillus adrogatur. At ſi adrogetur ipſe Tutor, legitima Tutela non perit, propter ſublatam Agnationis & Cognationis differentiam: unde maxima tantum: & media capitis diminutione Tutoris extinguitur.

TITULUS VII.

De Curatoribus.

Curatio eſt Legitima poteſtas; per quam res adminiſtrantur vel minorum 25. annis, vel eorum, qui mentis vitio laborant. Ætas autem minor vel ad cœptum vel ad finitum Annum producitur, Nam ſi de pœna, vel damno declinando agatur, expectatur annus integer, & tempus de momento ad momentum computatur, & ultimus dies cœptus pro completo minime habetur. Contra vero ſi tractetur de commodo, vel honore minoris: nam ſufficiet primus vigeſimi quinti anni dies. [*e*]

Dan-

(*a*) *Auth. Matri, & Avia C. Quando Mat. tut. offic fung. poſſ. & auth. Teſtamento. auth. ad hoc. C. eod*

(*b*) *Auth. ad hac C. qu ando Mul. Tut. off. fun*

(*c*) L. *in prætiorum* 2. *D. de præd. min.*

(*d*) L. 5. § *Julianus ff de admin. tut.*

(*e*) L. *ff. muner. & oner.*

Dantur autem Curatores ab iiſdem Magiſtratibus a quibus & Tutores: & quamvis datus teſtamento non conſiſtat, tamen eſt a Magiſtratu confirmandus. (*a*) Nec datur Curator regulariter, niſi volentibus, præterquam in litem, in qua minor Curatorem accipere cogitur; nec ad regendam Perſonam datur; ſed ad res adminiſtrandas Curator; ideoque poteſt ad certam rem, vel litem, vel Patrimonii portionem dari. Et datur Pupillo etiam repugnanti a Magiſtratu, quando illi ſuus adeſſe Tutor nequit.

Datur etiam Curator Prodigis, poſtquam eis Magiſtratus bonorum adminiſtrationem interdixerit. Sed ſi detur Furioſis, Curatio pertinet ad Proximiores Conſanguineorum. Et finitur ea poſt abſolutam minorem ætatem; aut ceſſante furore, aut ſublata neceſſitate rerum gerendarum.

TITULUS IX.

De ſatisdatione Tutorum vel Curatorum.

CUm Tutor, vel Curator ſuſcipiunt Tutelam, coguntur ſatisdare, ſive data cautione per Fidejuſſores promittere rem Pupilli, aut Minoris ſalvam fore, & ſe cum illorum utilitate adminiſtraturos. Deinde jubentur deſcribere omnia illorum bona: quæ deſcriptio Inventarium appellatur. Et propter hanc cautionem, quæ vocatur *rem Pupilli ſalvam fore*, Tutorum & Curatorum bona Pupillo, vel Adoleſcenti tacite ſunt obligata.

Eximuntur autem ab obligatione ſatisdandi Tutores teſtamentarii, ſive teſtamento dati; & qui a Magiſtratu dantur ex inquiſitione. Quamvis autem ſatisdare Teſtamentarii non cogantur, tamen ſi ultro ſatisdederint, propter majorem Pupilli utilitatem in adminiſtratione capeſſenda præferuntur aliis Contutoribus. Quamobrem electio datur cuilibet eorum aut ſatiſdandi, aut offerendi alteri ſatisdationem, in ejuſque arbitrio ponere an velit ſatiſdare ſi cupiat præferri; alioquin ipſe ſatis offerens præferetur. Quod ſi omnes erunt parati ſatisdare, Prætoris erit eligere magis idoneum.

At ſi Pupilli, neque a Tutoribus, neque a datis Fidejuſſoribus ſuum Jus conſequi poſſint, & damnum acceptum reparare; tunc actio, quæ ſubſidiaria dicitur, eoquod in ſubſidium datur, vertenda eſt contra ipſos Magiſtratus, qui eos Tutores, vel Curatores, aut ſatisdare non coegerunt, aut minus idoneam ſatiſdationem, ſive fidejuſſores non locupletes comprobarunt, exceptis Magiſtratibus Romanis, & Majoribus, quos Dignitas eximit ab hac actione. (*b*)

TITULUS X.

De excuſatione Tutorum, vel Curatorum.

POteſt quis effugere onus gerendæ Tutelæ, aut Curationis, ſi juſtam adduxerit cauſam apud Judicem, per quam excuſetur. Prima cauſa eſt numerus Liberorum trium Romæ, in Italia quatuor, in Provinciis quinque.

Secunda excuſationis cauſa eſt adminiſtratio, dum geritur, fiſcalium, ſive publicarum rerum.

Tertia eſt abſentia Reipublicæ cauſa: quæ excuſatio durat donec abſunt, ſi Tutelam ſuſceperint, nam redeuntes eam recipiunt; Sed ſi eam non antea ſubjiſſent; annum vacationis poſt reditum habent, antequam cogantur.

Quarta eſt ſublimitas Magiſtratus Majoris, quem qui gerunt oblatam recuſare Tutelam poſſunt, at non deponere ſuſceptam.

Quinta litigium cum Pupillo de omnibus bonis.

Sexta eſt geſtio præſens trium Tutelarum ex Familiis Patrimoniiſque diſtinctis procedentium.

Septima notabilis inopia Tutoris.

Octava ægrotatio.

Nona ignorantia puerilium Literarum.

Decima livor Teſtatoris, qui eum ad Tutelam vocaverit, ut litibus implicaretur.

Undecima capitales inimicitiæ ſine reconciliatione; niſi datus fuerit ab ipſo Teſtatore, qui ea delatione Tutelæ odium remiſiſſe cenſetur.

Duo-

(*a*) *l. . . . in fin. §. 2. & 6. ff. de confir. Tut.*

(*b*) *L. 4. C. de Magiſtr. conven.*

Duodecima ætas vel immatura, vel confecta Tutoris: vel ſi ſeptuageſimum annum exceſſerit, vel ad vigeſimum quintum non pervenerit.

Decimatertia eſt militia.

Decimaquarta eſt publica profeſſio liberalium artium. E quibus Juriſpudentia non tribuit excuſationem, niſi cum quis Romæ doceat: alioquin nemo plus proderit Pupillis, quam Juriſconſultus & Cauſidicus Tutor: ideoque non excuſatur. Qui plures habet excuſationum cauſas, & ab aliqua fuerit rejectus, poterit aliis uti, atque excuſationem probare intra quinquaginta dies continuos, in quibus ſcilicet & feriæ numerantur & alia impedimenta, ſi ad centum millia paſſuum Tutor abſit a loco ubi eſt datus.

Si vero abſit ultra, tum dies unus in vicena millia paſſuum conceditur, & præter dies itineris alii triginta, itaut computatis triginta his cum diebus itineris, Tutor non habeat pauciores dies quam quinquaginta. Excuſatio vero propoſita probanda eſt intra Menſes quatuor continuos.

Curatores has excuſationes habent præcipuas; quod ſi Tutelam geſſerint, poſſint Pupilli ſui puberis curationem recuſare. Item Maritus quamvis ſit Dominus rei dotalis conſtante Matrimonio; tamen rerum extradotalium Uxoris minoris 25. annis non poteſt eſſe Curator.

Si quis falſam excuſationis Cauſam adduxerit, quamvis ea in Judicio recepta fuerit, Decretum tamen eſt nullum; nec Tutor ab injuncto onere liberatur.

TITULUS XI.

De ſuſpectis Tutoribus.

Tutores omnium generum, & Curatores propter fraudis ſuſpicionem a Judice removentur, & a quolibet de Populo accuſantur, imo etiam a Mulieribus, quamvis extraneis: nec aliqui ab hac accuſatione removentur, niſi propter conſilii imbecillitatem impuberes, qui fraudem odorari non poſſunt, niſi Curatorem accuſent proprium ex conſilio Conſanguineorum.

Suſpectus autem quis arguitur non ſolum ob egeſtatem, ſed propter mores & avaritiam & fraudem.

At ſi quidem Tutor non ob culpam levem, & mediocrem negligentiam removeatur, ſed ex dolo & culpa lata, incurret infamiam; quam effugiet ſi Prætor remotionis cauſam in Decreto non inſeruerit.

In locum autem Tutoris remoti, donec ſuſpecti cognitio duret, interea ſubſtituendus eſt alius, qui Tutelam abſoluto Tutori reſtituet.

Quia vero Pupillo ex propriis bonis alimenta capere non licet; ideo ei decernuntur a Prætore, preſente Tutore, ac facultates Pupilli profitente. Ac ſi Tutor copiam ſui non faciat, alimentorum cauſa mittitur Pupillus in poſſeſſionem bonorum Tutoris, veluti Debitoris latitantis. Ac ſi nequidem Tutor hac ratione adeſſe velit, ut ſuſpectus removebitur.

Si Tutor fuerit mendax, & falſo neget bona Pupilli ad alimenta ſufficere; vel ſi probetur data pecunia Tutelam ſibi deferri curaſſe, aut Pupilli bona dolo deſtruxiſſe, aliamve fraudem comparaſſe, non modo cum infamia erit removendus, ſed etiam gravius a Magiſtratu puniendus. Nec proderit Tutori, qui Tutelam fraudulenter adminiſtrat, ſatis offerre, & Pupillo cavere. Et e contrario quamvis Tutor ſit pauper, tamen ſi probitate ſua ſuſpicionem fraudis excludat, Prætore adprobante Tutelam retinebit.

INSTITUTIONUM

LIBER SECUNDUS.

TITULUS I.

De Rerum diviſione, & adquirendo earum dominio.

Res aut communes ſunt, aut publicæ, aut Univerſitatis, aut nullius, aut ſingulorum.

Communia ſunt ea, quæ ob eorum immenſitatem comprehendi univerſa nequeunt, ſed tantum particulariter a ſingulis occupantur, Qualis eſt Aer, Aqua profluens, ſive de pluvia, ſive de Flu-

Fluminibus, aut aliunde colligatur, quale item eſt Mare, & propter Maris uſum etiam Litus; adeo ut Maris uſus pateat omnibus ad navigandum, & ad piſcandum: ſicut & uſus Litoris, quo receptum omnes habere debemus, eoque jure proprio utimur, dummodo abſtineamus a Caſis, ſive Tuguriis, & Ædificiis eorum, qui ante nos opere ſuo ſolum illud occuparunt: quod ſi opus fuerit ſublatum, ea litoris portio ad communem redibit uſum: Unde ita licet opera in litore exercere, ne Maris uſus deterior evadat. Eſt autem litus quouſque hibernus Maris fluctus exiverit.

Et quamvis Mare ſub nullius dominium veniat, tamen Jure Gentium poſſumus Hoſtibus noſtris, quoad vires noſtræ pertinent, illud prohibere, ac ratione cuſtodiæ, ſumtuumque in ea faciendorum vectigal exigere a prætereuntibus, quibus opera noſtra Mare pervium ac tutum præbemus.

Publica ſunt, quorum proprietas vel dominium eſt alicujus Populi, uſus vero ſingulorum, vel Civium, vel aliorum, qui Hoſtium numero a Populo illo non habentur. Qualis eſt Portus, & Flumen, ſive corpus illud aquæ ab Alveo comprehenſum; nam aqua particulatim haurienda, ut diximus, eſt communis, & appellatur aqua profluens. Fluminis item nomine non Torrens, ſed aqua perrenis venit.

Ideo cuilibet in Flumine piſcari licet, cum uſus illius ſit communis, proprietas publica; ſicut & venarum metallicarum, quæ ſunt etiam in dominio Populorum, & Populorum nomine venerunt in dominium Principum, a quibus Populorum Jura ſuſtinentur, eaque ratione arbitrio eorum Fluminum & Metallorum uſus, quamvis communis, prohibetur, ex *tit. Feud. Quæ ſunt regalia*: qui etſi conditus fuerit Imperatoris cauſa; tamen illum ſibi omnes attribuerunt Reges, & ſummi Principes, a quibus Metalla ceteris interdicuntur.

Ripæ quoque uſus eſt publicus; quamvis proprietas ſit ſingulorum, qui prope Prædia poſſident: ideoque licet omnibus onera in Ripa deponere, ac funes Arboribus religare, dummodo ne Arbores evellat & cædat, quæ ſunt pars finitimorum Prædiorum: unde illorum Domini dominium etiam retinent & Arborum Ripa natarum. Eſt autem Ripa quo Flumen cum eſt pleniſſimum, naturaliter aſſurgit.

Res Univerſitatis ſunt quæ dominio ſubjacent alicujus civilis corporis, puta Urbis, Collegii: quarum uſum habent ſinguli Civium, vel Collegarum: qualia ſunt Theatra, Stadia, Porticus, Forum, Viæ, & ſimilia.

Res nullius dicuntur quæ aut in nullius domino ſunt, aut uſu; ſed eſſe tantum poſſunt, veluti feræ Beſtiæ, quæ antequam caperentur nullius dominio ſubjacent, ſed ſub capientium dominio cadunt; vel neque ſunt in dominio alicujus, aut uſu, neque eſſe queunt, quales ſunt res ſacræ, ſanctæ, religioſæ, quæ ad nullius dominium, & ad Numinum tantum vertuntur uſum.

Res autem ſacræ ſunt, quæ rite, ac ſolemniter per Epiſcopos & Antiſtites Deo conſecrantur.

Religioſæ ſunt ea quæ ad humationem Cadaverum ſpectant: quamvis nunc nomen hoc latius acceptum ſacras etiam res comprehendat; ſicuti & ſanctum, quod cum ſacro confunditur: quamvis ſancti etiam appellentur muri Civitatis, quia publica lege ſancitur, ne quis eos tranſiliat: & ſancti quoque a Juriſconſultis dicuntur Legati ab Hoſtibus, vel ad Hoſtes, miſſi, quos nefas eſt a quoquam Hoſtium, vel Civium violari: & qui eos violaverint, Hoſtibus deduntur.

Singulorum ſunt res, quæ cum antea eſſent nullius, poſtea occupatæ in privatorum dominium pervenerunt. Eſt autem dominium arbitrium & jus de aliqua re diſponendi. Quod vel naturale eſt, quale dominium ... Mulieris in re dotali, quæ ad Mulierem origine ſua ſpectat: vel civile, quod vi & poteſtate Juris transfertur in alium, quale dominium eſt, quod lex in eadem re dotali manente Matrimonio, concedit Marito. (*a*)

Item dominium vel plenum eſt, cum quis

(*a*) *L. penult. C. de jur. dot.*

quis rei proprietatem habet & poſſeſſionem, adjectis emolumentis; vel non plenum, cum quis ſine emolumentis & poſſeſſione, tantum habet proprietatem.

Hinc rurſus dominium vel directum eſt, quod habet is, ad quem ſpectat proprietas rei, cujus alius potitur jure percipiendi fructus, qui dicitur uſufructuarius; & utile, ad quem emolumenta tantum, & poſſeſſio ſpectat, cum proprietas ſit apud alium, qui proprietarius appellatur. Ac dominium vel Jure Gentium, vel Civili adquiritur. Ac primum de Jure Gentium diſſeramus.

Igitur Jure Gentium per occupationem Dominium adquirimus Ferarum, & Animalium, quoniam ſunt nullius, & noſtra evadunt, donec per fugam, aut per dimiſſionem noſtram, ſe in naturalem receperint libertatem, quocumque in loco capiantur, ſive in aere, ſive in Mari, ſive in Terra, non minus in fundo proprio, quam alieno: etiamſi Dominus antea prohibuerit ne ingrederemur. Nam ea prohibitio ei adquirit adverſus nos actionem injuriarum, quia illum ſprevimus, ſed non mutat naturam feræ quæ cum ſit nullius, ſemper eſt occupantis. Adeo ut quamvis quis Feram vulneraſſet, tamen ſi poſt vulnus alius eam cæpiſſet, fiat capientis, qui eam occupavit; cum plura evenire potuiſſent, ne a vulnerante caperetur.

Apes quoque, cum Avium inſtar feræ ſint naturæ, atque infinitam vagandi habeant libertatem non ſunt noſtræ, niſi noſtris Alveariis exceptæ; nam inde migrantes, veniunt in poteſtatem alterius occupantis, quamvis prius in Arbore noſtra cellulas, ſive favos extruxerint, & nos ingredientes prohibuerimus, ex qua prohibitione actionem injuriarum habemus. Imo etſi Apes ab alio non occupentur, tamen ſi de fundo noſtro avolaverint, noſtræ non manebunt, niſi eas in conſpectu noſtro habeamus, atque ad nos revocare poſſimus.

Animalium autem, quæ feram quidem naturam origine ſua referunt, cura tamen hominum ſolent manſueſieri, quales Columbæ ſunt, Pavones & Cervi, dominium retinemus etiamſi e conſpectu noſtro abſceſſerint, dummodo redeundi animum retineant: quem animum abjeciſſe cenſentur, cum revertendi conſuetudinem dimiſerint. Quod Judicum prudentiæ diſcernendum relinquitur. Ac ſi revertendi animum dimiſerint, rurſus tranſeunt in dominium capientis.

Contra vero quæ feræ non ſunt naturæ, ut Anſeres, & Gallinæ, quamvis procul a noſtris oculis & Ædibus abierint; tamen quocumque ſint loco noſtra remanent, ut qui ea cæperit, nec reſtituerit, Fur cenſeatur, nec dominium illarum nanciſcatur.

Bona hoſtium immobilia & mobilia, quæ capiuntur in ipſo Prælio publice ab exercitus Duce indicto, Populo & Reipublicæ, pro qua bellum geritur, adquiruntur; at mobilia hoſtium, quæ voluntariis Militum ſingulorum conflictibus & excurſionibus capiuntur, de quibus loquitur *Textus Inſtitutionum*, migrant in capientium dominium. Quæ tantum hoſtibus auferuntur, cum bona ad ſuos remigraverint; ſicut & Servi, ſi Patriam repetant, in priſtinam libertatem revertuntur.

Per inventionem etiam dominium adquirimus, cum comprehendimus gemmas & lapillos in litore Maris, ab ipſo litore Mari, vel Terra productos. Lapilli autem a Gemmis diſtinguuntur, quod non ut illæ pelluceant. [a]

Cum autem partus portio ſint maternorum Viſcerum, propterea noſtra ſunt quæcumque de Animalibus noſtris naſcuntur.

Alluvione quoque domininm adquirimus cum ſcilicet obſcuro & aſſiduo incremento aliquam Terræ portionem Agro noſtro Flumen adjecerit; non vero aliquam Agri alterius partem Agro noſtro violenter addiderit: nam ejus partis dominium non adquirimus, niſi Arbores illius in noſtro Agro radices egerint.

Inſula in Mari nata eſt occupantis: nata

(a) *L. cum autem* 19. §. *Gemmæ ff. de aur. & arg. leg.*

nata vero in Flumine, Alveoque illius adquiritur proximiorum fundorum Dominis. At ſi Flumen diviſis brachiis complectatur, & in Inſulæ formam redigat Prædium aliquod, illud a priore dominio non abſcedit. Sed ſi Flumen mutaverit Alveum, novus Alveus fit publicus, ſicut & Flumen, & vetus tranſit in dominium proximiorum Dominorum. Inundatus vero Ager dominium minime mutat.

Per ſpecificationem adquirit rei dominium is, qui bona fide putans materiam eſſe ſuam, ſpeciem confecerit ex materia aliena, quæ non poſſit amplius ad priſtinam naturam reverti, puta ſi quis ex alienis Uvis, quas ſuas putabat, Muſtum expreſſerit; nam Muſti Dominus efficitur, quamvis Uvarum pretium perſolvere debeat. Sed ſi putans argentum eſſe ſuum, ſtatuam ex Argento alieno fuderit; tum quia opus vincitur potentia materiæ, quæ ſemper etiam in Statua argentum eſt, Statuæ dominium adquiritur materiæ Domino, qui pretium Opificii, ſi ſuum argentum repetat, perſolvere cogitur. Sed ſi quis partim ex ſua, partim ex aliena materia opus confecerit, tum quia & Opificium, & materiæ partem propriæ contulit, ſine ulla diſtinctione, ſibi ipſi dominium ſpeciei adquirit.

Confuſione dominium adquiritur plurium liquidorum: quæ ſi voluntate Dominorum ſimul confluxerint, communia fiunt, ſed ſi fortuito, non aliter erunt communia, quam ſi ſeparari nequeant; ut ſi vina miſceantur variorum. At ſi res confuſæ recipiant ſeparationem, puta Plumbum & Argentum, tum ſinguli materiæ ſuæ dominium retinent, ac re diſſoluta, alter Plumbum, alter Argentum ſuum vindicabit.

Conjunctione dominium adquiritur, cum bona fide in ſolo noſtro ex aliena materia ædificamus. Nam quamvis materiæ Dominus dominium illius retineat; tamen totius Ædificii dominium noſtrum erit, nec materiam ſuam poteſt Dominus, niſi diſſoluto ex aliquo caſu Ædificio, vindicare. Sed ſi ex propria materia in alieno Solo ædificavimus, alienum eſſe ſcientes, Ædificium ſolo cedet, & etiam materiæ Dominium ad Dominum Soli tranſibit, ut nequidem eo diſſoluto, materiam repetere poſſimus. Sed ſi Solum, quod erat alienum, noſtrum eſſe putaverimus, materiæ dominium retinebimus, neque Ædificium Domino ſoli tradere cogemur, niſi ab eo materiæ pretium acceperimus; aut ſi Ædificium non poſſideamus, ſumtus a nobis factos Judicis officio repetemus.

Satione dominium acquirimus, ſi ſemen alienum, quod noſtrum putabamus, in noſtro fundo ſparſerimus; ſed ad æſtimationem ſeminis Domino condemnabimur.

At ſi alius bona fide ſemen proprium jecerit in fundo noſtro, ſeminis dominium quidem amittit; ſed non ante fundum reſtituet, quam ſeminis pretium recuperaverit.

Si vero quis ſciens fundum eſſe alienum, in eo ſeminaverit, omni remedio deſtituetur.

Literæ, ex recepta jam Gloſſæ opinione noſtris temporibus, chartæ non cedunt; ideoque qui ſcripſit dominium Chartæ adquirit, ejuſque cum literis retentæ pretium perſolvit.

Item ex Juſtiniani Conſtitutione, Tabula Picturæ cedit. Unde qui pinxerit in Tabula aliena, habebit actionem directam contra Dominum Tabulæ poſſidentem: Dominus vero per exceptionem doli mali, non ante reſtituit, quam pretium Tabulæ conſequatur. At ſi pictam Tabulam poſſideat, Dominus Tabulæ civili actione agit adverſus Pictorem; Pictor autem, exceptione doli mali, Dominum excludere poterit, ſi is, Tabulam repetens, Picturæ pretium ſolvere nolit.

Per poſſeſſionem bonæ fidei dominium adquirimus ementes, aut dono accipientes a non Domino, quem Dominum tamen exiſtimamus: Tum enim quia rem, etſi alienam, tamen juſto emptionis, aut donationis titulo poſſidemus, fructus a nobis conſumtos adeo noſtros facimus, ut nequidem eos reſtituere cogamur, ſi ad rem reſtituendam a Judice damnemur; ſed tantum ſeparatos a ſolo, & non conſumtos, vel perceptos poſt litem conteſtatam; a quo tempore, quia rem alienam novimus, incidimus in malam fidem, & ideo ad reſtitutionem obligamur. Malæ fidei enim poſſeſſor, neque de conſumptis, neque de extantibus lucratur; ſed omnes reſtituere tenetur.

Fructus autem vel civiles ſunt, nempe venientes ex civilibus contractibus, quales ſunt penſiones v. g. domus locatæ, atque uſuræ pactæ inter contrahentes; vel ipſius naturæ ſponte veniunt, ut herbæ, fœnum, & fructus naturales appellantur; aut accedente opera hominis a Natura producuntur, ut Frumentum, Vinum, & dicuntur induſtriales.

Uſufructuarius vero, & Colonus, ſive Conductor perceptorum tantum fructuum dominium adquirunt: quos autem non perceperint, ii poſt mortem illorum, ad proprietarium, non ad heredes eorum pertinent. (*a*)

Quamobrem & fœtus Animalium tamquam fructus ad uſufructuarium ſpectant, excepto partu Ancillarum, qui ſpectat ad proprietarium; cum abſurdum viſum fuerit hominem homini eſſe in fructu. (*b*)

Ita vero Fructuarius in fructibus lucrandis verſari debet, ut de Agnis capita ſuppleat demortuarum Pecudum, & novas Arbores & Vites loco veterum ſubſtituat.

Per inventionem quoque dominium, jure naturæ, ac gentium, adquirimus pecuniæ abſconditæ cujus Dominus ignoratur, nempe theſauri; ſed præſentibus ubique receptis moribus, tantum in Fiſci utilitatem Theſaurus invenitur.

Per traditionem transfertur dominium rei traditæ in accipientem, ſi animus Domini tradentis, & juſtus titulus accedat; ſi vero de re incorporali agatur, puta de jure, aut ſervitute, traditionis loco, erit patentia Domini & uſus alterius.

Rei autem venditæ, quamvis nondum traditæ, nobis dominium adquirimus, ſi nobis a venditore fides de perſolvendo pretio habeatur.

Nec minus dominium transfertur per ſimulatam traditionem, ut ſi rem, quam mihi Titius debet, juſſu meo ſibi tradat; eaque fictio brevis manus appellatur, aut ſi ſuam eſſe velim rem ſibi a me antea commodatam: vel ſi quis Claves Domus animo Domus donandæ tradiderit. Quæ venditio per ſymbolum dicitur.

Transfertur item dominium in certam perſonam, mittendis donis in vulgus, quæ colligentibus adquiruntur.

Item, & ſi quis aliquod habeat pro derelicto, & nolit ejus rei dominium habere; tunc enim dominium adquiritur ei, cui rem eam fors obtulerit.

Secus erit, ſi aliquid, dum curreret, nolenti de rheda exciderit, aut quid naufragio amiſerit, aut ſervandæ Navis cauſa in Mari quis projecerit, tunc enim rerum illarum dominium ab eo non abſcedit, & inventor Domino ſibi noto eas reddere debet, aut publico ſcripto rem a ſe inventam denunciare.

Res tandem ex alia diviſione, vel corporales ſunt, quæ ſenſibus comprehenduntur, vel incorporales, quæ cogitatione atque animo contrectantur, ut ſunt Jura, ſive facultates agendi, aut retinendi, & ſervitutes, de quibus modo loquemur.

TITULUS II.

De ſervitutibus Ruſticorum, & Urbanorum Prædiorum.

SErvitus eſt Jus in aliena re conſtitutum, ut ejus Dominus tolerando, vel abſtinendo alteri proſit. Tolerando, ſi ſuo in fundo patiatur v. g. ut alter tranſeat, vel jumentum agat; abſtinendo, ſi v. g. ſe contineat ab extollendo Ædificio ſuo, ne proximo Ædificio alterius lumen adimat.

Sunt autem ſervitutes rei ruſticæ, vel urbanæ, ſicut & Prædia. Prædia urbana ſunt Ædificia; ruſtica ſunt loca Ædificiis vacua. (*c*)

Servitutes ruſticæ ſunt iter, actus, via,

(*a*) *L. 13. ff. quibus mod. uſufr. amit.*
(*b*) *L. 28 ff. de uſur.*

(*c*) *L. Fundi 211. ff. de verb. ſignif.*

via, aquæductus. Iter eſt jus eundi per Prædium alienum, & conſequenter jus etiam ambulandi, ſive eundi, & redeundi etiam voluptatis cauſa. Et ire intelligimus etiam eum, qui ſella vehitur, & qui Equo. Actus eſt jus agendi, ſive impellandi ducendique Jumentum, vel Vehiculum; conſequenter comprehendit etiam iter: cum minus majore contineatur. Et qui actum habet, poteſt etiam Armenta trajicere. [a] Via ad iter & actum eſt, ut totum ad ad partes. Quamobrem definitur jus eundi agendi, & ambulandi, & trahendi etiam lapides, & rectam haſtam ferendi, dum ne fructus quis excutiat, aut lædat. (b) Aquæductus eſt jus aquæ ducendæ per fundum alienum, quod fit vel tubo, vel rivo per longitudinem depreſſo. [c]

His adjiciendæ aliæ ſervitutes ruſticæ, veluti Aquæ hauſtus ex Puteo vicini Prædii, Pecoris ad Aquam appulſus, ſive jus adaquandi, & appellendi Pecoris, & Jus Calcis coquendæ, Arenæ fodiendæ, & ſimilia perſonis prædiorum cauſa adquiſita, vel voluntate Contrahentium, vel teſtamento eorum, qui ſervitutem in ſuis Prædiis alicui relinquunt, vel præſcriptione ſive longa patientia ejus, qui Prædii ſervientis eſt Dominus: qui modi ſunt ſervitutum inducendarum, ſive ruſticæ ſint eæ, ſive urbanæ.

Urbanarum autem ſervitutum celebriores ſunt hæ. Prima eſt ſervitus oneris, ut ſcilicet vicinus ſua columna regat onus Domus alienæ, quam columnam & reficere debet. (d) Secunda eſt ſervitus immittendæ trabis, aut tigni in parietem alienum, ut ibi quieſcat. Tertia, & quarta ſunt ſervitutes Fluminis & Stillicidii: quæ hoc differunt, quod Stillicidium guttatim decidit, Flumen continenter fluit. Quibus ſervitutibus efficitur, ut quis Flumen vel Stillicidium e Tecto noſtro recipiat in ædes ſuas, vel ne recipiat, ſi ego Aqua opus habeam. Quinta eſt ſervitus altius non tollendi, ſi lege Civitatis liceat cuique Ædes tollere. Sexta eſt ſervitus tollendi, ſi lex Civitatis prohibeat Ædium ſublationem in vicis vicinis.

Septima eſt ſervitus, ne luminibus officiatur, per quam prohibemus, ne vicinus Arbore, vel pariete nobis lumen adimat. Octava eſt ſervitus Luminum, per quam Feneſtras habemus in Ædes, aut Atrium alienum. (e)

Extinguitur ſervitus primo confuſione; cum quis dominium adquirit ejus Fundi, in quo ſervitutem fundaverat: cum enim habeat totum, ſervitus non conſtituit partem ſeparatam. Secundo, ſi quis Domino fundi ſervitutem remittat & cedat. Tertio per non uſum decem Annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes, ſi ſervitus habeat uſum intermiſſum, puta, ut quis alternis menſibus Aquæductu utatur: tum duplicato tempore opus eſt ad interitum ſervitutis, puta viginti annis inter præſentes, quadraginta inter abſentes; hoc eſt, inter eos, qui habitant non in una, ſed in diverſis Provinciis. (f)

TITULUS III.

De Uſufructu.

Uſufructus eſt ſervitus, quæ non Prædio, ſed Perſonæ debetur, ideoque ſervitus non realis, ſed perſonalis appellatur: Et eſt jus alienis rebus utendi, fruendi, ſalva earum ſubſtantia, Ideoque quando conſtituere volumus uſumfructum in iis rebus, quæ uſu conſumuntur, puta in Oleo Vino, Tritico, quibus nemo poteſt uti, frui, niſi ea conſumat; oportet caveamus nos, jure utendi fruendi extincto, tantundem reddituros eorum, quorum accepimus ut ſubſtantia illorum in cautione conſervetur.

Cum autem uſusfructus ſit ſervitus, quæ Perſonæ debetur, propterea extincta illa Perſona, vel in ſervitutem redacta, vel Civitate privata, uſusfructus extinguitur, & redit ad ſuam proprietatem, nempe ad ipſum Fundi Dominum, qui uſumfructum

Dd 2 alteri

(a) L. 12. ff de ſervit. ruſt. præd.
(b) L. qui ſella ff. de ſervit. ruſt. præd.
(c) L. 1 §. 2. de Rivo.
(d) L. 33. ff. de ſerv. urb. præd.
(e) L. eos l. 3. ff. de ſervit. præd. urb.
(f) L. ſi ſit 7. ff. quemad. ſervit. amitt. l. 6. ff. de ſervit. præd. urb. l. 3. C. de ſervit.

alteri debebat. Item perit uſusfructus, quando uſufructuarius per triennium non utatur ſi habeat uſumfructum rei mobilis; vel per decennium inter præſentes, vicennium inter abſentes, ſi uſumfructum habeat rei immobilis. Perit etiam uſusfructus, ſi perierit ipſa res, cujus uſumfructum habemus, hac diſtinctione, ut ſi res mutata nomen etiam mutaverit, puta ſi tota Domus corruerit, uſusfructus Domus intereat; quamvis enim area remaneat, area tamen non eſt Domus: aut res mutatione non amittit nomen, & tum uſusfructus durabit, puta, ſi relictus ſit uſusfructus Villæ, & ejus Villæ Domus collapſa fuerit: tum enim quia ſublata Domo, etiam Villa nuncupatur; uſusfructus in Villa conſiſtet, quamvis pars illius cum Domo perierit.

Tandem perit uſusfructus conſolidatione, puta, ſi proprietarius emerit jus, quod alter habeat eo fundo fruendi; vel uſufructuarius emerit proprietatem, puta, fundum alienum, in quo habebat uſumfructum: tum enim ea conjunctio in unam, eamdemque perſonam, & reverſio ad ſuam cauſam conſolidatio dicitur, & uſusfructus cum proprietate junctus appellatur uſusfructus cauſalis; uſusfructus enim ſeparatus a proprietate verus eſt uſusfructus, & formalis nuncupatur.

Si quis autem cedat alteri uſumfructum, tamen ipſe uſufructuarius manebit, eoque mortuo, uſusfructus ad proprietatem redibit; neque ceſſionarius habebit, niſi utilitatem fructuum, donec uſufructuarius vivat.

TITULUS IV.

De Uſu, & Habitatione.

USus eſt jus utendi ſalva rei ſubſtantia; ideoque tantum neceſſitati ſubvenit, cum affert lucrum, quod ex fructibus venit: neque uſuarius capere poteſt, niſi ad quotidianum victum. Ceterum in eo conſtituendo, & amittendo locum habent eadem, quæ de uſufructu diximus, neque locare licet, aut vendere uſum.

Eſt etiam & Ædium uſus, diſtinctus ab habitatione, quæ vendi, locarique poteſt, & neque per non uſum, neque per capitis diminutionem amittitur, cum in facto conſiſtat. Neque admodum habitatio differt ab uſufructu: nam licet alteri concedere habitationem, cujus jus habemus: cum is, qui Ædium habet uſum tantum, ipſe cum Familia poſſit habitare, aut ad ſummum cum hoſpite.

TITULUS V.

De Uſucapionibus, & longi temporis præſcriptionibus.

NUnc veniamus ad modos adquirendi dominii ex Jure Civili, ac primo ad Uſucapionem. Quæ eſt adjectio dominii ex continuatione poſſeſſionis per tempus lege definitum. Quod procedit quando quis, juſto, ſive a Legibus adprobato titulo, puta, emptionis, aut donationis, & bona fide rem poſſideat a non Domino, quem verum Dominum eſſe putabat. Igitur ſi quis mobilia triennio ita poſſideat, immobilia decennio inter præſentes, hoc eſt inter eos, qui ſunt in eadem Provincia; vicennio inter abſentes, hoc eſt inter eos, qui ſunt in diverſis Provinciis, eorum dominium per uſucapionem adquirit. Sed requiritur primo poſſeſſio continuata, quam neque dejectio ab ea, neque lis a vero Domino conteſtata interruperit.

Secundo requiritur ex Jure Canonico, ut bona fides, quam ab initio habet poſſeſſor adeo duret; ut verum Dominum ignoret, donec uſucapionem impleverit. (*a*) Quamobrem, ſi poſt mortem Poſſeſſoris, heres illius ſciat eam rem eſſe alienam, uſucapio ceſſat.

Tertio requiritur ut res poſſeſſa ſit in commercio privatorum, hoc eſt venditioni, aut donationi ſubjaceat, quibus non ſubjacent res Publicæ, aut Sacræ: item opus eſt ut careat vitio violentiæ, aut furti. Nam res immobiles alienæ violenter poſſeſſæ, ſi a poſſeſſore vendantur, item furtivæ, quamvis bona fide emantur, nunquam tamen uſucapiun-

(*a*) *L. ult. de præſcription.*

piuntur, neque a vero Domino abſcedunt, quamvis neſciat emptor eſſe furtivas, niſi poſt violentam occupationem, & poſt furtum res illæ redierint ad ſuum Dominum, nam tum vitium exuunt, ideoque ſi a non Domino alicui vendantur, aut donentur, is, qui bona fide accipiat, dominium illarum per uſucapionem adquirit.

Res Fiſci, cum non ſint in commercio, uſucapi nequeunt, exceptis bonis hereditatis Fiſco vacantis; cum quis nimirum ſine teſtamento, ac ſine legitimo herede deceſſerit, quæ antequam Fiſco denuncientur, uſucapere licebit.

Qui rem alienam a Fiſco, vel ab Imperatore, aut ab Auguſta, ſive Imperatrice emerit, etiamſi eam non uſucœperit, tamen ab initio eſt ſecurus, neque ab eo avelli poteſt; ſed Dominus ejus rei actionem per quadriennium habebit adverſus Fiſcum; quam ſi intra quadriennium non exercuerit, omni remedio deſtituetur. [a]

Præſcriptio, poſt Juſtinianum, ab uſucapione fere non differt, niſi quod præſcriptio extenditur ad longiora tempora, pluraque habet ſpatia, pro qualitate rerum præſcribendarum. Itaque res violenter poſſeſſæ, aut furtivæ, quæ ſpatio decem, aut viginti annorum, aut triennio uſucapi nequeunt, longiſſimo tempore, nempe triginta annorum præſcribuntur, ſicut & actiones omnes perſonales. (b) At actiones hypothecariæ [c] item actiones in Judicio motæ, deinde omiſſæ; [d] & actiones fiſcales, ad res repetendas, nonniſi quadraginta annorum ſpatio præſcribantur. [e]

Præterea Eccleſiæ bona nonniſi quadraginta annorum ſpatio præſcribantur, etiamſi Eccleſia præſcribat adverſus aliam. [f]

Contra Eccleſiam autem Romanam præſcriptio non prævalet, niſi centum annorum. [g]

Eſt aliena præſcriptio prodiens e poſſeſſione, cujus initium in nullius memoria ſupereſt, quæ dicitur præſcriptio immemorabilis, per quam bona fides præſumitur, & juſtus titulus.

TITULUS IV.

De Donationibus.

AD acquiſitiones de jure civili pertinet etiam donatio, propter formam inde acceptam. Donatio autem eſt, quod ſponte & nullo cogente conceditur. Nam quod ad referendam gratiam, vel ad ſervitium remunerandum datur, donatio improprie dicitur, appellatur autem remuneratoria.

Duo ſunt donationum genera *mortis cauſa*, & *inter vivos*.

Donatio *mortis cauſa* eſt illa, cujus cauſa dirigitur ad mortem, adeout viventis arbitrio revocetur, propterea quod a mortis contemplatione procedit. Quamobrem ſi quis donet cum vivit non contemplatione mortis, ſed tantum utilitatem ejus donationis ad mortem differt, & executionem; is non mortis cauſa, ſed inter vivos donare cenſetur, quia obligatio incipit a tempore vitæ.

Donatio autem inter vivos conſiſtit ſtatim ut quis voce, aut ſcripto donaverit, & alter rem donatam acceptaverit, dummodo eam donationem, ſi quingentum ſolidos excedat, actis inſinuet, hoc eſt, referat in acta publica. Nam ea pars, quæ talem ſummam excedit, ſi donatio non fuerit inſinuata, remanet adhuc in dominio donantis. [i]

Sunt autem donationes quædam, quæ cujuſcumque ſummæ ſint, etiam ſine inſinuatione valent: nempe remuneratoriæ, aut ad piam cauſam, vel quæ venit a Principe, aut a Duce in ſuos Milites, aut quæ cedit in inſtaurationem Ædificii. [k]

Donatio autem inter vivos revocari nequit, niſi aut Donatarius fuerit ingratus, [l] aut Donator poſt donationem ſuſceperit liberos. [m]

Si

(a) *L. 2 C de quadriennii præſcript.*
(b) *L. 1. & 3. C. de præſcript. 30. vel 40. ann.*
(c) *L 7. C. de præſcript. 30. vel 40. ann.*
(d) *L. 1. §. ad hac C. de annal. except.*
(e) *L. ult. de fundo Patrim.*
(f) *C. illud de præſcrip.*
(g) *Novell. ult., & inter. 23. C. Sacros Eccleſ.*
(h) *Cap. 1. de præſcript. in 6.*
(i) *L. Sancimus C. de donation.*
(k) *L. ſi quis per vum C. de donat.*
(l) *L. ult. C. de donat.*
(m) *L. ſi unquam C. eod.*

Si vero Parentes effuſas donationes contulerint in aliquem liberorum, poterunt eæ ab aliis uſque ad competentem ſibi portionem reſcindi.

TITULUS VII.

De Dote.

EST & donatio, quæ a Muliere, vel Mulieris nomine confertur in Virum, nuptiarum & ſubſtinendorum Conjugalium onerum cauſa, quam dotem appellamus. Cui reſpondet alia donatio, quæ in retributionem acceptæ dotis a Marito dirigitur in Mulierem, quam Juſtinianus donationem propter nuptias appellari, & doti per omnia reſpondere, pariterque incedere juſſit, tamquam ſecuritas Dotis: [*b*] quæ donatio nunc obſolevit: & in ejus locum ſucceſſerunt certæ portiones, quas poſt mortem Uxoris Vir ex dote lucratur.

Dos. Autem vel adventitia eſt, quæ aliunde quam a Patre venit; vel profectitia, ſive neceſſaria, quæ procedit a Patre, cujus officium eſt dotare Filiam, & ad quem dos revertitur, ſi ea ſine liberis moriatur; non vero ſi cum Liberis, [*c*] ex interpretatione Martini ubique recepta.

Item vel eſt æſtimata, quæ tranſit in perpetuum Mariti dominium; adeout ſoluto Matrimonio, Maritus non debeat, niſi pretium, tanquam rei venditæ, etiamſi perierit; vel inæſtimata, cujus poſſeſſio, & dominium civile manet apud Maritum, donec Uxor vivit: eaque mortua redditur talis, qualis reperitur, dum ne culpa Mariti fuerit facta deterior. Ac mobilia quidem dotalia ſoluto Matrimonio reſtituuntur intra annum, immobilia ſtatim, [*d*] Sed & aliquando, manente etiam Matrimonio, poteſt Uxor cautionis gratia dotem repetere, ſi Vir ad inopiam vergat. (*e*)

TITULUS VIII.

Quibus alienare liceat, vel non liceat.

ALiquando evenit, ut qui Dominus eſt alienare non poſſit, & contra qui Dominus non eſt poſſit alienare. Dominus non quidem naturalis, ſed civilis rei dotalis, ut diximus, eſt Maritus, donec Matrimonium duret: & tamen alienare fundum dotalem non poteſt, ne quidem Uxore conſentiente, niſi fundum acceperit æſtimatum: cujus loco debet Maritus pecuniam. (*f*)

Alienare vero poſſunt, quamvis Domini non ſint, Tutor bona Pupilli, Curator bona Minoris, & Creditor pignus Debitoris, quando ſolemnia *legis ult. C. de Fure dom. impetr.* obſervaverit in alienando pignore, & illic Decretum Judicis obtinuerit: quod eſt etiam neceſſarium, ut ſupra innuimus in alienationibus immobilium Pupilli & Minoris: (*g*)

At Pupillus contra, & Minor, & prodigus, & furioſus, cum ſint Domini, alienare tamen non poſſunt, (*b*) uti nec Filiusfamilias bona adventitia ſibi ſcilicet vel donata, vel relicta ab alio quorum Patri quæritur uſusfructus, cujus & uſusfructus dimidium qui filium emancipavit, poſt emancipationem retinebit; manente ſemper apud Filium proprietate. Eaque bona peculii adventitii nomine veniunt.

Peculium vero profectitium conſtat ex iis bonis, quæ a Patre ad Filium familias veniunt; quæque adeo a Patris dominio non abſcedunt, ut quidquid ex iis per Matrimonium Filius comparaverit, & illis negociando adjecerit, totum Patri adquiratur.

Eſt & peculium Caſtrenſe quod componitur ex lucro militari, & quaſi Caſtrenſe, quod conſtituitur ex lucro literario: in quibus peculiis Filiusfamilias pro Patrefamilias habetur, ideoque neque uſumfructum eorum Pater habet, ſed plena proprietas eſt Filii adquirentis. Veniamus nunc ad adquiſitiones Juris Civilis ex titulo univerſali.

TI-

(*a*) *Tot. tit. C. de inoff. don.*
(*b*) *L. ult. C. de donat. ant. nup.*
(*c*) *L. Dos a Patre C. de Jure dot.*
(*d*) *L. unic C. rei Uxor. act.*
(*e*) *L. ubi ad hoc Jur. Dot.*

(*f*) *L. 5. 10. §. 4. ff. de Jur. dot.*
(*g*) *L. 1. & 2. C. de reb. cor. qui ſub tut. & C. de præd. & aliis reb. min. ſin. decret.*
(*b*) *L. cum alienam. L. lex quæ Cod. de admin. tut.*

Digitized by Google

TITULUS IX.

De Teſtamentis ordinandis.

Teſtamentum eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. Teſtatur autem vel ſcripto, vel voce, hoc nuncupativum, illud ſcriptum appellatur.

Scriptum teſtamentum ut valeat ita eſt ordinandum.

Primo teſtari oportet unico actu, eodemque contextu: adeo ut tantum propter naturales corporis neceſſitates intermitti poſſit teſtandi actus. (*a*)

Secundo adhibendi ſunt ſeptem Teſtes, Cives Romani puberes, ad hoc rogati, ut interſint ſciantq; cui negocio adhibeantur. Cives autem Romani hodie ſunt quotquot in communione Pontificatus & Imperii Romani continentur.

Tertio, ut Teſtes, & Teſtator ſe ſubſcribant; vel Teſtatoris nomine octavus Teſtis, ſi Teſtator literas neſciat.

Quarto, ut Teſtes ſinguli teſtamentum obſignent.

Quinto, ut Teſtes adſint in conſpectu Teſtatoris, ipſumque adſpiciant. Quæ omnes obſervationes præſcribuntur. *L. hac conſultiſſima C. de Teſtam.*

Verum eæ ſolemnitates in aliquibus Teſtamentis benigne remittuntur. Ac primo in Teſtamento, ubi inſtituuntur liberi Teſtatoris, ſive in Teſtamento inter Liberos; quod ut valeat, ſatis eſt ſi conſtet eſſe veram Teſtatoris voluntatem. (*b*)

Secundo in teſtamento Ruſticorum, ubi quinque ſufficiunt teſtes, nec requiritur ſubſcriptio Teſtatoris, aut teſtium, ſi literati deſint. (*c*)

Tertio in Teſtamento tempore Peſtis condito, ubi non plus requiruntur teſtes, quam inveniri poſſunt. (*d*)

Quarto, Teſtamentum apud acta Principis inſinuatum valet, etſi ſolemnitatibus careat. (*e*)

Quinto, remittuntur in teſtamento poſteriore, ubi inſtituuntur heredes, qui venirent ab inteſtato: in eo enim ſufficiunt quinque teſtes. (*f*)

Sexto, in teſtamentis ad pias cauſas, ubi ſufficiunt teſtes duo. (*g*)

Septimo, in teſtamentis Clericorum. (*h*)

Denique jure Canonico teſtamentum valet conditum coram Parocho, & duobus teſtibus. Quod habet locum etiam in cauſa profana, præcipue in Ecclesiaſtica ditione & Foro.

Obſignari vero poſſunt a teſtibus teſtamenta non ſuo ipſorum tantum, ſed & alieno, atque Teſtatoris etiam annulo; nec modo pluribus, ſed & uno quolibet annulo, qui characterem imprimat. (*i*)

Ut quis autem poſſit eſſe teſtis, neceſſe non eſt eum haberi teſtamenti factionem activam, hoc eſt poſſe teſtamentum condere; ſed habere debet ſaltem teſtamenti factionem paſſivam, hoc eſt, ut poſſit capere ex teſtamento. Excepta Muliere, Servo, Furioſo, Muto, Surdo, Cæco, qui Teſtatorem cernere nequit; & Prodigo, cui a Judice ſit bonorum adminiſtratio interdicta. Hi etenim omnes quamvis capere poſſent ex teſtamento, tamen teſtes eſſe prohibentur.

De una Domo plures adhibere teſtes permittitur, adeo ut etiam Pater cum ſuo filiofamilias teſtes eſſe liceat in teſtamento alieno.

Filiusfamilias vero in teſtamento Patris; & Pater in teſtamento filiiſamilias de caſtrenſi peculio in Urbe teſtantis teſtes eſſe non poſſunt: quamvis conjunctæ aliæ perſonæ non prohibentur in Conſanguinei ſui teſtamento teſtes adeſſe.

Heres vero non modo ipſe, ſed, & qui ſecum unam perſonam conſtituunt, puta Pater, ſub cujus poteſtate eſt, vel Filius, quem heres habet in poteſtate, vel Frater heredis quicum ille ſub ejuſdem Patris poſtate manet; repelluntur a munere teſtium ejus teſtamenti, ubi heres aliquis eorum inſtituitur: quamvis non repellantur legatarii, & fideicommiſſarii particulares, aliique, cum quibus principale teſtamenti negocium ſicut in herede non geritur. (*k*)

In

(*a*) *L. hac conſultiſſima 11. C. de Teſtam. L. heredes palam C. qui teſtam. fac.*

(*b*) *ubi quod ſine C. de teſtam., & L. hac. conſultiſſima C. eod.*

(*c*) *L. ult. C. de teſtam.*

(*d*) *Miſing obſ. 96.*

(*e*) *L. omnium 9 C. de teſtam.*

[*f*] *L. 2 § penult. ubi DD. C. de teſtam.*

(*g*) *C. relatum de teſtam.*

(*h*) *D. C. relatum, & C. cum eſſes de teſtam.*

(*i*) *L. 32. ff. qui teſtam fac.*

(*k*) *L. 22. C. de teſtam.*

Digitized by Google

In teſtamento vero ſine ſcriptis, ſive nuncupativo, ſufficit Teſtatorem palam, hoc eſt, coram ſeptem teſtibus voluntatem ſuam declarare, ut iidem omnes audiant, qui eo mortuo, ſint de illius voluntate teſtaturi.

Sed ut vitaretur incommodum, quod accidere poſſet ex morte teſtium, ex quibus fides teſtamenti exquirenda eſſet, conſuevere teſtamenta hæc a Notariis mandari ſcriptis, Notarii enim fides pro fide teſtium recipitur præmortuorum. Hinc, ſi voce quis aperire nolit mentem ſuam, ſufficiat ei ſchedulam præferre, quam coram Notario, & ſeptem teſtibus declaret ſuam teſtantis eſſe voluntatem. Quod de utriuſque teſtamenti natura participat.

Milites vero, qui eſt in Caſtris, ſi teſtetur, nulla ſolemnitate opus habet, dum quocumque modo, de ſuæ voluntatis veritate, poſt mortem conſtare poſſit. Et is, quamvis Filiusfamilias ſit, tamen de peculio caſtrenſi teſtari non prohibetur. Quod extenſum eſt ad peculium quaſi Caſtrenſe, de quo profeſſores literarii, quamvis Filiifamilias ſint, teſtari poſſunt, dummodo communes, ac ſupra expoſitas Juris Civilis Solemnitates adhibeant.

In ceteris vero bonis filiifamilias teſtari prohibentur etiamſi Pater conſentiat, ne jus publicum, privatorum voluntate lædatur adeout nec eo Patrefamilias facto, Teſtamentum antea conditum confirmetur.

Teſtari prohibentur & impuberes, Maſculi nempe ante decimum quartum, Fœminæ vero ante duodecimum annum completum. Qui Anni hac in re, utpote favorabili, completi dicuntur ab iis, ſi ſupremam ejus anni diem attigerint.

Item prohibentur furioſi, niſi vel ante furorem Teſtamentum fecerint, vel illud condant furore intermittente, nempe reſipiſcentiæ tempore.

Item Prodigus, poſtquam ei bonorum adminiſtratio fuerit interdicta, & ſurdus, aut mutus ſi literas neſciant. (a)

Cæcus etiam, ſi ſolo Corporis vitio laboret, per nuncupationem teſtari permittitur, dummodo voluntatem voce protulerit coram ſeptem Teſtibus & Tabulario: vel eo abſente adhibeatur octavus Teſtis, omneſque ſubſcribant, aut ſignent. (b)

Qui eſt apud hoſtes, quia Civitatem amittit, ibi Teſtamentum facere non poteſt. Verum quod fecit, dum erat in Civitate, ſubſtinebitur, ſive apud hoſtes decedat, ſive redierit; Lex enim Cornelia fingit eum nunquam Urbe ceſſiſſe.

Obſides etiam, quia pignoris loco ſunt, & voluntatem habent impeditam, teſtamentum facere prohibentur, eorumque bona Fiſcus occupat. (c)

Pater autem familias, ut rite condat Teſtamentum debet Filium nominatim aut inſtituere, aut exheredare; nam ſi omnino de Filio taceat, dicitur præterire Filium; ideoque teſtamentum erit ab initio nullum ex cauſa præteritionis.

Eſt autem exheredatio ademtio portionis lege debitæ. Qualis eſt ea, quæ a Patre debetur Filiofamilias, vel Nepotibus ex eo, qui locum illius, ſive mortui, ſive emancipati ſubierint; non autem aliis Conſanguineis, quibus ſi nihil relinquatur, non dicuntur exheredati, quia nihil ex teſtamento iis lege debetur, cum Filio, & Nepotibus ex eo locum illius occupantibus certa portio a lege in teſtamento paterno ſtatuatur cujuſcumque ſint ſexus, niſi ſint emancipati; qui ſi prætereuntur, teſtamentum non erit ipſo jure nullum; ſed rumpetur per remedium a Prætore ſive a Magiſtratu inventum, quæ appellatur bonorum poſſeſſio contra tabulas, per quam Magiſtratus aditur, ut ejus actoritate teſtamentum paternum rumpatur, & Filio emancipato præterito, debita portio, ex paterna ſubſtantia decernatur.

Adoptivis Filiis Pater adoptivus non cogitur quidquam relinquere ſi adoptatus non fuerit ab Avo materno, vel paterno, in quorum poteſtatem tranſit; nam ſi adoptatus ab extraneo, & a Patre naturali prætereatur, habebit contra Patris naturalis teſtamentum bonorum poſſeſſionem contra Tabulas, ex qua legitimam portionem conſequentur.

Miles vero propter militare privilegium, & Mater, & Avia, itemque Avus maternus, quia Filios, & Nepotes in poteſtate non habent, ſi filios prætererint,

(a) *L. diſcretis 10. C. de Teſtam.*
(b) *L. hac conſultiſſima C. de Teſtam.*
(c) *L. 10 ff. quib. non eſt perm. l. Divus 31. ff. de jur. Fiſci.*

rint, ipſo ſilentio cenſetur eos exheredare. Ita vero exheredati per querelam inofficioſi teſtamenti, de qua inferius, debitam ſibi ex lege portionem obtinebunt.

TITULUS X.

De Heredibus instituendis.

INſtituere eſt, eum quis alium ſubrogat in locum ſui morientis. Omnes autem illos inſtituere poſſumus, quos Jure, ſive in toto, ſive in parte inſtituere non prohibemur.

Quamobrem qui filios habet legitimos, non poteſt naturalibus relinquere, niſi unciam, nempe duodecimam hereditatis partem; at ſi Liberos legitimos non habeat, poterit naturalibus relinquere quantum velit, (*a*) dummodo, ſi habeat aſcendentes, eis reliquerit legitimam portionem.

Apoſtatas vero, & Hæreticos ulla in parte permittitur inſtituere. (*b*)

Dividi hereditas poteſt in quotcumque quis velit heredes, dummodo ad infinitum numerum non excurrat, & in quotcumque velit partes, quæ poteſtate Juris trahuntur ad duodenas, ex quibus conficitur as, qui appellatur hereditarius, quique idem eſt atque hereditas. Sed præſentibus moribus potius per certas ſpecies corporum hereditariorum, quam per partium nomina hereditas a Teſtatore diſtribuitur.

Inſtituere autem poſſumus vel pure, hoc eſt ſine adjectione ulla conditionis, aut diei, puta *Titius heres eſto:* vel ſub conditione, puta, heres eſto, ſi Navis ex Aſia veniet. Quæ inſtitutio ſi Navis venerit ex Aſia, redditur pura, & heres intelligitur uſque a morte Teſtatoris, antequam Navis ex Aſia veniret, quia conditio poſtquam evenerit, trahit diſpoſitionem ad tempus ante reditum; Si Navis non venerit, nullo tempore erit heres, quaſi defunctus deceſſerit inteſtatus.

Sed ſi quis inſtituatur in diem, puta ad quinquennium poſt mortem meam, vel ex ea die puta, heres ſit a quinto poſt mortem meam Anno; iſtæ adjectiones rejiciuntur, & heres erit a morte Teſtatoris, ne ſi per ea tempora, quæ inter deſignatos dies interfluxerunt, quis non ſit heres, defunctus contra Juris regulam decedat inteſtatus. Repugnat autem quem partim teſtatum, partim inteſtatum decedere: excepto Milite. [*c*]

Dies incertus pro conditione habetur; quia ignoratur, an dies ſit venturus, puta Titius heres eſto, cum Conſulatum inierit. [*d*]

Perſona heredis debet eſſe certa, & expreſſa ſaltem aliquo indubitato ſigno, propiereaque conferri non poteſt in alterius perſonam inſtitutio, puta, heres mihi eſto quem Titius voluerit.

Irritæ etiam ſunt inſtitutiones illæ, quibus alterius voluntatem captamus, quæque propterea captatoriæ appellantur, veluti ex qua parte me Titius heredem fecerit, [*e*] ex ea illi mihi heres eſto.

Conditio impoſſibilis pro non adjecta habetur, nec vitiat inſtitutionem; veluti heres eſto ſi digito Cœlum attigeris. Inter impoſſibiles autem refertur conditio, quæ bonis moribus repugnat, veluti *ſi hominem occideris*; vel quæ facto impleri nequit, veluti ſi montem aureum mihi dederis; vel quæ verborum repugnantia evertitur, veluti *ſi Titius heres erit, Sejus heres eſto; & ſi Sejus heres erit, Titius heres eſto*; altera enim harum alteram tollit.

Si plures conditiones ſint adjectæ conjunctim, veluti, *ſi hoc & illud factum fuerit* utramque oportet implere; ſi vero disjunctim, nempe, *ſi hoc, aut illud*, ſatis erit alterutrum præſtari.

Heres inſtituitur recte is etiam, quem Teſtator non vidit, dum ſit certus, veluti Fratris mei *Filius*, qui Athenis vivit.

Inſtitui autem ſub conditione poſſunt omnes, præter Filiumfamilias, qui inſtitui non poteſt, niſi ſub conditione, quæ ab ipſius pendet arbitrio, quam poteſtatem appellant; nempe *ſi Capitolium aſcenderit*.

(*a*) *Auth. licet C. de natur. lib.*
(*b*) *L. 3. C. de Apoſt. L. 4. C. de Heret. & Manich.*
(*c*) *L. miles ita ff. de Teſtam. mil.*
(*d*) *L. ſi dies ff. de quando die leg. ced.*
(*e*) *L. captatoris ff. de hered. inſtit. l. captatoria ff. de legat. 1.*

TITULUS XI.

De Vulgari ſubſtitutione,

SUbſtitutio eſt ſecundo, vel ulteriori gradu facta inſtitutio. Eaque vel omnibus perſonis & temporibus convenit, & vulgaris appellatur, nempe hæc, *ſi Titius heres non fuerit*, *Sempronius heres eſto*: vel convenit Pupillo tantum, uſque ad pupillarem ætatem, & pupillaris dicitur, veluti *Filium meum heredem inſtituo*, *eique*, *ſi heres ſit & in pupillari ætate deceſſerit ſubſtituo Cajum*. Ad hujus exemplum prodiit alia ſubſtitutio, quæ dicitur exemplaris, & fit a Patre Filio mentecapto, & minime ad teſtandum idoneo, deſinitque cum Filii furore ſi reſipiſcat, quæ propterea exemplaris appellatur, inque tertio inſtitutionum loco ponitur. Quarta eſt breviloqua, ſeu melius reciproca, qua inſtituti heredes, invicem ſubſtituuntur, ſi unus, aut plures eorum heredes non fuerint. Quinta vocatur compendioſa, quæ plures ſubſtitutionum ſpecies comprehendit, per hæc verba: *Quandocumque deceſſerit*. Qua formula continetur vulgaris, pupillaris, & exemplaris. Sexta militaris privilegiata, quæ fit a Milite.

Quæ omnes ſunt ſubſtitutiones directæ, a quibus differt fideicommiſſaria, ubi heres inſtitutus rogatur reſtituere ſubſtituto, quæ & obliqua nuncupatur.

Militaris porro id habet præcipui quod directo fit in duplicem caſum, nempe, *ſi heres non ſit*, *& ſi heres ſit*, *& poſtea deceſſerit*, Nam & hoc altero caſu ſubſtitutus non tanquam ex Fideicommiſſo veniet, ſed tamquam directo vocatus.

Traduntur autem in ſubſtitutione vulgari regulæ tres. Prior eſt, ut quando inſtitutus adire poterit, ſubſtituto non ſit locus. Secunda ut ſubſtitutio expiret, ſi hereditas adita fuerit ex inſtitutione. Tertia, ut ſubſtitutio non proſit, niſi ſubſtitutis viventibus; adeout qui hereditatem ex ſubſtitutione non adierit, eam moriens ad heredem tranſmittere nequeat.

Si autem quis non adjiciat clauſulam *ſi heres non erit*; ſed ſimpliciter dicat, *Titium inſtituo*: *eique ſubſtituo Cajum*, perinde erit ac ſi eam clauſulam adjeciſſet. Quæ clauſula comprehendit non ſolum caſum ſi heres eſſe noluerit, verum etiam caſum ſi heres eſſe nequiverit. (*a*) Eademque clauſula *ſi heres non erit*, varios pro heredum qualitate parit effectus. Nam, ſi adplicetur heredi extraneo ſui juris, continet caſum, quo quis neque ipſe ſit heres, neque tranſiens in poteſtatem adoptantis eum heredem fecerit. Etſi adplicetur heredi extraneo juris alieni, continet caſum, quo neque ipſe ſit heres, neque hereditatem Parenti, Dominove quæſierit. Si vero adplicetur heredi ſuo, quem ſua Teſtator habet in poteſtate, ſignificat, ſi ſe abſtinuerit hereditate paterna uſus beneficio Prætoris: cum jure Civili Filius etiam ſine aditione ſit heres.

Si autem unus ſubſtituatur pluribus, is ad omnium partes vocatur, adeout iis decedentibus cunctis, veniat ad totum aſſem. Si plures ſubſtituantur uni, divident ſibi aſſem æqualiter. Si plures pluribus etiam inæqualibus ex partibus inſtitutis ſubſtituantur, partes inter ſubſtitutos itidem æqualiter dividentur. Si ſinguli ſubſtituantur ſingulis, tum quiſque ſubſtitutus aufert partem adſcriptam illi, cui ſubſtituitur.

At ſi plures inſtituantur, & invicem ſubſtituantur, quantitas cuique adſcripta in inſtitutione, cenſetur in ſubſtitutione repetita; & diviſio inter ſubſtitutos in partes hereditarias fiet non in viriles ut hoc in exemplo; *Titius ex uncia heres eſto*, *Mævius ex beſſe*, hoc eſt ex octo unciis, *Cajus ex quadrante*, hoc eſt ex tribus unciis. Mortuo Cajo quadrans ipſius dividetur in partes novem, quarum octo feret Mævius, qui fuerat inſtitutus in octo unciis, unam vero Titius, qui fuerat in uncia inſtitutus. (*b*)

Eadem ratione repetitæ putantur etiam in ſubſtitutione additiones, & clauſulæ adjectæ in inſtitutione; (*c*) & legata relicta ab inſtitutis, repetita cenſentur a ſubſtitutis, qui debent præſtare, quod ex mandato Teſtatoris præſtitiſſet inſtitutus. (*d*)

Si

(*a*) L. 2. C. hered. inſt. l. 56. ff. ſolut. Matr.

(*b*) L. 1. C. de impub. & aliis ſubſt. l. 24. ff. vulg.

(*c*) Cujac. in l. 1. ff. de Impub. & aliis ſubſt.

(*d*) L. licet Impubes 74. ff. legat. 1.

Si vero quis Titium, & Mævium ſcripſerit heredem; & Mævium Titio; Mævio autem Sempronium ſubſtituerit, eo caſu ſive Mævius præmoriatur Titio, ſive Titius Mævio, Sempronius utriuſque partem habebit. Cum enim alterius heredis pars adhæreſcat alteri; per regulam Juris, ne quis pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus, decedat, neceſſe eſt ut ſubſtitutus ſubſtituto, cenſeatur etiam ſubſtitutus inſtituto.

TITULUS XII.

De Pupillari ſubſtitutione.

SUbſtitutio pupillaris quæ ſit, ſupra eſt expoſitum. Quæ cum a Patre fiat Filio impuberi, quem habet in poteſtate, ſi heres ſit, & in pupillari ætate decedat, propterea fieri non poteſt Filio emancipato. (*a*)

Per vulgarem autem ſucceditur Patri; per pupillarem ipſi Filio, cui ſubſtituendo Pater teſtamentum condidiſſe cenſetur; propterea ſubſtitutus ſuccedit Filio, non ſolum in Paternis, ſed in aliis etiam bonis Filio aliunde quæſitis. (*b*) At qui adrogato Filio ſubſtituitur, admittitur ad ea tantum bona, quæ adrogatus habuit beneficio adrogatoris. (*c*)

Et cum quis Filio vulgari modo ſubſtituit, nempe *ſi heres non ſit*, cenſetur etiam ſubſtituiſſe pupillariter tacite; nempe *ſi heres ſit, & in pupillari ætate deceſſerit*: e converſo ſi quis pupillariter ſubſtituerit, nempe, *ſi heres ſit, & in pupillari ætate deceſſerit*, cenſetur etiam tacite ſubſtituiſſe vulgariter, nempe, *ſi heres non ſit*: adeout vulgaris expreſſa pupillarem tacitam contineat, & expreſſa pupillaris tacitam vulgarem. [*d*]

Nec ſolum inſtituto ab ſe Filio, ſed etiam exheredato, Pater dare poterit ſubſtitutum; in filii enim commodum cedit, ut Pater pro eo teſtetur, eum Filio providere cenſeatur.

Niſi autem Pater teſtamentum fecerit, ſubſtitutio pupillaris non valet. Quæ ſubſtitutio adeo ab eo teſtamento pendet, ut illius caſum ſequatur, eoque currente, ſimul etiam illa ſit, ſi ab initio ipſum Teſtamentum paternum nullum fuerit.

Dupliciter vero concipere ſubſtitutionem pupillarem poſſumus: primo generaliter, nempe ita: *Quiſquis mihi heres erit, cum Filio meo, ſi heres ſit, & decedat in pupillari ætate, ſubſtituo*. Secundo nominatim nempe ita: *Si Filius meus heres erit, & impubes deceſſerit, Titius heres eſto*. Per generalem ſubſtitutionem non venient ad hereditatem impuberis, niſi qui ſcripti ſunt heredes in teſtamento Patris; non qui per ſcriptos heredes portiones hereditarias ſubſtulerunt, veluti Pater, qui per Filium ſuum familias heredem ſcriptum adquiſivit Teſtatoris ſubſtituentis portionem, niſi adhuc filiusfamilias adquirens maneat in poteſtate. Nam ſi de poteſtate exierit, portionem Pupilli, cui ſubſtituitur, ſibi, non Patri adquiret.

Et ſimiliter heres illius heredis, qui a Patre fuit inſtitutus, nihil poterit ex pupillari teſtamento petere. (*e*)

Deinde ad hereditatem Pupilli non admittitur, niſi qui Patris hereditatem adierit, alioquin non comprehenderetur ſub illa clauſula: *Quiſquis mihi heres erit*.

Præterea ſubſtitutus pupillaris, ſub ea clauſula eas ex ſubſtitutione pupillari feret partes, quas habuit ex inſtitutione.

In ſubſtitutione autem nominatim facta hæc oppoſitu modo procedunt. Nam neceſſe non eſt, ut ſubſtitutus filio ſcriptus ſit heres Patri; aut ſi ſcriptus ſit, neceſſe non habet hereditatem paternam adire. Satis eſt enim ſi utramque adeat ex pupillari. Tandem ſubſtituti nominatim veniunt in viriles, non in partes eas, quas habuerunt ex inſtitutione: quia ſingulorum nominum expreſſio partium æqualitatem inducit.

Igitur nemo ſubſtitutum directo dare poteſt extraneo aut filio puberi, ſed ſolum Miles in iis tantum bonis, quæ ab ipſo Milite veniunt. (*f*) Et ſive per compendium verborum, ſive poſt pubertatem ei ſubſtituerit, ſubſtitutio dum heres erit impubes, valebit jure communi; at poſt pu-

berta-

(*a*) *L. jam hac jure ff. de vulg.*
(*b*) *L. ſed ſi 10 §. ad ſubſtitutum ff. de vulg.*
(*c*) *Loco cit.*
(*d*) *L. 14 ff. de vulg. & l. 4 C. de imp. & aliis ſubſt*

(*e*) *L. 3 l 8. §. 1. ff de vulg. DD comm l Filiofam. ff l. 1 Dtw. de vulg. c. 14.*
(*f*) *L. 5. Miles ff de Milit. teſt. l. centurio 15. ff de vulg.*

bertatem valebit ex privilegio militari, jure fideicommiſſi: (a) Si vero Paganus puberi directo ſubſtituerit, *quandocunque deceſſerit*, ut directe quidem non valebit, ſed trahitur ad fideicommiſſariam ſubſtitutionem. Et legitimi ſucceſſores cenſentur rogati ſubſtituto reſtituere. (b)

TITULUS XIII.

Quibus modis teſtamenta infirmentur.

Teſtamenta, vel nulla ſunt, quando legitima facultate quis caret, aut legitimas ſolemnitates non adhibuit; vel ſi valeant ab initio, tamen infirmari poterunt: vel quia rumpuntur, vel quia irritentur.

Rumpuntur cum quis facto teſtamento in Filium ſibi aliquem adrogaverit, vel ſi Avus, aut maternus, aut paternus Nepotem adoptaverit; tum enim hi ſuccedentes in locum heredis ſui teſtamentum rumpunt ex cauſa præteritionis: (c) qua ex cauſa etiam rumpitur, ſi Teſtator poſt teſtamentum conditum, ſuſcipiat ex Uxore liberos, (d) aut ſi Nepos, Patre de medio ſublato, in ejus locum ſuccedat, Avoque fiat heres ſuus; aut ſi ante teſtamentum ſuſceptus ex Concubina Filius, poſt teſtamentum per Principis Reſcriptum fiat legitimus. (e)

Rumpitur præterea teſtamentum voluntatis mutatione, hoc eſt teſtamento poſteriore, etiamſi prioris inſtitutio ſit pura, & poſterioris conditionalis: adeout etiamſi conditio non eveniat, poſterius Teſtamentum ſit inutile, prius vero ſemel collapſum minime convaleſcat. Immo etiamſi poſterius Teſtamentum contineat inſtitutionem heredis in re certa, rumpetur prius, in quo heres in toto aſſe inſtituitur. Nam detracta rei certæ mentione, habetur pro inſtitutione univerſali. Et ſi Teſtator in poſteriori hoc Teſtamento, ubi heres inſtituitur in re certa, adjecerit ſe velle prius teſtamentum valere, tum heres iſte ſcriptus in teſtamento poſteriore accipiet rem illam certam, & quod deſit ad quartam explendam; reliquum vero reſtituet heredi ſcripto in anterioribus tabulis: ſed etſi quis novum teſtamentum non condat, ſi tamen conditum deleverit, aut cancellaverit, illud infringet. (f)

Irritum vero redditur teſtamentum, ſi poſtea Teſtator ſtatum mutaverit, ſive per capitis mutationem minimum, veluti adrogationem, ſive per mediam, veluti deportationem, ſive per maximam, puta per ſervitutem pœnæ. Sed Filiusfamilias, qui de bonis caſtrenſibus teſtatus fuerat, ſi emancipetur, teſtamentum non irritabit ſui ſtatus mutatione. (g)

Beneficio autem Prætoris, teſtamenta, quæ valuerunt ab initio, quamvis poſtea Teſtatores ſe in adrogationem dederint, ſi tamen ſui juris tempore mortis inveniantur, neglecto medii temporis vitio, confirmantur. (h)

Quo vero prius teſtamentum per poſterius rumpatur, oportet in poſteriore ſolemnitates juris intervenisse: alioquin ex imperfecto teſtamento poſteriore, prius perfectum non rumpetur. Niſi agatur de teſtamento Militis, vel Parentum inter Liberos, (i) vel eorum, qui legitimos ſucceſſores inſtituerunt. His enim, quamvis poſterioribus & imperfectis, priora & perfecta rumpentur: ſicuti rumpentur etiam, ſi a priore teſtamento condito decennium effluxerit & Teſtator coram tribus Teſtibus declaraverit ſuam revocandi voluntatem, ſive in teſtamento imperfecto, ſive alio modo, nempe apud acta. [k]

Porro eſt recepta interpretum ſententia, poſteriori teſtamento abrogatum non cenſeri prius, ſi in priore derogatum omnibus poſterioribus voluntatibus inveniatur; niſi Teſtator in poſtrema voluntate nominatim eidem priori teſtamento derogaverit: nec enim ad illud rumpendum ſufficeret generalis derogationis clauſula in poſteriori adjecta teſtamento. Antonius Faber [l] addit ipſius clauſulæ derogatoriæ mentionem in poſteriore teſtamento eſſe faciendam. [m]

Si

(a) *L. precibus ff. de impub. & al. ſub.*
(b) *DD. l. verbis civilibus ff. de vulgar.*
(c) *L. ſi quis 18. ff de injuſt. rupt. & irr. fact. teſtam. l. 23. §. 1. ff. de lib. & poſth.*
(d) *L 3. §. ff. de injuſt. rupt. & irr.*
(e) *Nov. 83 c. 8 9*
(f) *L. ult. ff. de injuſt. rupt. & irr. fac.*
[g] *L 6 §. ult ff de injuſt rupt. & irr.*
(h) *L 2. §. 2 ff de bon poſſ ſec. tab.*
[i] *L. 2. ff. injuſt. rup. l 22. §. 1. cum auth. ſeq. & §. 2. C. de teſtam.*
(k) *L. ſancimus C de teſtam.*
(l) *Defin 6. in ſuo C. de teſtam.*
(m) *Vid. Cujac. obſ. 14 c. 7. l. ſi quis 22. ff. de legat. 3.*

Si autem in priori teſtamento Liberi fuerunt inſtituti, non rumpetur per poſterius, niſi hoc perfectum fuerit, & ſpecialem expreſſamque prioris illius revocationem contineat. (*a*)

Et quamvis generalis regula tradatur, ne prius teſtamentum, niſi per aliud perfectum rumpatur, tamen ſi quis, cum imperfecte teſtetur, declararet heredem in priore teſtamento inſtitutum, eſſe indignum ex injuria, qua Teſtatorem affecit, inſtituto excluſo, hereditatem Fiſcus occupabit: (*b*) Quamvis alioquin, neque ex imperfecto teſtamento Princeps capere poſſit, neque illam hereditatem adire, in qua inſtitutus fuit ad opprimendum Adverſarium Teſtatoris metu potentatus.

TITULUS XIV.

De inofficioſo Teſtamento.

QUando quis contra naturale pietatis officium Filium exheredaverit, per querelam, quæ *inofficioſi teſtamenti* nuncupatur, ut furioſus arguitur, & ejus voluntas poſtrema, tamquam amentis evertitur: ſicuti evertitur etiam teſtamentum Matris per hanc querelam, ubi Filius fuit ab ea præteritus; quia præteritio Matris, quæ non habet Filium in poteſtate, non reddit nullum teſtamentum ab initio. Sed quoniam ipſius præteritio pro exheredatione habetur, ideo Filius tamquam exheredatus querelam intendet.

Militis tantum teſtamentum eſt ab omni querela ſecurum propter militare privilegium.

Non licet autem exheredare Filium, niſi expreſſa per ipſum Teſtatorem cauſa; pro banda vero per heredem.

Cauſæ vero, propter quas Patri licet Filium exheredare ſunt quatuordecim, nempe: (*c*)

Prima, ſi quis Parentibus violentas manus attulerit. Secunda, ſi contumelia eos affecerit. Tertia, ſi capitali crimine eos accuſaverit, excepta cauſa Majeſtatis. Quarta, ſi cum maleficis, maleficii cauſa conſueſcat. Quinta, ſi Parentibus mortem moliatur. Sexta, ſi cum Noverca, vel Patris Concubina ſe conjunxerit inhoneſte. Septima, ſi Parentes ingenti eorum diſpendio aut detulerit, aut Magiſtratibus prodiderit. Octava, ſi eos fidejubendo vinculis eximere noluerit. Nona, ſi eos teſtamentum condere prohibuerit. Decima ſi præter voluntatem & profeſſionem paternam cum Arenariis, Gladiatoribus, & Mimis verſetur. Undecima, ſi Filia nondum 25. annum egreſſa, nec Patre Dotem negante, luxurioſæ vitæ ſe dederit (*d*). Duodecima, ſi Patrem furentem curare, aut alere neglexerit. Decimatertia, ſi Patrem captivum non redemerit: quo etiam Patre in captivitate mortuo, bona Filio erepta, tamquam indigni, Eccleſiæ, in aliorum Captivorum redemtionem traduntur. Decimaquarta, ſi Patre Ortodoxo, Filius in hæreſim labator. (*e*)

Filio vero licet exheredare Patrem ex his cauſis: Prima, ſi Filium capitis accuſaverit, excepto crimine Majeſtatis. Secunda, ſi lethales ei ſtruxerit inſidias. Tertia, ſi cum Nuru concubuerit. Quarta, ſi Filium teſtari volentem de bonis ſibi permiſſis prohibuerit. Quinta, ſi Filium captivum redimere noluerit. Sexta, ſi eumdem furentem alere recuſaverit. Septima, ſi Pater ſit hæreticus. [*f*]

Frater autem his ex cauſis Fratrem exheredare poterit. Primo, ſi Fratris teſtantis vitæ inſidietur. Secundo, ſi Fratrem eumdem capitis acceſſierit. Tertio, ſi bonis eum exuere tentaverit.

Sciendum eſt, reſciſſo per querelam Teſtamento, inſtitutionem tantum corruere, firmis manentibus legatis, & Fideicommiſſis. (*g*)

Competit querela hæc liberis etiam adoptivis., ſi ab Avo paterno, vel materno adoptentur: exceptis adrogatis propter quartam, quam accipiunt ex reſcripto

---

(*a*) *Auth. hoc inter Liberos C. de teſtam. Perez. eod tit. ſub. n. 28.*

(*b*) *L. hereditas. C. de his quib. ut ind.*

(*c*) *Auth non licet C. de lib. præter. nov. 115. c. 3.*

(*d*) *L. ſi Filia junct. auth. ſeq. C. inoff. Teſtam.*

(*e*) *D. novell. 115. h. c. auth. ut cum appellatione cognoſc § aliud quoque cap 7.*

(*f*) *Nov. 22. §. penult. auth de nupt. coll. 4. tit 2.*

(*g*) *Auth. ex cauſa C. de lib. præt.*

ſcripto D. Pii, [a] Non tamen a querela legitimati excluduntur. (b) Et qui e Concubina ſuſcipiuntur, quamvis Patris neque ant, Matris tamen accuſare *inoſſicioſi* teſtamentum poſſunt: cum ab ejus Succeſſione non repellantur.

Unde quamvis legitimus, non vero naturalis Pater querelam hanc habeat adverſus Filii teſtamentum, tamen Mater, etſi non legitimis ex nuptiis conceperit, tamen accuſare Filii naturalis teſtamentum poterit, cum ad ejus Succeſſionem vocetur. [c]

Parentibus autem utriuſque ſexus legitimis querela competit, etiamſi non exheredentur, ſed prætereantur: quia ea præteritio teſtamentum non irritat, ſed pro exheredatione habetur.

Fratribus vero tam utrinque conjunctis, quam ſaltem Conſanguineis, non uterinis (l. 24. C. de inoff. teſt. & C. Theodoſ. eod.) contra teſtamentum Fratris tum querela competit, cum in eo turpis perſona inſtituitur: niſi ipſe actus non ſit turpis. (d)

Porro tum accuſare *inoſſicioſi* teſtamentum licet, cum nullum aliud vitium invenitur, unde corruat; vel cum inutiliter aliud vitium fuerit objectum. [e]

Adeout ſi vel minimum quid fuerit a Patre relictum, querela conticeſcat: liceatque Filio ſupplementum legitimæ debitæque portionis petere per condictionem ex l. *omnimodo C. de inoff. teſtam.* reputatis bonis a vivente Patre donatis.

[f] Et relinquenda eſt legitima portio titulo honorifico inſtitutionis. (g)

Eſt autem portio debita, quæ legitima vulgo nuncupatur, vel triens; ſi minus quam quinque liberos Teſtator reliquerit, nempe quatuor unciæ, vel ſemis nempe ſex unciæ, ſi reliquerit ſupra quatuor. (h) Eaque portio cum omni onere carere debeat, nullum Fideicommiſſum, aut conditionem impoſitam recipit: rejici enim ex ea portione (i) ab herede poteſt.

Perimitur jus opponendæ querelæ quinquennio: nec ad heredes tranſmittitur, niſi præparata. (k)

Caret ea qui agnovit legatum ex teſtamento; ſicut & qui teſtamentum accuſavit, legatum inde capere prohibetur.

Datur autem contra omnes, qui heredes ſunt, vel in ejus locum ſuccedunt, ut Fideicommiſſarius & Fiſcus.

TITULUS XV.

De Heredum qualitate, & Differentia.

Heredes, aut neceſſarii ſunt, quales erant ſervi, quorum nunc perquam rarum eſt uſus; aut ſui & neceſſarii, quales ſunt liberi in poteſtate, puta Filius, aut Nepos, qui ſuccedit in locum Filii deſcendentis; aut extranei, qui pluribus rationibus differunt ab heredibus ſuis, & neceſſariis: & præcipue quia heres ſuus eſt Filius in poteſtate, quem nemo gradu præcedit, & propter vim patriæ poteſtatis, & conjunctionem paternam heres intelligitur; ſive Dominus, etiam vivente Patre, cum tantum exercitio careat, ideoque ſuus nuncupatur, eaque vox non raro nomen eſt in hoc articulo Juris, ſed nomen adjectivum. Extraneus vero heres eſt qui, aut nullo vinculo poteſtatis, aut nullo nexu Cognationis cum Teſtatore conjungitur.

In aditione item hereditatis extranei differunt plurimum a ſuis, quos ut hereditatem paternam adeant, ſufficit eſſe capaces tempore Teſtamenti, & tempore mortis Teſtatoris; jam enim niſi ſe abſtinuerint beneficio Prætoris, poſt mortem Patris confeſtim heredes extiterunt; cum extranei, ut hereditatem adquirant capaces eſſe debeant etiam tempore aditionis: quo tempore, ſi Civitatem amiſerint, nihil eis prodeſt capaces fuiſſe tempore teſtamenti, & mortis.

Imo, ſi de inſtitutione conditionali aga-

(a) *L. 8 §. ſi quis 15. ff. de inoff. teſt.*
(b) *Novell. 89. §. 2. tit. de heredit. quæ ab inteſt def.*
(c) *L. 17. C. de inoff. Teſtam.*
(d) *L. 21. C. de inoff. teſt. l. 45. ff ſolut. Matrim*
(e) *L. contra 16. C. de inoff. teſtam.*
(f) *L. ſi quando 35 §. 2. & C. de inoff. Teſtam.*
(g) *Nov. 115. §. aliud quoque Capitulum tit. ut cum de appell. cogn.*
(h) *Loco ſupr. cit.*
(i) *L. quoniam in prioribus 32. C. de inoff teſtam.*
(k) *L. 35. C. eo d. l. 6. § ult. cum ſeq. C. eod.*

agatur, capax eſſe debet etiam implendæ conditionis tempore: nam quæ inter hæc extrema currunt tempora minime conſiderantur. Capax autem dicitur is, qui teſtamenti factionem habeat, ſaltem paſſivam: hoc eſt, qui, etſi teſtamentum condendi facultate careat, ex teſtamento tamen capere non prohibeatur.

Ad hereditatem adeundam (*a*) lex annum dat heredi, exordiendum a die quo ſcivit hereditatem ſibi delatam. Et ſi heres ulterius aditionem diſtulerit, Creditoribus perinde ac ſi adiiſſet, obligatur; obligatur item & legatariis. (*b*) Et reſpectu ſubſtituti, at legitimorum heredum hereditas habetur pro repudiata & ad eos tranſit: (*c*) ſubſtituto, quamvis in illius locum ingrediatur, tamen & tempus aliud ad deliberandum datur.

At ſi heres deceſſerit, deliberationis tempore nondum expleto, quod ſibi ſuperfuit temporis ad heredem tranſmittit proprium: ut intra id reſiduum de adeunda hereditate deliberet, (*d*) ſuus vero heres, qui ſe abſtinuit, poteſt, rebus integris, hoc eſt, non venditis, intra triennium abſtenſionem revocare. (*e*)

Verum hoc deliberandi jus per annum a lege conceſſum minus eſt neceſſarium poſt inventarium a Juſtiniano excogitatum. Cujus inventarii beneficio expeditius pericula hereditaria, & creditorum onus evitamus. Si enim rite, ut Juſtinianus præcepit, bona omnia, & jura hereditaria deſcripſerimus; hereditas defuncti cum heredis patrimonio minime confunduntur, neque heres ſupra vires hereditarias creditoribus, & Legatariis obligatur.

Conficiendum eſt autem Inventarium, ſi res hereditariæ præſto ſint, intra nonaginta dies ab hereditatis delatæ ſcientia; vel ſi res procul abſint, intra annum a morte Teſtatoris per Tabbellarios, ſive Notarios, coram Teſtibus tribus, vel ſaltem duobus, convocatis legatariis, & Creditoribus, adjecta ſubſcriptione heredis; aut ſi literas neſciat, pro herede ſubſcribet Tabularius Teſtibus præſentibus. (*f*)

Quæ tamen ſolemnitates noſtris temporibus aliquatenus negliguntur propter uſum ejus cautionis, quam adjicere ſolemus, per quam dolus heredis excluditur, & Creditoribus pro emergentium bonorum notitia cavetur, cujus cautionis formula talis eſt; *Si quæ ponenda ſunt, quæ poſita non fuerint, & ſi quæ poſita ſunt, quæ poni non debuerint; ne cuiquam ſit fraudi; neque damno.*

Inſpectis opibus hereditariis, hereditas vel repudiatur, vel aditur expreſſis verbis. In locum etiam aditionis ſuccedit pro herede geſtio, cum ſcilicet quis aliquid agit tamquam heres, aut quod citra nomen heredis agere nequeat: ut ſi bona hereditaria vendat, prædia colat, locet, inſtar Domini. (*g*) Quo actu adire cenſetur ſurdus, & mutus: cum pro Infante & Impubere adeat Tutor.

At ſi furioſo hereditas deferatur, Curatori adminiſtranda traditur, ut poſt reſipiſcentiam de illa vel adeunda, vel repudianda deliberet: ac ſi non reſipuerit, hereditas transfertur ad alios vel a lege, vel a Teſtatore vocatos. (*h*)

TITULUS XVI.

De Legatis.

Legatum eſt Donatio a Defuncto relicta ab herede præſtanda, ut intelligamus, non propria auctoritate, ſed ab heredis manu eſſe capiendum.

Si autem heres legatum præſtare recuſet, tribus actionibus conveniri apud judicem poteſt. Prima eſt actio perſonalis, quæ contra ipſam perſonam heredis, qui adeundo Legatariis & Creditoribus obligatur, ex ipſo teſtamenro deſcendit. (*i*)

Altera eſt actio realis, ſive vindicatio, quæ naſcitur ex rei legatæ dominio, quod ex Conſtitutione Juſtiniani tranſit in Legatarium.

Tertia eſt actio hypothecaria contra bona omnia hereditaria a quocumque poſſeſſa, quæ Legatariis obligata cenſentur.

Si vero legatum ita relinquatur, ut Legatarius

(*a*) *L. ult. § & hæc quidem C. de jur. delib.*
(*d*) *D. L. ult. §. ſin autem hoc. C. de jur. delib*
(*c*) *Leg quamdiu 69. ff. de adquir. hered.*
(*d*) *L. cum antiquioribus. C. de jur. delib.*
[*e*] *L. ult. C. de repud. vel abſtin. hered.*
(*f*) *L. ult. C. de jur. delib.*
(*g*) *L. 20. & Sequen. ff. adquir. hered.*
(*h*) *L. ult. §. 12. cum ſeq. C. de curat, furioſ.*
(*i*) *L. 1. Comm. de legat.*

gatarius illud alteri reddere jubeatur, id appellatur Fideicommiſſum particulare, quod non differt a Legato, niſi ex hoc onere reſtitutionis: in ceteris vero legato exæquatur. (*a*) Legari autem poteſt quidquid eſt, aut habere in commercio poſſumus; & ſi res ſit heredis, aut aliena, & paratu difficilis, quam heres redimere jubetur: aut ſi nequeat, cogitur illius æſtimationem præſtare: dummodo Legatarius probet, Teſtatorem ſciviſſe rem eam eſſe alienam; nam ſi ignoraſſet, non creditur eam fuiſſe legaturus.

Sicuti & ſi legaſſet rem alteri datam pignori: ejus enim legatum valet; ſed heres non cogitur pignus, perſoluta pecunia, liberare, niſi Legatarius probaverit Teſtatorem ſciviſſe rem eam eſſe obligatam: alioquin Legatarius propria pecunia, rem eam ſibi legatam liberare pignoris nexu debebit.

At ſi rem alienam ſibi legatam Legatarius conſecutus fuerit vel ex donatione Domini vel legato ejuſdem, vel ex quacumque alia cauſa lucrativa, heres non cogitur ejus æſtimationem Legatario præſtare: quia duæ cauſæ lucrativæ in eamdem perſonam, & eadem re concurrere nequeunt; unde tum tantum æſtimationem ab herede conſequetur, quando Legatarius illam ante emerit; vel ex alia cauſa oneroſa comparaverit. Et ſi duorum teſtamentis quid alicui legetur, tum ex alterius teſtamento Legatarius petere poterit rem, ſi ex altero teſtamento tantum æſtimationem fuerit conſecutus, nam in æſtimatione res non continetur, ſed æſtimatio in re; proptereaque, ſi ex uno teſtamento rem habuerit, non poteſt ex altero æſtimationem petere.

Res, quæ in rerum natura non ſunt ſed eſſe poſſunt, ut fructus fundi, recte legantur.

TITULUS XVII.

De Jure accreſcendi.

QUando eadem res legatur pluribus, eſſe ſolet inter eos jus accreſcendi, per quod in ultimis voluntatibus vacans portio cædit occupatæ. Quamobrem pars deficiens accreſcit heredi, ſi alter heres non ſit, aut eſſe nolit, ne quis pro parte teſtatus remaneat, pro parte inteſtatus. Nam ſicut qui ſolus heres inſtituitur, ſi partem hereditatis adeat, neceſſario totum adiiſſe cenſetur; ita & ſi ſunt duo, aut plures heredes, uno repudiante pars repudiata adſcreſcit adeuntibus.

Naſcitur etiam inter Legatarios jus accreſcendi per tacitam voluntatem Teſtatoris, ex complexu & conjunctione verborum.

Conjuncti dicuntur qui ad unam eamdemque rem, ſive eadem, ſive diverſa oratione in eodem teſtamento vocantur. Eſt autem conjunctio triplex.

Prima eſt conjunctio re & verbis, veluti *Titius & Mevius mihi heredes ſunto*; vel *Titio & Mævio fundum Cornelianum relinquo*.

Secunda eſt conjunctio re tantum, veluti *Titius mihi heres eſto; Mevius heres eſto; vel Titio fundum Tuſculanum do, lego; Mævio eundem fundum do, lego*.

Tertia eſt conjunctio verbis tantum, veluti *Titium, & Mævium aquis partibus heredes inſtituo; vel Titio, & Mævio aquis partibus fundum Tuſculanum do, lego*. Ubi naſcitur diſtinctio rei ex verbis *aquis partibus*, quibus fit ab ipſo Teſtatore diviſio. Unde primi dicuntur conjuncti re, & disjuncti verbis; Tertii dicuntur conjuncti verbis tantum.

Quoniam autem in legatis permittitur partem agnoſcere, partem repudiare; & pars legatorum repudiata cædit heredi, quando inter Legatarios non verſatur jus accreſcendi; propterea plurimum refert cognoſcere genus conjunctionis, quo Legatarii nectuntur; ut inter eos jus accreſcendi eſſe, vel non eſſe cognoſcatur.

Igitur, ſi plures ſint conjuncti re, & verbis, pars deficiens, vel repudiata omnibus accreſcit pro parte legati agniti, & cum onere, quia ex deficientis perſona, cui eſt conjunctus, eam quiſque partem capit: ideo vicem ſubeundo alterius in ea portione illius onera ferre debet.

Si eodem in legato ſint plures conjuncti quidem re, ſed verbis disjuncti, pars deficienttis accreſcit alteri, abſque ullo onere:

(*a*) L. 2. C. de legat. & Fideic.

re: quia huic ſolidum eſt ab initio relictum; partes autem tantum concurſu fiunt; unde altero deficiente, quod proprium erat recipere intelligitur, non alienum propterea onus alienæ perſonæ ſuſcipere non cogitur. Etenim in conjunctis re tantum, Teſtator cenſetur, altero non concurrente, totum ab initio reliquiſſe; ſolo autem concurſu partes fieri voluiſſe. Unde deficientis partem Legatarius capit, non tam accreſcendi jure, quam non decreſcendi; ne ſibi decreſcat, ſcilicet, quod ab initio habuit. (*a*)

Aſt in conjunctis tantum verbis ut jus accreſcendi locum habeat, late inter interpretes diſputatur, & receptior eſt ajentium opinio.

Cum quis rem ſuam legat, putans eſſe alienam, non ambigitur legatum valere, etiamſi putaverit eſſe Legatarii.

Si quis rem a ſe legatam ante mortem alienaverit, non receſſiſſe a legato cenſetur, ſi non neceſſitate, ſed ſponte alienaverit. Et ſi rem legatam pignori dederit, non extinguitur legatum, ſed pignus eſt ab herede luendum.

Creditor cum legat debitori quod ſibi debetur, eum liberare velle cenſetur, ideoque legatum ſuſtinebitur.

Cum vero debitor Creditori legat quod debet, quamvis leget quod eſt illius, tamen quia plenius eſt in legato, quam in debito, propter expeditiores & plures legati actiones legatum valebit: quia Creditor ex eo aliquid majus aſſequitur. Ideo quando Maritus legat Uxori dotem, legatum valebit, quamvis eam reſtituere debeat heres ipſius: quia hoc amplius ex legato Mulier adquirit, quod ſtatim petere poteſt dotem ex legato, ſine quo heres dilationis beneficium ad ſolvendum habuiſſet.

Si ſpecies ſit legata, eaque ſine culpa heredis perierit, neque res illa, neque æſtimatio debebitur, ſed ſi legata fuerit quantitas, ea ſemper debetur, quia genus & quantitas nunquam perit. Sed ſi ſpecies perierit per culpam, aut poſt moram heredis, obligatio adverſus eum perpetuatur, & res adhuc extare fingitur.

Si quando non res tota perierit, ſed pars ipſius, tum ſi plura ſimul æque principalia, & ſeparata corpora legato comprehendatur, quæ corpora ſupererunt, legatario debebuntur, Unde ſi Gallina cum pulliis legetur, mortua Gallina, pulli debebuntur. At ſi legetur fundus cum inſtrumento, & fundus voluntate Teſtatoris alienetur, inſtrumenta non debebuntur, quia ſine fundo minime conſiſtunt.

Grege legato, quia eſt univerſitas Ovium, etſi ceteris intereuntibus, una ſuperfuerit, ea debebitur: Et conſequenter quidquid Gregi accreſcit, vel armento, poſt teſtamentum conditum, & in hereditate reperitur, Legatario cedit, in quem lucrum acceſſionum, & damnum deceſſionum, in ſimilibus legatis confertur. Domo legata, ſi ea conflagaverit, area debetur.

Eadem ratione tamquam partes congregatæ legato cedunt Columnæ, & Marmora adjecta Domui legatæ poſt teſtamentum. Imo ſi areæ legatæ ſit Ædificium impoſitum, hoc etiam in legatum venit uti ſuperficies, qui ſolo cedit.

Si legatum ſit genus, cujus ſpecies ſint a Natura diſtinctæ, aut circumſcriptæ, ut eligi poſſint, veluti Equus, Mulus, Bos, regulariter arbitrium eſt Legatarii quem eligere velit: niſi ex conjectura, vel teſtamenti verbis electio ad heredem dirigatur.

Cum autem optio, ſive facultas eligendi expreſſe legatur alicui, veluti *optet Titius ex Equis meis quem volet*; ſi Legatarius ante opinionem moriatur, ad heredem eam facultatem tranſmittit.(*b*) Et ſi optio legata ſit pluribus legatariis, qui de corpore eligendo inter ſe non conveniant, ſortis abitrio res dirimetur. (*c*)

Legatum porro recte relinquitur iis omnibus, qui poſſunt ex alieno teſtamento capere; adeout etiam poſthumis recte legetur, & perſonis etiam incertis, quæ aliquo eventu innoteſcere queant.

Si Teſtator in nomine Legatarii, vel rei legatæ erraverit, veluti ſi pro Titio Sempronium, vel pro fundo Tuſculano Albanum expreſſerit; dummodo conſtet de qua perſona, vel quo fundo Teſtator cogitaverit, legatum valebit; niſi Teſtator cum rem expreſſit erraverit in nomine appellativo, & communi, puta, ſi veſtem nominaverit pro ſuppellectile, non enim revera debebitur.

 Item

(*a*) *L. unic. §. 11. verſ. ſi vero nemo C. de cad. toll.*

(*b*) *L. ult. C. com. de legat.*
(*c*) *Eadem l.*

Item falſa demonſtratio, puta Equum, quem emi a Sempronio; & falſa cauſa, veluti Titio centum, quia negocia mea curavit, non vitiant legatum: unde dummodo Equus in hereditate inveniatur, & Titius vivat, legatum debebitur: quamvis neque Equus emtus fuerit a Sempronio, nec Titius negocia curaverit.

Sed ſi cauſa vertatur in conditionem, puta Titio centum, ſi negocia mea curaverit, legatum non valebit, niſi Titius negocia curaſſet.

At ſi legetur ſub modo, puta Titio centum, ut mihi monumentum extruat, peti poſſunt centum ante monumenti extructionem, præſtita cautione de iis reſtituendis, ſi modus non adimpleatur.

Legatum autem conditionale non petitur ante conditionis eventum; niſi agatur de conditione negativa, quæ conſiſtat in non faciendo, cujus poteſtas collata ſit in Legatarium, puta *Titio lego centum, ſi Cajum non accuſaverit*. Tum enim per cautionem a Q. Mutio inventam, quæ Mutiana propterea dicitur, poteſt Legatarius petere centum, ita tamen, ut ſi Cajum accuſaverit, per cautionem jam præſtitam, ea centum una cum fructibus ſit redditurus.

Valent etiam per Juſtiniani Conſtitutionem legata ita relicta: nempe *relinquo Titio centum poſt mortem heredis mei*; aut pridie quam heres moriatur. (*a*) Sicuti valent etiam nunc per ejuſdem Conſtitionem legata relicta pœnæ nomine, veluti *Heres meus, ſi Filiam ſuam in Matrimonium Titio collocaverit, vel ſi non collocaverit Titio, centum dato*. Niſi conditiones iſtæ ſint aut impoſſibiles, aut turpes: quæ rejiciuntur, manente legato. (*b*)

Permiſſum vero eſt relicta legata, vel teſtamento æque ſolemni, vel codicillis adimere, vel etiam tacite, ſcilicet ex alienatione rei Legatæ voluntaria, vel exactione pecuniæ nobis debitæ, quam alteri legaverimus; vel cum vice Teſtatoris adimit lex, exortis inimicitiis capitalibus inter Teſtatorem & Legatarium aut mutatione Formæ, atque rei legatæ interitu.

Transfertur autem legatum, ſi quis fundum Titio relictum poſtea Sejo leget, vel ſi quis juſſit ab alia perſona dari veluti *centum, quæ juſſit Sempronium dare Titio, Cajus dato*. Vel ſi quis rem alienam loco rei legatæ dari jubeat; aut rei pure legatæ conditionem adjecerit. (*c*)

TITULUS XVIII.

De Lege Falcidia.

Lege Falcidia, quæ nomen ducit a Falcidio Tribuno Pleb. Auctore ſuo, heredibus, quibus nihil, aut minus quarta parte relictum fuerit, licet eam quartam ex legatis detrahere, vel ſupplere, & ex donationibus cauſa mortis, (*d*) inſpecta quantitate Patrimonii ex tempore mortis Teſtatoris: unde, ſi hereditate jacente, patrimonium augeatur, heres habebit quartam, & præter illam etiam augmentum; ſi minuatur, tantumdem ei decedet ex quarta; non vero ex legatis. Eaque quarta detrahenda eſt deducto ære alieno; ſicut obtinet & in legatis, quæ nonniſi deducto ære alieno debentur.

Ac ſi plures ſint heredes, qui ſimul omnes legatis onerentur; unam quartam detrahent inter ſe dividendam; ſi ſeorſum proprium onus habeant legatorum, ſinguli quartam ſuam detrahent.

Atque ita quarta detrahitur, ut cuique Legatario quarta pars pro rata ſuæ portionis adimatur.

At non habet locum quartæ detractio in Teſtamento Militis (*e*) neque in Legatis ad pias cauſas (*f*) & in re quam Teſtator alienari prohibuit, (*g*) neque in hereditate, cujus Inventarium heres omiſerit, (*h*) neque ſi ejus detractio fuerit a Teſtatore prohibita. (*i*)

TI-

(*a*) *L. unic. C. ut actio ab herede. l. ſcrupuloſitatem. D. de contrah. emt.*

(*b*) *L. unic. C. de iis, quæ pœnæ nom.*

(*c*) *L. 5. & 6. ff. de adim. & trans. legat.*

(*d*) *L. in donationibus C. ad. leg. Falcid. & l. 5. C. eod.*

(*e*) *L. 7. D. ad L. Falcid.*

(*f*) *Auth. ſimiliter C. eod.*

(*g*) *Auth. ſed & ea C. ad l. Falcid.*

(*h*) *L. ult. §. ult. C. de jur. delib.*

(*i*) *Auth. ſed cum Teſtator C. ad l. Falcid.*

TITULUS XIX.

De Fideicommiſſariis hereditatibus.

Fideicommiſſum eſt omne id, quod quis rogatu defuncti dare debet, aut facere: ad quod implendum neceſſitate Juris adſtringitur. Eſt autem vel univerſale, cum tota hereditas reſtituenda eſt ei, qui in omnibus heredis loco ſuccedit, ſuperſtite tantum nomine, ac Juribus inefficacibus in herede rogato reſtituere; vel particulare, quod per omnia legatis comparatur. Eaque reſtitutio non ſolum heredibus in teſtamento ſcriptis, ſed etiam Conſanguineis ab inteſtato venientibus injungi a Teſtatore poteſt, licetque heredem ita rogare, ut ad certam diem, vel ex certo die reſtituat.

Cum quis autem ita reſtituere rogatur, ut nihil, vel minus quarta parte ſibi remaneat, jus habet ex S. C. Trebelliano detrahendi, vel ſupplendi ſibi quartam, quæ Trebellianica nuncupatur, quæquæ detrahitur ex Fideicommiſſis, ſicut Falcidia, detrahitur ex legatis. Qua Trebellianica detractione, heres gravatus retinet onera hereditaria in portione ſua, cetera vero tranſmittit in Fideicommiſſarium, cui reſtituit ſimul cum portione reſtituta, [a] ſive rogetur reſtituere totum, ſive partem, ex qua quartam detrahere poteſt.

Sed qui hereditatem reſtituere rogatur, deducta certa re, aut ſumma, is Legatarii loco habetur, nec ullum hereditarium onus in ea ſpecie, vel quantitate ſuſtinet, quia non eſt portio hereditaria, ſicut quarta, ſed totum onus tranſmittit in Fideicommiſſarium.

Si autem non ſolum heres, ſed is, cui hereditas reſtituta fuit, alteri deinde reſtituere rogetur, & heres quartam detraxerit, ſecundus reſtituens aliam quartam detrahere prohibetur.

Si Parens Filium rogaverit, ut hereditatem reſtituat; Filius, qui poſt Patris mortem ſuſcepit Liberos, cum putetur ſub tacita conditione rogatus, ſi liberos non habuerit, eam reſtituere non cogetur. [b]

Et cum quis rogatur reſtituere ſub expreſſa conditione, ſi Liberos non habuerit, & ſine Liberis Monaſterium, ſe Deo devovens, ingrediatur, filiorum loco Monaſterium ſuccedit, & hereditatem aſſequetur. [c]

Tandem Filius a Patre quamvis hereditatem reſtituere rogetur, tamen, ſi ei aliunde deſit, poteſt res Fideicommiſſo ſubjectas conferre in dotem Sororis, aut filiarum. (d)

Verba Fideicommiſſorum propria ſunt, omnia, quæ deſiderium & voluntatem rei alicujus dandæ, aut faciendæ declarant: ex quibus ſolemniora & antiquiora ſunt, illa, *peto*, *rogo*, *volo*, *mando*, *fideicommitto*. Sed de verbis hodie nihil laborandum; quia fideicommiſſum inductum cenſetur quibuſcumque verbis exprimatur.

Ceterum, quæcumque de legatis tradidimus, licebit transferre ad fideicommiſſa particularia; quæ cum legatis per omnia fuerunt a Juſtiniano exæquata; ut communes jam habeant regulas, nec niſi reſtituendi obligatione diſtinguatur.

TITULUS XX.

De Codicillis

Codicilli quaſi parvi Codices dicuntur, cum inventi fuerint pro acceſſione, atque appendice Teſtamentorum, ideoque minorem ſolemnitatem requirunt, & a Cujacio definiuntur *teſtati inteſtatique voluntas minus ſolemnis*: receptum eſt enim, poſtea ut quamvis quis teſtamentum non fecerit, relinquere tamen codicillos poſſit, quibus roget heredes ab inteſtato; (e) ita tamen, ut legata ita relinquat, non autem hereditatem; niſi per Fideicommiſſum præſtandum ab heredibus ab inteſtato, qui reſtituere rogentur, quique ex S. C. Trebelliano detrahent quartam: hereditatem enim relinquere directo non licet in

(a) *L. 1. C. ad Trebell.*
(b) *L. acutiſſimi C. de Fideicomm.*
(c) *Auth. niſi rogati. C. ad S. C. Trebel.*
(d) *Auth. res quæ C. de legat. & Fideicom.*
(e) *L. 2. C. commun. de Legat. & Fid.*

in Codicillis, ne cum teſtamento confundantur. Quamvis autem ante teſtamentum Codicilli ſcribantur, tamen ſuſtinentur, & teſtamento poſtea condito confirmari putantur eodem.

Unius hominis plures quidem eſſe poſſunt Codices teſtamenti, ſed ejuſdem, ut ſint totidem exemplaria illius, non vero teſtamenta plura; contra vero Codicilli poſſunt eſſe plures, quibus diverſa diverſis Perſonis relinquantur: quia in iis de univerſa hereditate non agitur, neque de ſumma voluntatis, ſed de rebus particularibus, quæ poſſunt partim uni, partim alteri; diverſa ſcriptura & voluntate relinqui.

Præterea in Codicillis non requiruntur aliæ ſolemnitates, niſi quinque teſtes ad probandam & muniendam eorum fidem, neglectis ſolemnitatibus teſtamentorum aliis. (*a*)

Quoniam autem hereditas relinqui directo nequit in Codicillis, & ſi directo relinquatur, trahitur in Fideicommiſſum, & ſucceſſores ab inteſtato rogati cenſentur, detracta quarta, eam reſtituere heredi in Codicillis directo inſtituto; propterea introducta eſt clauſula, quæ codicillaris appellatur; eaque cum robur habeat Codicillorum, adjicitur teſtamento minus ſolemni, ut ſi pro teſtamento non valeat; valeat Codicillis, & voluntas Teſtatoris ſuſtineatur.

Et eſt illa *ſi non valet uti teſtamentum, valeat uti Codicilli*. Item alia *valeat omni meliori modo*, per quas clauſulas inſtitutio directa trahitur in fideicommiſſariam, & teſtamentum vertitur in Codicillo.

Codicilli autem teſtamento adjecti ſequuntur eventum illius, & ſimul cum eo infirmantur: quod periculum non ſubeunt Codicilli ſine teſtamento ſcripti, quia per ſe conſiſtunt. Quamobrem in Codicillis teſtamento confirmatis nullas ſolemnitates requirunt interpretes, quia cum ſolemnitatibus ipſius teſtamenti comprehenduntur. (*b*)

TITULUS ULTIMUS.

De Succeſſionibus ab inteſtato.

Fons hodie ſucceſſionum omnium ex Jure recepto, ubi ſpecialibus Statutis non corrigitur, eſt Novella Juſtiniani centeſima decima octava, quæ in vulgatis Codicibus eſt *Collat. 9. tit. 1. De heredibus ex inteſtato venientibus, & de Agnatorum jure ſublato*. Itaque nunc ex Juſtiniani Novella triplex eſt ſuccedentium ordo, diſcrimine omni Agnatorum & Cognatorum, itemque diſcrimine filiorum in poteſtate & emancipatorum ſublato: Primus nempe eſt Deſcendentium, ſecundus Aſcendentium, Tertius Collateralium.

Quoniam ſucceſſio defertur proximioris gradus Conſanguineis, propterea graduum diſcrimina tum & Conſanguinitatis lineam ex jure civili cognoſcere oportet; & graduum computandorum rationem.

Quæ ratio ex Jure Civili eſt facillima: ſiquidem tam in linea tranſverſa, nempe Collateralium, quam in recta, nempe Aſcendentium, & Deſcendentium hæc regula ſervatur.

Quælibet perſona generata gradum producit; unde ſi tenuerimus communem ſtipitem, unde certæ perſonæ, ſeu generationes prodeunt, continuo habebimus numerum graduum. Sit igitur Mævius Pater, Titius Filius. A Mævio ad Titium eſt una generatio. Igitur Mævius, Liberi, & Titius erunt in primo cognationis gradu, & conſequenter Sempronius Titii Filius erit Mævio Avo ſuo in gradu ſecundo, atque ita deinceps. Et hæc in linea tam deſcendenti, quam aſcendenti. Etenim ſit Cornelius Proavus, Sempronius Avus, Cajus Pater, Sejus Filius. Si quæratur quoto gradu ſit Sejus Cornelio Proavo ſuo, exordiar ab eodem Cornelio, & deſcendendo inveniam Sempronium, quæ eſt generatio una; poſt Sempronium inveniam Cajum, quæ eſt generatio altera; poſt Cajum inveniam Sejum, quæ eſt generatio tertia. Ideoque cognovero Cornelium Proavum a Sejo Pronepote diſtare gradu tertio. Quia tres a Sejo ad Cornelium ſunt generationes. Atque hoc de linea recta.


Idem tenendum eſt in linea tranſverſa

(*a*) L. ult. C. de Codicil.

(*b*) D. D. ad l. ult. C. de Codicill.

Digitized by Google

ſa numerationis inſtitutum. Prodibunt enim tot gradus, quot generationes, indeque eveniet, ut nullum primum gradum, ex Juris Civilis numeratione, in linea tranſverſa cognoſcamus. Quia fratres inter ſe per ſemetipſos non conjunguntur, ſed per mediam perſonam Patris, qui eſt communis ſtipes. Ideoque fratres inter ſe diſtabunt gradu ſecundo; quia ab uno Fratre ad communem Fratrem eſt alia generatio. Unde quia fratres ſunt duæ generationes ſecundo gradu inter ſe conjunguntur. Idem numerandi ordo producitur ad lineam tranſverſam inæqualem. Unde ſi ſcire cupiamus quoto gradu diſtet Sejus a Patruo ſuo, nempe a Patris fratre, capiemus communem ſtipitem Avum, & aſcendendo a Sejo ad Patrem Seii Cajum, & a Cajo ad Sempronium Avum, inveniemus duas generationes, deſcendendo poſt a Seii Avo ad Horatium Seii Patruum Caii Fratrem, invenimus aliam generationem, quia Hotatius eſt Filius Sempronii. Unde quia numerando a Sejo ad Horatium invenimus tres generationes, comperimus Sejum cum Horatio Patruo tertio gradu eſſe conjunctum: & ita deinceps ſive inferius, ſive ſuperius percurramus, ex his intelligitur gradum eſſe partem lineæ, tamquam puncta, ex quibus linea conſtat; lineam vero eſſe plurium graduum ſeriem, Cognationem vero nexum linearum. Affinitas eſt conjunctio duarum Cognationum per copulam, perquam Cognati duorum Conjugum inter ſe Affines evadunt & appellantur. Cetera ex Textu.



De ſucceſſione deſcendentium.

Liberi omnes, ſive in poteſtate, ſive emancipati, ſive primi, ſive ulterioris, ſive virilis, ſive Muliebris ſexus, aut ex virili, vel muliebri ſexu venientes, ſive prioris, ſive poſterioris Matrimonii, ſive naturales & legitimi, ſive naturales tantum, & poſtea per ſubſequens Matrimonium legitimi ſuccedunt excluſis aſcendendibus morientis, etiamſi aſcendentes ſint proximiores defuncto quam Liberi, adeout Pronepos defuncti excludat Patrem ejuſdem; Et quamvis Liberi ſint diſparis gradus, ut ſi Nepos ex filio mortuo concurrat cum filio vivente, ſive thio, is tamen Nepos ſuccedendo in locum Patris ſui, exæquatur thio, ſive Filio ejus, de cujus hereditate quæritur per jus repræſentationis, cujus efficacia eſt ut Liberi cenſeantur in eorum perſona parentem jam mortuum exhibere. Et propterea ſucceſſio deſcendentium eſt in ſtirpes non in capita; hoc eſt dividitur Hereditas in ſtirpes ſingulas, ut ſcilicet plutes unius ſtirpis pro uno habeantur; non in capita, hoc eſt in viriles in ſingulos eorum. Unde ſi ſint tres Nepotes ex uno Filio concurrentes cum Filio morientis, hereditas dividetur in duas partes, quarum unam capiet Filius, alteram vero ſibi divident æqualiter tres Nepotes Patrem ſuum repræſentantes. Quamvis autem jure communi ſublata ſit ſexus differentia, & Filia, vel Maſculi ex ea pariter cum Filiis ſuccedant; jure tamen peculiari ſtatutorum Urbis adhuc ea differentia manet: etenim ſorores ab hereditate Patris a fratribus dotem offerentibus excluduntur. (*a*)

Atque hæc de naturalibus & legitimis; ſuperſunt naturales tantum, & legitimati per reſcriptum, de quorum nunc ſucceſſione diſſeremus.

Naturales tantum ſunt filii, vel ſpurii, hoc eſt vulgo quæſiti; vel ex Concubina ſuſcepti. Spurii nunquam ſuccedunt Patri, quia nullum Patrem certum indicare poſſunt iis; quorum Mater ſe pluribus obtulit: ſed ſuccedunt in bonis Matris, quæ certa eſt, & in bonis Parentum maternorum, non ſecus ac legitimi: cum

(*a*) *lib. 1. cap. 147.*

cum quibus etiam naturales admittuntur quando mater non fuerit illuſtris (*a*) At ſuſcepti ex Concubina, quamvis Patrem habere non poſſint eum, quem juſtæ nuptiæ non dederunt, qualis eſt Pater naturalis: tamen quia concubitus hic legibus civilibus non vetatur, alimenta conſequentur ex bonis Patris. Et ſi Pater deceſſerit ſine Liberis & ſine legitima Conjuge, Concubina cum filiis ſuis ad ſextantem, ſive ad duas hereditatis paternæ uncias vocatur. Verum ſi Filii nati ſint ex coitu legibus damnato, puta adulterino, ſacrilego, nefario, inceſtuoſo: non modo a paterna, ſed etiam a materna ſucceſſione prorſus excludentur. Tantum Pontificia commiſeratione, ac lenitate Juris Canonici eis alimenta ex Parentum bonis decernuntur. (*b*)

Tranſeamus ad legitimos tantum, ſive adoptivos & adrogatos. Atque adoptivi quamvis inofficioſi arguere teſtamentum nequeant; tamen Patri adoptivo ab inteſtato morienti ſuccedunt ſimul cum legitimis & naturalibus æqualiter, ſi tempore mortis non reperiantur emancipati. Adrogati vero ſuccedunt adrogatori in quartam bonorum ejus, & propterea recuperant bona propria quæ in poteſtatem adrogatoris tranſtulerunt. Si vero ante mortem Patris emancipentur, ab omni jure ſucceſſionis cadent, & bona tantum ſua recipient. (*c*)

Tranſeamus tandem ad legitimos per reſcriptum Principis ex Patris voluntate, qui tunc denique ſuccedunt cum nulli extiterint Liberi legitimi ex juſtis nuptiis nati, quibus Princeps imminuere invitis paternam ſubſtantiam velle non creditur; cum neque ſoleat iis extantibus naturales ad legitimorum conditionem perducere. [*d*]

De ſucceſſione Adſcendentium.

Deficientibus deſcendentibus, defuncto ſuccedunt adſcendentes, ac primo Pater & Mater, deinde remotiores alii ſervata gradus prærogativa, ut remotiores a proximioribus excludantur: (*e*) &, ſi præter Parentes defunctus reliquerit fratres, aut ſorores utrinque conjunctos, hi cum Parentibus admittuntur in capita; (*f*) imo, etſi Frater, aut ſoror utrinque conjuncti deceſſerint relictis Filiis; hi Filii Fratrum & Sororum præmortuorum concurrent cum Parentibus defuncti repræſentando perſonam Patris ſui, ideoque ſuccedent in ſtirpes, (*g*) quæ repræſentatio deſinit in Filiis Fratrum præmortuorum: nam Nepotes, Pronepotes, & alii, qui ſunt deinceps, non concurrent cum Parentibus defuncti, quia in collateralibus ultra fratrum filios repræſentatio non extenditur. Neque præterea cum Parentibus concurrunt Fratres & Sorores conjuncti ex uno latere, nempe uterinus, & conſanguineus. (*h*) Quamvis autem Pater habeat uſumfructum in omnibus bonis, quæ adquirit Filius, tamen in portione, quam habet ex ſucceſſione Fratris Patri non quæritur uſusfructus: quia ſatis conceſſum eſt Patri per ſucceſſionem ad hereditatem inteſtatam Filii, a qua olim adſcendentes repellebantur, ideoque cum hoc habeant novum lucrum, æquum eſt ut Pater lucro veteri, nempe uſufructu privetur. (*i*) At ſi Pater cum Matre ſuccedat, Matris cauſa non amittet Pater uſumfructum, quem in bonis adventitiis Filii retinebat, quia proprietarii morte non perit uſusfructus, ſed morte tantum Patris uſufructuarii; proptereaque vivente Patre Mater non ſuccedet niſi in dimidio ſolius proprietatis.

Porro duobus caſibus Parentes a Filiorum hereditate arcentur. Primo, ſi ad ſecundas tranſierint nuptias, ſive de Matre agatur; de qua Lex expreſſe loquitur, ſive de Patre, quem occulta legis ratio comprehendit, etenim ſi tranſierint ad ſecundas nuptias, & Filius prioris Matrimonii moriatur relictis fratribus, Parentes,

(*a*) *L. penult. C. ad S. C. Orph. l. 19. 23. 24. ff. de ſtat. hom. Novell. 89. c. 12. §. noviſſime inſtit. de S. C. Orphit.*

(*b*) *Auth. ex complexu C. de inceſt. nupt. DD. tit. de eo qui dux. in matrim.*

(*c*) *Inſtit. de adopt. §. item non aliter.*

(*d*) *§. ſit igitur auth. quib. mod. natural. effic. ſui.*

(*e*) *Novell. 118. cap. 2. auth. defuncto C. ad S. C. Tertyl.*

(*f*) *d. cap. 2. novell. 118. d. auth. defuncto C. ad S. C. Tertyl.*

(*g*) *Novel. 127. cap. 1. auth. ceſſante C. de legit. hered.*

(*h*) *D. cap. 2. novell. 118. auth. defuncto C. ad S. C. Tertyl.* (*i*) *D. cap. 2. Verſ. ſi vero.*

tes, qui ſecundo nupſerint in aliis quidem bonis promiſcue cum fratribus defuncti ſuccedent, at tantum ſuæ portionis uſumfructum retinebunt ex bonis Conjugis mortui, quæ in hereditate Filii reperiuntur, eorumque amittent proprietatem, quæ cedit aliis filiis prioris Matrimonii, quorum ſi nulli extabunt, tum Parentes, quamvis ad ſecundas nuptias, tranſierint, uſumfructum ſimul & proprietatem ex bonis prioris conjugii, & a priori Conjuge ſibi relictis aſſequentur. (*a*)

Alter caſus, in quo Mater Filii ſucceſſione privatur, eſt, quando Mater Vidua Filio ſuo impuberi intra annum Tutorem petere neglexerit, aut ad infamem vivendi rationem ſe projecerit: indigna eſt enim Filii ſucceſſione, quæ vel illius educationem negligit, vel familiæ famam labefactat. Quando vero non ſuperſit Pater & Mater, tum hereditas defertur ad Avum & Aviam, & quidem in ſtirpes, & non in capita, diviſa in duas partes hereditate, quarum unam capiat Avus paternus, aliam maternus, adeout, ſi duo ſint ex parte Patris, Avus & Avia: unus ex parte Matris, nempe Avus, dimidium capiat hic unus; dimidium illi duo ſimul, (*b*) neque intereſt unde nam bona vel major pars eorum proficiſcantur, a linea paternane, an materna. (*c*)

Cum diſſeruerimus de Parentibus naturalibus & legitimis; nunc ad Parentes legitimos tantum veniamus. Atque hi non ſuccedunt impuberi adoptato, ſed bona devolventur ad proximiores impuberis conjunctos: ſi vero ſucceſſuri ſunt puberi, diſtinguendum eſt an pubes ille fuerit adrogatus, aut adoptatus ab aliquo ex adſcendentibus, & tum Parentes legitimi ſuccedent, aut fuit adoptatus ab extraneo, & tum a ſucceſſione adoptans excluditur; (*d*) at non excluditur adrogator. (*e*)

Pergamus nunc ad Parentes, qui Filios legitimarunt. Hi autem legitimatis filiis eodem modo ſuccedunt, quo ſuccederent Filiis ſuis legitimis & naturalibus. (*f*) Poſtremo de naturalibus Parentibus diſſeramus, qui ſuccedunt Filiis ex Concubina ſuſceptis in duabus unciis, ſive in ſextante, ſicuti de Filiis naturalibus dictum eſt quando ſuccedunt Parenti, qui cum eandem inter ſe relationem habeant, pari propterea jure comprehenduntur. Spuriis vero, aut ſuſceptis ex damnato coitu minime ſuccedunt. (*g*) Adſcendentes tamen ex linea materna ſuccedunt omnibus Filiis ex damnata conjunctione non ſuſceptis, perinde ac ſi e juſtis nuptiis nati eſſent, nulla differentia inducta inter Matrem illuſtrem aut non illuſtrem: cum ea differentia in Jure inveniatur quando ſucceditur Parentibus, non vero quando ſucceditur liberis. (*h*)

De ſucceſſione Collateralium.

Collateralium nomine veniunt omnes alii agnati & cognati, qui non ex recta, ſed ex tranſverſa linea, ſive ex lateribus proficiſcuntur. Unde deficientibus aſcendentibus & deſcendentibus, ſucceſſio defertur ad collaterales, omni ſexus & agnationis diſcrimine ſublato, ſpectataque ſolum gradus proximitate. Ideoque primi admittuntur Fratres, ſive Sorores ex utroque latere conjuncti, vel iis deficientibus, eorum Filii, qui ſuccedentes in locum Patris præmortui hereditatem ſibi divident in ſtirpes. Et quia Fratres utrinque conjuncti præferuntur conjunctis ex uno tantum latere, Filii etiam Fratrum ex utroque latere conjunctorum Patres ſuos repræſentantes, quamvis ipſi remotiori gradu ſint, ex uno tantum latere conjunctos, nempe Conſanguineos, aut uterinos etiam excludent, quæ repræſentatio, uti diximus, non extenditur ultra fratrum filios in collateralibus; ideoque frater conſanguineus, aut uterinus non excludetur a nepotibus fratris utrinque conjunctis, vel filiis eorum. Vocantur ad ſucceſſionem conjuncti ex uno tantum latere, ſive conſanguinei ſint, ſive uterini, ſive utrique ſimul: qui hereditatem inter ſe ita divident, ut uterini

(*a*) *L. Femina C. de ſec. nupt.*

(*b*) *Novel. 118. cap. 2. auth. defuncto C. ad S. C. Tertyl.*

(*c*) *d. cap. 2. verſ. ſi autem Gudelin de Jure novis. lib. 2. cap. 14. Faber in C. de ſuo lib. 6. tit. 33. defin. 2*

(*d*) *L. penult. C. de adopt.*

(*e*) *§. mortuo infra de adquiſit. per adrog.*

(*f*) *Forſter. de ſucceſſ. cap. 19. n. 1 & 2.*

(*g*) *L. ſi ſpurius ff. unde cognati auth. ex complexu C. de inceſt. nupt.*

(*h*) *Oinot. hic n. 48.*

-rini capiant bona venientia ex parte Matris; Conſanguinei vero bona ex parte Patris, quæ eſt opinio receptior. At bona cetera inter ſe partientur æqualiter. At ſi non ſupererint fratrum filii, tum hi hereditatem ſibi divident in capita, ut tot ſint æquales portiones, quot ſunt perſonæ, quia neceſſe non habent repræſentare Patrem ſuum, ut exæquentur fratribus Patris, ideoque ſuccedent uti ſuccedebant jure antiquo, (a) quemadmodum docuit Azo, (b) cujus receptior eſt ſententia, *Caroli Quinti* Conſtitutione in Spirenſibus comitiis comprobata; nam jus novum Novellarum, quo fratrum filii vocantur in ſtirpes, pertinet ad caſum, quo concurrunt cum fratribus defuncti, qui eos gradu præcedunt, ideoque neceſſe habent repræſentare Patrem ſuum, ut iis exæquentur. (c)

Hinc a pleriſque Accurſii ſententia, qui aliter docuit, reprobatur. Nam quamvis Nepotes Avo ſuccedentes ſuccedant in ſtirpes, tamen id contingit, quia in linea recta deſcendentium neceſſaria ſemper eſt repræſentatio introducta etiam jure veteri; quæ neceſſaria non eſt in Collateralibus, ubi introducta fuit jure novo, niſi tantum quando Nepotes concurrunt cum Patruis, & Avunculis. (d) Porro ex Statuto Urbis nullis aſcendentibus & deſcendentibus ſuperſtitibus, ſuccedunt Fratres excluſis Sororibus: nam ſtatuta tam pleraque municipiorum & mores, veterem agnationis, & in virilis ſexus prælationem Juſtiniano Principi mulieroſo & uxorio improbatam, tamen adhuc ex veteri jure retinuerunt.

Uſque ad Jus commune redeamus, notandum eſt quod dictum fuit de fratribus utrinque conjunctis, & eorum in Patris locum ſuccedentibus, etiam valere quando nullis exiſtentibus fratribus utrinque conjunctis, & eorum filiis, vocantur conjuncti ex uno latere tantum; nam filii uterinorum & conſanguineorum una cum fratribus uterinis & Conſanguineis per repræſentationem mortui Patris admittuntur. (e) At ultra fratres & eorum filios duplex conjunctio non præfertur conjunctioni ſimplici, ſed promiſcue ceteri Agnati & Cognati admittuntur, ſola gradus proximitate ſpectata: & ſi plures ſint ejuſdem gradus, cui ſucceſſio defertur, hereditas in capita dividetur, (f) fratres vero illegitimi, qui tamen ex damnato coitu non prodierint, ſi Matrem eamdem habeant, quamvis diverſum Patrem, ſibi invicem ſuccedunt, & conjunctis a latere per Matrem, itemque hi viciſſim illis jure naturalis cognationis. (g)

Nunc de fratribus adoptivis videamus. Hi ſane cum fratribus naturalibus, & legitimis nullam mutuam ſucceſſionem habent, niſi fuerint adoptati ab Adſcendente, in cujus poteſtatem & familiam tranſierunt. (h) Inter fratres vero legitimatos eſt ſucceſſio mutua; ſed non inter legitimatos: (i) Ac ſucceſſio Collateralium Agnatorum & Cognatorum ad gradum tantum decimum ex receptiori ſententia porrigitur: nam poſt decimum vocantur primo Conjuges, deinde Fiſcus. Conjuges enim invicem ſibi ſuccedunt propter onera Matrimonii, quæ ſuſtinent, & propter Divini atque humani juris communionem, quæ inter eos verſatur. Unde hoc prærerea tributum eſt iis, ut ſi Matrimonium dote careat, ſuperſtes Conjux ex bonis Conjugis divitis decedentis quartam capere poſſint, etiam extantibus Liberis; vel virilem portionem, ſi plures extent Liberi, quam tres. (k) Si vero nulli ſucceſſores decimi, aut proximioris gradus ſuperſint, neque ſuperſit Conjux; tunc bona vacantia dicuntur, & ob id a Fiſco demum occupantur: niſi excludatur ab eo, qui per quadriennium ea bona fide poſſederit. Poſſeſſor enim quadriennii a bonis vacantibus Fiſcum excludit. (l) Fiſcus vero bona vacantia occupans obligatur Creditoribus omnibus hereditariis pro viribus hereditatis. Et ſi quis diverſis

(a) *§ hoc eſt Inſtit. de legit. adgnat. ſucceſſ. lib. 1. ff. de ſuis & legit. Donell. comm. de Jure Civ. lib. 9 ç 4.*
(b) *In ſumma C. de legit. hered.*
(c) *Novell. 118. §. reliquum eſt.*
(d) *Vide Fachin. controv. lib. 6 cap. 3.*
(e) *d. Novell. 118. cap. 3. auth. poſt Fratribus C. de legit. hered.*
(f) *d. novell. 118. cap. 3. in fin.*
(g) *Inſtit. de ſucceſſ. cognat. §. penult. l. 2. ff. unde cogn.*
(h) *L. ſancimus C. de adopt.*
(i) *§. Filium vero auth. quib. mod. natur. effic. ſui.*
(k) *Auth. praeterea C unde Vir, & Uxor.*
(l) *L. 3. ff. de ſucceſſ. ad l. 4. C. de bonis vacantibus.*

verſis in locis Patrimonium habeat dipertitum, cujuſque loci Princeps in ſuam bonorum partem vocatur. Antequam autem a ſucceſſionibus diſcedamus, aliquid afferemus de Collationibus in ſucceſſione Liberorum locum habentibus.

Quoniam igitur hodie Parentibus filii emancipati cum aliis fratribus, qui erant in morientis poteſtate, ſuccedunt æqualiter; coguntur emancipati omnia, quæ a Patre vivente acceperunt, ſive bona profectitia in commune conferre, (*a*) ne iis retentis plus ex ſucceſſione Parentis ſubeant, quam Filiifamilias qui Patri adquiſiverunt. Unde bona, quæ parens reliquit ſimul cum iis, quæ habuerunt emancipati permiſcentur, ut æqualiter inter ſuos & emancipatos Liberos dividantur. (*b*) Habet enim locum collatio tantum in deſcendentibus ſive ab inteſtato ſuccedant, ſive ex teſtamento (*c*) niſi eam Teſtator prohibuerit, hac enim ratione tantum, non vero pacto aliquo, collationem licet excludere.

Liberalium vero Artium & ſcientiarum honore non cogitur emancipatus conferre, ſive imputare in partem ſucceſſionis ſibi debitam impenſas ſtudiorum. (*e*) Ceterum Dotem a Patre profectam filiæ; ſive ſuæ, ſive emancipatæ conferunt, tam ſi ſuccedant ab inteſtato, quam ſi ex teſtamento: niſi collatio eis a Patre remittatur (*f*) eamque dotem conferunt ſive cum ſuis, ſive cum emancipatis ad ſucceſſionem concurrant. (*g*)

INSTITUTIONUM

LIBER TERTIUS.

TITULUS I.

De Obligationibus, & iis, quæ re contrahuntur.

Obligatio eſt Juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur ſecundum Romani Orbis Jura. Illæ namque obligationes, quas diſſolvere nulla Juris Civilis neceſſitate cogimur, ſed æquitate Juris Pontificii, qualia ſunt pacta nuda, quæ non habent cauſam, nec tranſierunt in certum nomen contractus, & ſimplices pollicitationes appellantur obligationes naturales, non civiles, quibus præſens definitio congruit: quæ jure Canonico ad omnes porrigitur.

Naſcuntur autem obligationes vel ex re, vel ex verbis, vel ex literis, vel ex nudo conſenſu, ſcilicet ſine re, aut verbis, & literis; quibus tamen omnibus etiam conſenſus intervenit, ſine quo nullus contractus conſiſtit, ſed ideo diſtinguuntur, quia in tribus prioribus, præter conſenſum, intervenit etiam res, vel vox, vel ſcriptio.

Re igitur contrahitur obligatio quando ad conſenſum res accedit: eaque vel ex contractu ſive ex conventione nominata naſcitur, vel contractu innominato. Contractus nominati ſunt, qui certum nomen invenerunt in Jure Civili; innominati qui nullum ab eo nomen acceperunt. Tales ſunt Conventiones illæ *do, ut des; facio, ut facias; facio, ut des; do, ut facias*.

Nominati autem contractus qui re ineuntur, ſive reales, ſunt, Mutuum, Indebitum, Commodatum, Depoſitum, Pignus.

Mutuum dicitur, quod ex meo tuum, ſive accipientis fiat; in quem rei dominium adeo tranſit, ut non cogatur eamdem rem, ſed tantundem ejuſdem generis reddere. Ideoque non in ſpecie, vel ſtatua, pictura, libro, ſed in quantitate mutuum conſiſtit, ejus rei, quæ uſu conſumitur, nempe Vini, Tritici, Olei, Pecuniæ, ſimiliumque rerum, quæ functionem recipere dicuntur in genere ſuo, quod aliorum vice fungatur. Conſumta enim certa Vini quantitate, eamdem etiam Vini reſtituere debemus; & quamvis ſit aliud Vinum, tamen idem reddere videmur, quia genus rerum, & idea nunquam perit.

Actio autem, qua repetimus genus illud, & quantitatem ab eo, qui accepit, appellatur certi condictio, quia quantitas illa certa eſt & definita.

Jani Gravinæ. Tom. II. Gg Si

(*a*) *L. 1. ff. de Collation. L. ult. C. eod.*
(*b*) *Novell. 8. cap. 6. auth. ex teſtamento C. Collation.*
(*c*) *Dicta Novell. 8. cap. 6. &c.*
(*d*) *L. 15. C. de pact.*
(*e*) *L. qua Pater 50. ff. de fam. hercif. Juſt. in auth. quod locum n. 3. & 4. C de Collation.*
(*f*) *De collat. dot. & nov. 18. cap. 6.*
(*g*) *L. 4. l. 8. l. 1. C. de Collat. dot.*

Digitized by Google

Simile mutuo eſt indebitum, quando ſcilicet putantes nos debere aliquid, illud ſolvimus, cum non debeamus: cujus dominium tranſit in accipientem, velut ex mutuo, ſi in pondere, numero, & menſura conſiſtat: ad quam repetendam etiam certi condictio datur; Si is qui accepit, etiam ſibi debitam putabat: nam ſi ſciebat indebitam, inſtar Furis tenebitur condictione furtiva. Si vero res, quæ tamquam debita, indebite perſolvitur ei, qui etiam ſibi deberi putabat, in ſpecie conſiſtat; tum competet actio, quæ ſpecialiter indebiti condictio appellatur.

Sicut autem ex mutuo uſuræ nullæ; ita neque ex indebito repetuntur.

Alius contractus realis appellatur Commodatum: quod eſt gratuita traditio rei ad uſum, tempus modumque certum, ut deinde ſpecies eadem reſtituatur: nam ſi res commodata quocumque tempore repeti queat, precarium appellatur.

Et quoniam mutuum transfert rei dominium, & accipientem obligat ad reddendum idem genus; propterea mutuatarius tenetur reddere, quamvis apud ſe res mutuata ſine culpa ſua perierit; cum tantum commodatarius non præſtet caſum fortuitum, quia rei debitor eſt, ſive ſpeciei, non generis, ideoque non tenetur, niſi ex culpa, etiam leviſſima: etenim adhibere debet ſummam diligentiam, quia ſua ſolius, non vero commodantis cauſa contractus initur. Nam quando contractus initur cauſa utriuſque contrahentis, tum præſtatur, ſi culpa levis, quia mediocrem diligentiam adhibuiſſe ſufficit. Lata vero culpa preſtatur ſemper & in omnibus contractibus; etenim dolo comparatur; eaque culpa committitur, quando quis omiſit diligentiam leviſſimam, ut ſi domus fores nullo relicto claudere omiſiſſet.

Tertius contractus realis eſt Depoſitum; quod eſt traditio rei ſuæ gratis ab accipiente cuſtodiendæ, dominoque reddendæ. Quoniam autem ſolius deponentis commodum in Depoſito verſatur, propterea ſolus dolus, aut lata culpa depoſitarii arguitur; neque ex leviſſima, vel levi tenetur, ſi res perierit. Cum autem alicui res immobilis cuſtodienda committitur, ſequeſtratio appellatur.

Quartus contractus realis eſt Pignus, quod eſt traditio rei mobilis a Debitore in Creditoris manus ad ſecuritatem rei debitæ, ut, ea perſoluta, reſtituatur. Ac ſi res immobilis Creditori obligetur hypotheca dicitur. Datur autem Debitori ad repetendum Pignus, re perſoluta, actio pignoratitia directa; ut diſtinguatur ab actione pignoratitia contraria, quæ Creditori datur ad repetendos ſumtus in re pignorata factos. Et quoniam in hoc contractu tam Debitoris propter nummorum inveniendorum facilitatem, quam Creditoris propter ſecuritatem utilitas vertitur: propterea levis tantum, & lata culpa utrinque præſtatur.

TITULUS II.

De verborum obligationibus, ſive de ſtipulationibus.

Contrahitur ſtipulatio verbis ab interrogante & reſpondente prolatis quibuſcumque, dum ſenſus petentis & promittentis appareat (a) puta *dabis mihi centum aureos? dabo*. Ac ſi promittatur res certa, puta, talis equus, naſcitur actio, quæ certi condictio appellatur, per quam rem promiſſam petimus; nam ſi petamus rem incertam, ſed finibus circumſcriptam, puta equum in genere, tunc actio naſcitur, quæ ex ſtipulatu dicitur.

Stipulationum autem quædam puræ ſunt, quædam ſub conditione, quædam in diem. Puræ ſunt, quarum una ceſſit, & venit dies, h. e. quarum cauſa, quod promiſſum eſt, debetur, & ſtatim peti poteſt. In diem ſtipulatio concipitur, quando ad contractam obligationem adjicitur ſolutionis dies, veluti *decem aureos ad triduum dare ſpondes?* hujus autem ſtipulationis quamvis cedat ſtatim dies ſolutionis, tamen dies venire non dicitur, niſi poſt triduum a promiſſione: quia adjectus cenſetur cauſa debitoris. Conditionales ſtipulationes ſunt, quæ obligationem differunt in aliquem eventum, ante quam non obligamur, & poſtquam ab initio ſtipulationis obligari cenſemur.

Triplex eſt autem conditio caſualis, ut ſi

(a) L. 10. *de contrahen. & commit. ſtip.*

ſi Conſul fueris; poteſtativa, ut *ſi per hanc viam ambulaveris*; & mixta, quæ de poteſtate conſtat & fortuna; veluti ſi *ſocietatem cum Titio contraxeris*. Ac ſi moriatur ſtipulator pendente conditione, & caſus evenerit poſt mortem illius, promiſſor ſtipulatoris heredi tenebitur.

Porro non ſolum rem, ſed etiam factum ſtipulari poſſumus, nempe *promittis mihi fulcire Domum?* vel *promittis mihi nunc te per hanc viam tranſiturum?* quod ſi promiſerit quis, & non præterierit, damnabitur in id, quod ſtipulatoris intereſt id eſſe, aut non eſſe factum. Atque ut liquido conſtare queat id, quod ſtipulatoris intereſt; adjicienda eſt in ſtipulatione pœna certæ quantitatis a promiſſore præſtandæ, ſi domum non fulcierit, aut per illam viam non tranſierit; veluti ſi Domum non fulcias, aut per illam viam non tranſeas mihi dabis centum.

Rei nomen generale eſt, & comprehendit tam promiſſorem, quam ſtipulatorem, ſive Creditorem, ideoque duo dicuntur & eſſe poſſunt ex eadem ſtipulatione rei ſtipulandi & promittendi; ſive duo Creditores, & duo debitores ex eodem contractu, puta ſi Titius, & Mævius ſeparatim interrogaverint Cajum an ſibi ſtipulanti dare ſpondeat? & poſt utriuſque interrogationem Cajus reſponderit, *ſpondeo*, vel *utrique veſtrum dare ſpondeo*; tum enim eorum utrique in ſolidum Cajus eſt obligatus ex eodem contractu. Nam ſi ſingulis ſeparatim interrogantibus, Cajus ſeparatim reſponderit; tum diverſæ ſunt ſtipulationes, puta ſi Titius rogaverit, *centum dare ſpondes?* Et Cajus ſe ſpondere dixerit; poſtea Mævio roganti *an centum dare ſponderet? ſpondere* quoque illi adjecerit; tum enim non ſunt duo rei ſtipulandi, ſed ſibi quiſque ſeorſim propriam & peculiarem obligationem adquirit.

Duo vero pluresve rei promittendi fiunt, ſi unus duos, aut plures interrogaverit, & ſinguli ſeparatim reſponderint ſe ſpondere; veluti ſi Titius Cajum roget *centum dare ſpondes?* Deinde Mævium *eadem centum dare ſpondes?* & Cajus, & Mævius ſeparatim reſponderint *ſpondeo*; vel ſimul *ſpondemus*.

Qua ex obligatione oritur ut una & ſolida res omnibus & ſingulis ita debeatur, ut ſi unus ex reis promittendi ſolverit, ceteri liberentur. Etenim duo rei ſtipulandi ſunt, qui unam eamdemque rem ita ſibi ſtipulantur, ut illa eadem ſolida ſingulis, una vero omnibus debeatur. Et duo rei promittendi ſunt, qui rem unam eamdemque ita promiſerint, ut ſinguli ſolidam, unam tamen debeant omnes. Verum hodie (*a*) unus ex reis debendi conventus in ſolidum, poſtulare poteſt, ut pro parte tantum virili conveniatur; dum reliqui adſint, & ſint ſolvendo. (*b*)

Poteſt autem ad unius præſtationem alter pure, alter ſub conditione, vel in diem obligari, nec tamen minus erunt duo rei ſtipulandi. (*c*)

Dividuntur ſtipulationes in Judiciales, quæ interponuntur juſſu Judicis poſt litem conteſtatam, ut ſententia effectum aſſequatur; in Prætorias, quæ interponuntur juſſu Magiſtratus, ſive illius, qui dat Judicem, quique fungi dicitur officio Judicis nobili cum alium judicare jubeat; in conventionales, quæ voluntate contrahentium ineuntur; & in communes, quos tam Magiſtratus extra Judicium, quam Judex in Judicio ad ſententiæ ſuæ ſecuritatem poteſt partibus imperare; ut cautio a Tutore exigenda rem pupilli ſalvam fore; & ea, quæ exigitur a Procuratore, ut Dominus factum illius ratum habeat.

Stipulari poſſumus res omnes, quæ exiſtendi facultatem habent a natura, quæque ſunt & eſſe poſſunt in humano & civili commercio, ſive quæ donari, vendi, relinqui teſtamento queunt.

At nemo ſtipulando poteſt alteri quærere obligationem, niſi ſit in illius poteſtate, qualis eſt filius familias Patri; non vero quærere poteſt obligationem extraneo. Sed poteſt pœnam adjicere, ut niſi extraneo teneri velit, ſibi ſtipulanti centum pendat: Ideo ſi quis ſibi, aut Mævio decem dari ſtipuletur, obligationem omnem ſibimet adquirit; Mævio vero nihil, niſi legitimam facultatem recipiendæ pecuniæ pro

Gg 2

(*a*) *Auth. hoc ita C. h. t.*
(*b*) *Aut. hoc ita C. de duob. reis ſtipul. & prom.*

(*c*) *L. 7. ff. eod.*

pro ſtipulatore, ideoque Mævius dicitur adjectus ſolutioni: propterea que promiſſor, quamvis ſtipulatori non ſolvat, tamen cum ſolverit Mævio, liberabitur. Verum noſtris temporibus receptum eſt, ut obligationem per Notarium, quaſi per ſervum publicum, pro nobis ſtipulantem adquiramus.

Si quis ſub conditione impoſſibili ſtipuletur, veluti *ſi digito Cœlum tetigeris*, ſtipulatio erit inutilis, quia contrahentes luſiſſe cenſentur; at hereditas, & Legatum ſub impoſſibili conditione relictum valebit, quia illa impoſſibilis conditio irrepſiſſe per errorem cenſetur; nemo enim in ultima voluntate ludere voluiſſe putatur, ideoque manente diſpoſitione, conditio rejicietur.

Stipulatio hæc *pridie quam moriar dare ſpondes?* hodie poſt Juſtiniani Conſtitutionem valet; atque etiamſi concepta ſit poſt mortem promiſſoris: quia quod defuncto, vel a defuncto præſtandum fuiſſet, id nunc heredi, vel ab herede præſtatur. (*a*)

Sicut & hodie valet hæc ſtipulatio, *ſi cras Navis ab Aſia veniet, hodie dare ſpondes?* quia rei obligatæ exactio confertur ad eventum conditionis. (*b*)

Quando in Inſtrumento ſcriptum invenitur aliquem promiſiſſe, tum niſi contrarium ab altera parte doceatur, credendum erit interveniſſe ſtipulationem; adeout interrogatio præceſſerit, ſucceſſerit reſponſio: quia veritas & ſolemnitas actus ex inſtrumento præſumitur.

Cum ſua ſtipulantis intereſt alicui dari, tum quis utiliter pro altero ſtipulatur; ideo, ſi duo ſint Tutores Titius & Mævius, ac Mævius Titio integram adminiſtrationem cedat, poteſt Mævius in utilitatem pupilli a Titio ſtipulari rem pupilli ſalvam fore, ne etiam ipſe Mævius, dilabentibus pupilli facultatibus, pupillo teneatur.

Mutus, ſurdus, quia percipere ac reddere ſenſum animi nequeunt, ſicut. & pupillus, ſtipulari nequeunt, niſi pupillus ſex menſibus exceſſerit infantiam, nempe ſeptennium: tum enim in ſuum commodum utiliter ſtipulatur; quamvis ſine Tutore auctore alteri ſe obligare nequeat.

Qui factum alterius promiſit, nempe qui ſpopondit Titium ſibi Domum ædificaturum, præſtare factum alterius non tenetur; ſed tenebitur perſolvere pœnam, cui ſe ſubjecerit, ſi Titius non ædificaret.

Inutiles quoque ſunt ſtipulationes initæ inter eos, qui ſunt & habent in poteſtate, veluti inter patrem & filium, qui ſane inter ſe naturaliter obligantur, non tamen civiliter, adeout actio nulla inter eos naſcatur.

At ipſe Filiusfamilias alteri contrahendo, utiliter obligatur & civiliter, cum ſit Civis: excepta cauſa mutui: ex qua, per S. C. Macedonianum, omnis obligatio a filiofamilias contracta irritatur.

Stipulatio conditionalis mortuo ſtipulatore, vel promiſſore, ante conditionis eventum, ad heredem ſtipulatoris, & adverſus heredem promiſſoris tranſit, quia eveniente conditione, obligatio retro ad contractus diem trahitur: perinde ac ſi contractus ab initio purus fuiſſet.

Cum quis hoc anno, aut menſe promittit, conveniri non poteſt, niſi ad finem poſtremi diei, anni, & menſis illius perventum fuerit: cum ante anni, aut menſis extremum diem, non putetur eſſe in mora debitor, cujus cauſa tempus adjectum cenſetur. At ſi quis pure promittit, conveniri ſtatim poteſt, impetrato tamen aliquo ſpatio temporis, ad commoditatem traditionis.

TITULUS III.

De Fidejuſſoribus.

Fidejuſſor eſt, qui pro alio ſe obligat, ut fide ſua Creditor ſit ſecurior. Et fidejuſſio eſt contractus verbis ad firmamentum obligationis alienæ initus: qui tum ad civilem, tum ad naturalem obligationem firmandam poteſt accedere; puta obligationem eam, quæ inter Patrem & Filium intercedit: quæ naturalis eſt, non civilis, quia Patris a filii perſona civiliter minime diſtinguitur, cum filius manet in poteſtate.

Quoniam, ſi plures fidejuſſores pro debitore ſpondent, poteſt a Creditore quilibet in ſolidum conveniri; propterea D. Adrianus conceſſit iis beneficium diviſionis, ex quo Creditor cogitur non ſolidum a ſin-

(*a*) L. unic. C. de action. quæ ab hered. L. 25. C. de contrah. ſtip.

(*b*) L. 25. §. item autem C. de teſtam.

a ſingulis, ſed virilem cujuſque portionem exigere, dummodo ſolvendo ſint litis conteſtatæ tempore. (a) Quo beneficio fidejuſſor, poſtquam ſolverit, uti non poteſt, nec amplius ei conceditur vel a Creditore quod ſupra portionem ſuam ſolvit repetere, vel ab aliis fidejuſſoribus.

Tum autem poteſt Creditor fidejuſſores convenire, quando excuſſis bonis principalis debitoris, quod ſibi debeatur exigere nequiverit. (b)

Porro nulli licet a fidejuſſoribus ſtipulari pluſquam reus debet, aut majus commodum, cum fidejuſſor in duriorem cauſam, quam ſuſtinet debitor, accipi non debeat.

Ex fidejuſſione non ſolum fidejuſſor, ſed ejus etiam heres tenetur, & quod fidejuſſor ſolverit, a principali debitore, pro quo ſolvit, mandati actione repetet, vel actione negociorum geſtorum, ſi pro abſente ſe obligaſſet.

Ut autem ſolemniter fidejuſſum cenſeatur, ſatis eſt ſi in inſtrumento relatum fuerit, fidejuſſionem acceſſiſſe.

TITULUS IV.

De Literarum obligationibus.

SI quis confitetur alicui pecuniam, aut res alias, quæ pecuniæ omnes nomine veniunt ex mutuo debere, neque intra biennium confeſſionem ſuam, quam edidit ſub ſpe proximæ numerationis retractaverit, quamvis pecuniam non acceperit a Creditore, tamen ex confeſſione illa ſcripta, perinde obligatur, ac ſi ei numerata fuiſſet: ideoque recte literarum obligatio appellatur: quia ex ſcripta confeſſione, non autem ex vera numeratione procedit; cum in aliis contractibus ſcriptura tantum ad rei geſtæ memoriam adhibeatur; obligatio vero etiam ſine ſcriptura naſcatur.

Verum intra biennium reus, qui pecuniam accepiſſe confeſſus fuerit, tripliciter cavere ſibi poterit, ſi pecuniam, quam accepiſſe confeſſus fuerit revera, non acceperit; Primo, habebit condictionem ſine cauſa, ſive actionem ad repetendum e manibus debitoris Chirographum ſuæ confeſſionis ob cauſam datæ pecuniæ non ſecutam, hoc eſt quia pecunia promiſſa numerata revera non fuerit. Secundo, querelam, ſive denunciationem ſcriptis tradendam, qua quis publice proteſtatur, pecuniam a Creditore non accepiſſe, quamvis eam acceptam tulerit. Tertio, Creditore pecuniam intra biennium, poſt confeſſionem debiti, repetente, debitori ſuccurritur per exceptionem, quæ appellatur non numeratæ pecuniæ, qua debitor creditorem excludit dicens, pecuniam ab eo ſibi non fuiſſe numeratam, eaque exceptione confert in creditorem onus probandæ numerationis, contra naturam aliarum exceptionum, quarum veritatem probare debet ipſemet excipiens. Quod ſi Creditor exceptionem redarguerit, ac probaverit ſe revera numeraſſe, reus, qui falſo excepit, damnatur in duplum. (c)

TITULUS V.

De obligationibus ex conſenſu & primo de emtione.

OBligationes ex conſenſu dicuntur, quia dum conſenſiſſe contrahentes probetur, nihil intereſt qua ratione, ſive per epiſtolam, ſive per procuratorem, ſive verbis, ſive ſcriptis contraxerint. Quorum contractuum primum locum tenet emtio & venditio, quæ eſt commmutatio rei cum pretio. Eaque perfecta dicitur, quando de re tradenda & pretio ſolvendo conventum fuerit, etiam non datis arrhis; conſumata vero, cum res tradita fuerit & pretium numeratum.

Si tamen ex conventione contrahentium venditio ſcriptis committenda fuerit ad ſubſtantiam illius, tum ſi de privata ſcriptura tractetur, ad perfectionem venditionis ſatis erit ſi manu contrahentium ſcripta detur; niſi literis imbuta ſcheda aliqua deletitia proferatur; tum enim in mundum ea ſcheda redigenda erit, quo contractus perficiatur; etſi folium fuerit aliena manu conſcriptum, & in mundum redactum, ſufficiet ſubſcriptio contrahentium. At ſi publica ſcriptura, & Tabellionis manu contrahatur,

(a) L. inter 51. §. 1. ff. de fidejuſſ.
(b) Auth. præterea C. de fidejuſſ.

(c) Auth. contraq. C. de non numer. pec.

tur, perfecta venditio cenſebitur poſt Inſtrumentum a Notario recitatum, & contrahentibus comprobatum. [a]

Dum autem ſcriptis contrahitur locus eſt pœnitentiæ donec aliquid deeſt; & licebit tam emtori, quam venditori a contractu diſcedere; ſed ſi arrhæ datæ fuerint, tum emtor recuſans adimplere, h. e. perficere contractum, arrhas amittit; ſi vero recuſet venditor, duplum emtori præſtabit ejus, quod arrharum nomine acceperit; [b] ſive a ſcripto, ſive ſine ſcripto contractus initium accepiſſet.

Aliud vero ſancitur ex Statuto Urbis, (c) ex quo recuſans adimplere contractum, poteſt ab alio contrahente compelli ad perfectionem illius.

Pretium vero eſſe non dicitur niſi fuerit definitum vel ab ipſis contrahentibus, vel ab eo cujus arbitrio pretium definiendum tradiderint, quo non definiente, venditio diſſolvetur.

Si vero alteruter contrahentium in venditione lædatur ſupra dimidium juſti pretii, venditio reſcindetur ex remedio *l. 2. C. reſcind. vend.*

Poſt venditionem contractam omne periculum rei venditæ pertinet ad emtorem, ad quem pertinet & commodum; & incrementum ejus, quamvis res adhuc tradita non fuerit; niſi culpa, dolove venditoris res perierit, corruptave fuerit.

Poteſt venditio etiam ſub conditione celebrari, & etiam ſub eo additamento, ut liceat venditori, poſt certum tempus reddito pretio, rem ad ſe revocare, quæ venditio ſub pacto retro vendendi vulgo appellatur, vel redimendi. (d)

Poteſt etiam reſolutio venditionis ex conditione pendere; quamvis venditio pura in principio fuerit, quod evenit in addictione in diem, cum res certo pretio vendita, ita venditur, ut ſi intra certum tempus alter meliorem conditionem attulerit, res ab emtore abſcedat; (e) & in lege commiſſoria, cum ita in venditione convenitur, ut ſi ad certam diem pretium venditori perſolutum non fuerit, pro non emta res habeatur. (f)

Res porro, quæ in commercio non ſunt ſub conditione non cadunt.

Et ſi quid hujuſmodi deceptus quis emerit, conſequetur a venditore quanti ſua intereſt non fuiſſe in ea re deceptum.

Si vero res emta vitioſa inveniatur, venditor per actionem redhibitoriam reddito pretio rem ſuam recipiet; vel emtor actione quanti minoris repetet ex pretio partem eam, quæ rei æſtimationem exſuperat. [g]

TITULUS VI.

De Locatione, & Conductione.

LOcatio eſt translatio uſus rei ad certum tempus in Conductorem accepta ab eo certa mercede; ex quo contractu Locator habet actionem locati ad mercedem petendam; Conductor actionem conducti ad petendam rem, vel extinguendas operas. Utilitatis autem cauſa receptum eſt, ut Conductor ſi ita convenerit, loco pecuniæ portionem fructuum pro mercede ſolvat: [h] Et mercedis definitio etiam in alterius arbitrium conferri poteſt, quo non definiente, contractus reſolvitur, ut dictum eſt in venditione.

At ſi fundum in perpetuum alicui colendus & fruendus, vel ad longum tempus ſub certa mercede, aut penſione tradatur; tum nec venditio, nec locatio, ſed novum contractus genus, quamvis utrique affine, prodit, quæ vocatur emphytheuſis, & præcipuas habet ac diſtinctas ab utraque leges. Dicitur enim emphyteuſis tamquam implantatio, quia plerumque deſertos Agros & ſqualidos ad longum tempus, vel in perpetuum ſub ea conditione tradamus, ut excolantur. Ideo qui accipit, veluti Dominus habetur, & quidem utilis; cum Domino concedenti ſuperſit directum dominium. Ideo, qui fundum in emphyteuſim accepit facultatem ejus habet obligandi; & hypothecæ ſubjiciendi, & donec ſuum jus duret, permutandi; imo etiam & vendendi, ſi antea Domino directo denunciaverit, eique optionem obtulerit anma-

(a) *L. Contractu C. de fide inſtrument.*
(b) *L. contractus C. de fide inſtrum.*
(c) *L. 1. cap. 112.*
(d) *L. 2. ubi DD. C. de pact. inter emt. & vend.*
(e) *L. 1. & tot. tit. ff. addict. in diem.*
(f) *L. 2. & tot. tit. ff. de leg. commiſ.*
(g) *L. 1. l. 9. l. 3. ff. edict.*
(h) *L. 2. C. locati.*

malit emere pro eodem pretio, quam alii emendum permittere. Tum enim ſi Dominus per duos Menſes voluntatem ſuam declarare diſtulerit, nec vendendi veniam concedat, liberum erit vendere alii æque ad ſolutionem penſionis idoneo: reddita Domino directo parte quinquageſima pretii, honorarii loco; quod vulgo Laudemium appellatur a laudando, ſive approbando. Quod Laudemium Domino directo debetur etiam, ſi per donationem, aut permutationem emphytheuſis in alium transferatur. [a]

Si autem penſionem quis per triennium directo Domino ſolvere neglexerit, expelli poterit ab eo ex eo fundo auctoritate non propria, ſed ut plerique volunt, Judicis. Et ſi de emphytheuſi agatur Eccleſiaſtica, ſufficiet biennium ad expellendum eum a fundo, ſi penſionem per id tempus non ſolverit; conceſſa tamen ei moræ purgatione, & oblatione penſionis quam diſtulerat. (b)

Penſio ſolvenda eſt etiam ſi damnum Ager acceperit ab aliqua tempeſtate, & ſterilitate; ut pars illius perierit, niſi penitus integer: nam re deficiente, cum ea ruit etiam penſionis onus. Quamobrem totus Ager quidem Domino directo: pars vero Domino civili perit. [c]

Sed ut ad contractum locationis redeamus, quoniam in eo Locatoris & Conductoris commodum vertitur; propterea Conductor præſtare debet ea damna, quæ ex dolo, vel culpa levi ſua contigerint; non vero quæ acciderint ex culpa leviſſima; eoque minus fortuito eventu. Unde non tenetur Conductor, niſi omiſerit eam diligentiam, quam prudens quivis Pater familias adhibuiſſet.

Conductore mortuo in ejus locum ſuccedit heres, in quem conductio continuatur, ſi mortuus Conductor fuerit ante locationis terminum: unde & heres Locatoris in ipſius etiam jus ingreditur. (d) Succeſſor vero ſingularis, qualis eſt emtor, & Legatarius minime ſtare cogitur Locationi auctoris ſui, nempe Venditoris, aut Teſtatoris.

TITULUS VII.

De Societate.

Societas eſt communio vel omnium bonorum, vel partis, conventione inſtituta inter plures, ut lucra, & damna dividantur, vel prout contrahentes ab initio pacti fuerint, vel prout jure præſcribitur: nempe ut lucra, ex parte quam quiſque contulit bonorum ſive mercis, dividantur. Unde ſi lucrum factum ſit 12. aureorum, & ego contulerim centum, Titius quinquaginta, mihi tribuenda erunt octo, Titio quatuor; quia duplum fructuum ex duplo collatæ ſortis ferre debeo.

Si vero aliter convenerint contrahentes, adeo ſervabitur eorum voluntas, ut etiamſi unus totam ſortem contulerit, alius nihil, & pepigerint, ut qui nihil contulit partem lucri ferat, ejuſmodi conventio adprobetur, quia poteſt ejus qui nihil contulit induſtria eſſe adeo utilis mercimonio, ut ſine illa nihil proficeretur.

Hinc etiam valebit ea conventio, ex qua quis partem aliquam lucri accipit; nullam vero damni, æſtimatis omnibus mercibus, compenſatoque damno in una merce accepto cum lucro facto in merce alia: cum non intelligatur lucrum, niſi ab omnibus partibus damno deducto; neque damnum, niſi detracto undique lucro.

Nequaquam vero valebit pactum, ex quo lucrum omne ad unum; damnum omne vero ad alium perveniat. Dicitur enim hæc Leonina Societas merito legibus improbata.

Si partes expreſſæ ſint vel in damno tantum, vel in lucro tantum; quod expreſſum eſt in uno & in altero expreſſum cenſetur; unde qui pactus eſt duas lucri partes pro ſe; is, ſi damnum contigerit, debet duas damni ſuſtinere partes.

Finitur Societas diſſenſu Sociorum, etiamſi contracta fuerit in perpetuum, ne voluntates cogantur: (e) niſi quis ſperans aliquod ſibi proximum lucrum ab omnium bonorum Societate diſceſſerit, ne lucrum illud cum Sociis dividere compleatur; nam de-

(a) *L. 3. in fin. C. de jur. emphyt.*
(b) *Auth. qui de rem. C. de Sacroſ. Eccleſ. cap. ult. extr. de loc. & Cond. Cap. potuit eod.*
(c) *L. 1 C. de jure emphyt.*
(d) *L. 10. C. de locat.*
(e) *L. nulla 70. l. 14. ff. de pro Soc.*

Digitized by Google

detecto fraudulento conſilio communicationem illius lucri cum aliis effugere non poterit, perinde ac ſi a Societate non diſceſſerit.(a)

Finitur & morte ſive naturali, ſive civili, vel ceſſione bonorum unius Socii, ſive cum altero, ſive cum pluribus ſuperſtitibus inita fuerit, neque Socii mortui heres illius locum occupabit: niſi aliter contrahentibus in ineunda Societate placuerit. Et ſi certi alicujus negocii Societas inita fuerit, diſſolvitur Societas, ſi negocium illud ad finem pervenerit.

Actione verò, quæ *pro Socio*, appellatur, quiſque Socius convenire poteſt alium ad præſtandum, quod bona fides in hujuſmodi contractibus tacite poſcit; vel ad diviſionem lucrorum, & damnorum; vel ad vindicandam culpam, aut dolum a Socio admiſſum.

Et quia Societas omnium Sociorum gratia initur, Socius alter in alterum, præter dolum & latam, levem etiam culpam ulciſcitur; non vero culpam leviſſimam; cum ipſe ſocium elegerit, & potuiſſet diligentiorem ſocium invenire, ſi majorem communi diligentia voluiſſet adhibere.

TITULUS VIII.

De Mandato.

MAndare dicimur, & Mandatores adpellamur, cum gratuito alicui aliquid gerendum committimus, qui ab accepto mandato Mandatarius nuncupatur.

Aliquando, etiamſi quis non mandaverit, ſed conſilium tantum dederit, obligatur ei, cui conſilium dedit, perinde ac ſi mandaſſet. Quod evenit, ſi pecuniam otioſam, ſive fœnori non occupatam Titius habeat, & ego ei mandem, ut illam Cajo fœneretur; tum enim propter expreſſam, & deſignatam Caii perſonam, cui ſine mea ſuaſione, Titius pecuniam non credidiſſet, ego ex mandato meo, Titio ſi damnum tulerit, obligabor.

Item ſi turpem rem perſuaſerim, aut mandarim, pœnæ obligabor; ſed promiſſam pecuniam ei, qui mandato meo crimen admiſerit, perſolvere non tenebor.

Mandatum autem voluntatis eſt ſuſcipere; neceſſitatis adimplere: & quidem ad præſcriptam formam, & ſummam, quam excedere non licet; adeout ſi fundum emere juſſus centum, emat octoginta, poſſit a Mandante octoginta quæ ſolvit repetere: at ſi emerit centum viginti, repetere a Mandante Mandatarius non poſſit, niſi centum, non vero viginti, quæ ſupra præfinita centum impenderit.

Solvitur vero mandatum pœnitentia Mandantis, ſi illud revocat, dum res eſt integra, nam ſi Mandatarius rem inchoaverit, quamvis mandatum ſolvatur, tamen a Mandante repetere poterit quidquid ob negocium inchoandum fecerit ſumptuum [b] quos item repetere poteſt ab herede Mandatoris, ſi ejus morte diſſoluto mandato, ipſe mortem neſciens, aliquid impenderit, ut mandatum impleret: quod obitu Mandantis extinguitur.

Solvitur mandatum renunciatione a Mandatario tempeſtive facta, ſine damno Mandantis: nam ſi ob eam renunciationem tempore ſuo non factam Mandator amiſerit facultatem rei ſive per ſe, ſive per alium gerendæ, tum Mandatarius tenebitur in id, quod Mandantis intereſt tempore debito non fuiſſe renuntiatum: niſi Mandatarius morbo, vel alia, juſta cauſa renunciare prohibitus fuerit.

TITULUS IX.

De Obligationibus, quæ quaſi ex contractu naſcuntur.

SÆpe contingit, ut ſine aliqua conventione obligatio naſcatur ex ſolo facto: & tum dicimur ex quaſi contractu obligari.

Primum gerendis negociis abſentium, qui rebus ſuis vacare nequeunt, & expreſſum mandatum non dederunt: is enim, qui eis rem utilem geſſerit, habet actionem, quæ appellatur contraria negociorum geſtorum, per quam contra Dominum agit ad repetendos ſumtus in rebus ejus curandis factos dum ille abeſſet; Dominus vero rediens ſi damnum acceperit ex lata, vel levi culpa ejus, qui ſponte illius negocia geſſerit, aut dolo, habet actionem, quæ diſtinctionis cauſa, directa negociorum geſtorum dicitur, ob res male geſtas, contra

(a) L. *actione* §. 3. *ff. pro Soc.*

(b) L. 15. *l. inter* 26. *ff. mand.*

contra geſtorem, ut damnum præſtet, quod Domino attulit.

Secundum genus quaſi contractuum eſt Tutela: ex qua Pupillus actionem directam adquirit contra Tutorem, ut eum ad reddendam adminiſtrationem cogat; Tutor vero adquirit actionem contrariam, qua repoſcit a Pupillo quod in rem illius impenderit.

Tertium genus eſt communio rerum, in quam non voluntate, ſed eventu aliqui inciderunt, ut ſunt ii, quibus communiter quid legatum, donatumve fuerit: nam adquirunt invicem actionem communi dividundo, per quam inter ſe petunt, ut communis res in ſingulos dividatur, aut ut impenſæ ab altero factæ præſtentur, vel reddantur fructus ſupra debitam portionem percepti; quæ actio differt ab actione pro ſocio, quæ naſcitur ex contractu ſocietatis communi voluntate inito.

Pro univerſa vero hereditate pluribus relicta naſcitur actio, quæ dicitur familiæ, ſive hereditatis erciſcundæ, h.e. dividendæ: in qua eædem præſtationes veniunt.

Quartum genus eſt hereditatis aditio, per quam ſine aliqua conventione, legatis, & defuncti Creditoribus heres obligatur.

Quintum genus eſt indebitum: nam qui ſolvit quod non debebat, obligat ſibi accipientem; ideo tamquam ex mutuo involuntario traditam pecuniam ab eo repetet indebiti condictione, quod eſt hujus actionis nomen.

Cum autem quis pecuniam ſolverit, metuens ne in duplum teneretur, ſi aut negaret, aut differret; is quia id fecit ad effugiendam dupli condemnationem, pecuniam repetere non poteſt. Quod contingit, ſi quis conveniatur lege Aquilia, ubi negans damnum condemnatur in duplum: ſicut & in duplum condemnatur, qui certam & deſignatam pecuniam dare a Teſtatore juſſus in piam cauſam, eam ſe debere falſo negaverit, (*a*) Quibus, & ſimilibus in cauſis, non repetitur indebite ſolutum; quia ſimpliciter datum intelligitur, ne conventus in judicio, ſi negaſſet falſitatis convictus, in duplum condemnaretur.

TITULUS X.

Per quas perſonas nobis obligatio adquiratur.

ADquiritur obligatio per eos, quos in poteſtate habemus; ut per Filiosfamilias ex peculio profectitio, non vero ex caſtrenſi, aut quaſi: ex quibus ſibi ipſi tantum Filiusfamilias obligationem adquirit.

Obligationes vero, quæ ex peculio adventitio naſcuntur, filio quidem proprietatem comparant; Patri vero tantum afferunt uſumfructum, & tamquam adminiſtratori etiam exercitium actionis, adhibito Filii conſenſu, ſi ætatem ad conſentiendum habeat idoneam. (*b*)

TITULUS XI.

Quibus modis tollatur obligatio.

PRimo tollitur ſolutione ejus quod debetur, etiam ſi, debitore invito, alius Creditori accipienti ſolverit: per quam non ſolum ipſe debitor, ſed etiam fidejuſſores & pignora omneſque acceſſiones aliæ liberantur: quamvis debitor fidejuſſori, qui pro ea ſolvit, teneatur.

Secundo tollitur per acceptilationem, ſive ſolutionem fictam, per quam quod nobis ex verborum obligatione debetur verbis perſolvimus, atque remittimus; imo per acceptilationem tollitur etiam ea obligatio, quæ non ex verbis naſcitur, ſive ex ſtipulatione, ſed ex re vel conſenſu, puta venditione, aut alio contractu, ſi eas obligationes ex emptione, vel mutuo, aliove contractu naſcentes extinguamus deducentes eas in ſtipulationem, ſive in obligationem verborum, quam poſtea per Aquilianam ab Aquilio inventam acceptilationem diſſolvimus profitentes verbis acceptum habere, quod non jam amplius re, vel conſenſu, ſed poſtquam fuerat in ſtipulationem deductum, tantum verbis debebatur.

Tertio tollitur obligatio per novationem, ſive translationem prioris obligationis in novam aliam ſive civilem, ſive naturalem: per quam novam obligationem, adeo prior extinguitur, ut etiam acceſſiones illius pereant, puta fidejuſſiones, aliaque onera, exceptis pignoribus: quæ ſi in novatione repetita fuerint, Creditori eamdem temporis prærogati-

(*a*) *L. 2. C. comm. de legat.*
(*b*) *L. 6. C. de bon. quæ lib. & l. ult. §. 3. C. eod.*
(*c*) *L. 1. ff. qui pot. in pign.*

gativam tribuunt, quam habebat ante novationem: (c)

Eſt autem novatio duplex; voluntaria, quæ fit per ſtipulationem, qua prius debitum convertitur in verborum obligationem; & neceſſaria, quæ fit per litis conteſtationem, qua non extinguitur vetus obligatio, ſed munitur nova judicati actione: qua prior obligatio tempore peritura etiam in heredes perpetuatur. (a)

Fit novatio vel cum nova perſona interveniente, vel cum ipſo Creditore. Quæ nova perſona interveniente fit, aut delegatio eſt, aut expromiſſio. Delegatio dicitur, cum debitor debitorem ſuum Creditori, pro ſumma debita, delegat, vel alium pro ſe reum dat, qui ſtipulanti Creditori promittat. (b) Unde ſi Cajus meus debitor, me jubente, promiſerit Titio Creditori meo, & Titius acceperit promiſſionem, novatur contractus; nec ego, ſed Titius exigere poteſt a Cajo meo debitore; nec Titius me, ſed Cajum convenire poteſt. (c) Oportet igitur, ut omnium noſtrum conſenſus interveniat, nempe mei delegantis, Caii promittentis, & Titii accipientis.

At ſimplex ceſſio actionis Creditori facta, ſine conſenſu debitoris, qui ceditur, non liberat cedentem a priori obligatione, nec cedens actionem priſtinam amittit, niſi Ceſſionarius litem cum debitore ſibi ceſſo conteſtetur, aut aliquid ex debito accipiat, vel debitori ceſſo denunciaverit ne ſolvat. (d)

Expromiſſio eſt, cum quis alienam ſponte obligationem ſuſcipit, & pro alio ſoluturum ſe ſpondet. Atque ex delegatione actio prior extinguitur, priorque debitor liberatur, novaque actio contra delegatum Creditori adquiritur: quod præſtat & expromiſſio, ſive ignorante, ſive nolente debitore, ſi quis obtulerit ſoluturum Creditori novam eam obligationem accipienti. (e) Et licet obligatio poſterior ſit nullius effectus, puta quod quis ea, quæ Titius ſibi debebat, ſtipuletur a Pupillo, ſine Tutoris auctoritate, tamen prior perimitur. (f)

At ſi novam conventionem non cum alio, ſed eadem perſona debitoris inimus, tum veterem obligationem extinguimus, & eam in novum verborum contractum transferimus, ſiquidem ſtipulando illi aliquid adjiciamus, vel detrahamus; ut ſi quod erat purum, convertatur in conditionale, vel contra; vel ſi diem addamus, dummodo novandi voluntatem ſignificemus. Noluit enim Juſtinianus novationem ex conjecturis inducere.

Tandem diſſenſu Contrahentium, re integra, contractus diſſolvuntur, & obligationes perimuntur.

Sunt præterea modi alii extinguendarum obligationum, variis locis diſſeminati, per libros Juris, veluti confuſio, cum res debita confuſa fuerit, ut non diſcernatur: (g) item oblatio rei debitæ, atque conſignatio. (h) compenſatio, concurſus plurium lucrativarum cauſarum; extinctio rei debitæ ſine culpa & mora debitoris, aliique legentibus paſſim occurrentes. Ex quibus tamen hic prætermittenda non eſt tranſactio, utpote uſitatior: per quam de rebus dubiis & litigioſis diſputantes, metu futuri judicii, inter ſe paciſcuntur, ut invicem dare facere obligentur, aliquid de jure ſuo remittentes; propter quam mutuam obligationem, ex parte tranſigentium, naſcitur civilis actio.

Sed non de omnibus controverſiis libere tranſigere licet: Sunt enim quædam, de quibus tranſigere prohibemur ſine certo modo, certiſque obſervationibus. Tales ſunt controverſiæ teſtamentariæ, ſive ex teſtamentorum interpretatione prodeuntes: de quibus tranſigere non licet, niſi perpenſis cognitiſque verbis teſtamenti ſive ſcripti, ſive nuncupativi. (i)

Item vetitum eſt tranſigere de alimentis futuris ultima voluntate relictis, niſi auctoritas Magiſtratus interveniat: (k) ne homines præſens lucrum futuris & majoribus commodis anteponentes, ad inopiam redigantur.

TITULUS XII.

De obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur.

OBligantur homines pœnis ex furto, quod in rem mobilem cadit, cum

(a) *L. mores 16. ff. de action. & oblig. l. aliam 29 ff. de novat.* (b) *L. 1. Cod. de novat.*
(c) *L. 6. C. de novat. & delegat.*
(d) *L. 3. C. de novat. & delegat.*
(e) *L. 8. in fin. ff. de novat.*
(f) *L. Servus 19. ff. de fidejuſſ.*
(g) *L. 75. l. penult. ff. de ſolut. l. 7. ff. de pact.*
(h) *L. 9. C. de ſolut.*
(i) *L. 6. ff. de tranſact.*
(k) *L. 8. ff. & C. de tranſact.*

cum definiatur contrectatio fraudoloſa lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel uſus ejus, poſſeſſionisve: quæ contrectatio ad rem tantum mobilem reſpicit, quæ trahi manibus poteſt.

Furti pœna ex Prætoris Edicto eſt quadruplum rei ſubreptæ præter rem ipſam in furto manifeſto; ex furto vero non manifeſto duplum. Recenti vero Friderici Imperatoris conſtitutione furtum quinque ſolidorum laqueo punitur; minoris vero ſummæ laceratione Corporis: (*a*) cum etiam in Novella Juſtiniani 134. *cap. ult. auth*, ſed novo Jure C. *de ſerv. fugit.* corporalis pœna ſtatuta in furto fuiſſet.

Et fur dicitur, ac fraudulenter contrectare intelligitur etiam qui rem commodatam in uſus transfert ſibi non permiſſos a commodante, vel qui depoſita re, aut pignoribus utitur præter mentem & voluntatem debitoris: dummodo ſciat eos ſibi uſus eſſe interdictos, alioquin furtum ſine furandi affectu minime committetur.

Cadere poteſt furtum in rem etiam ſuam, veluti ſi debitor ſurripiat Creditori pignus, intervertit enim illi poſſeſſionem.

Nec ſolum qui ipſe furetur, ſed & qui opem conſiliumque furanti præbuerit furti crimine involvitur.

Furto affinis eſt rapina, cum quid alicui violenter eripitur, quod crimen præter pœnam quadrupli, aut dupli a Prætore inductam, lege etiam Cornelia tenetur de vi publica, vel privata, de qua in titulo de publicis judiciis. (*b*)

Et ſi vero, qui rem violenter aut clam aufert, putans eſſe ſuam, fur aut raptor non dicatur; tamen ne per cauſam ignorantiæ quis evadat audacior & moleſtior, Principes hujuſmodi violentos homines rei propriæ dominio ſpoliarunt, & ad Fiſcum transtulerunt ſi rem propriam rapuiſſent; ſi vero tamquam propriam rapuiſſent alienam, eoſdem raptæ rei amiſſione, ejuſque etiam æſtimatione vim paſſo ceſſura multarum; Creditoribus auctoritate propria bona ſibi debitoris addicentibus jus crediti ademerunt: (*c*) idemque ſtatuerunt in eum qui rem ſoli, hoc eſt immobilem alienam putans eſſe ſuam violenter invaſerit. (*d*)

TITULUS XIII.

De Lege Aquilia.

POST furtum & rapinam, tertium genus obligationum ex delicto venientium eſt ea, qua obſtringimur Domino Mancipii, vel quadrupedis, cui Mancipium, ſive ſervus jure Civili comparatur, ob damnum in eorum corpore eidem Domino illatum, non per contumeliam inferentis, ſed illatum *injuria*, quæ vox hic ſignificat *non jure*. Quod damnum vindicatur lege Aquilia, quæ nomen ducit ab Aquilio ejus ſanciendæ Legis apud Populum Romanum Auctore.

Primo autem ejus Capite rependitur damnum Domino in id quanti plurimi fuerit res damno affecta, ſive corrupta intra annum retrorſum a die dati damni computandum. (*e*) Propterea ſi datum damnum civiliter vindicatur, damnandus eſt illator in ſumtus medicorum ac funeris, & in alimenta eorum quos homo occiſus alere ſolebat.

Agit autem lex hoc primo capite de occiſis ſervis, & quadrupedibus, quæ gregatim paſcuntur, quo excluſis feris Beſtiis & Canibus, complectatur Equos, Mulos, Aſinos, Oves, Boves, Capras, itemque Sues, & ſimilia, qui in Gregem conveniunt.

Quod ſi quis ut damnum vitaret a ſe, damnum alteri forte intulerit, hac Lege non tenetur, cum jure quis ſe a periculo tueatur.

Sed ſi caſu quidem occidit, ſed eventus e ſua culpa contigerit, tenebitur: quia dolus & culpa Lege iſta putatur.

Unde imperitus artis, cui ſe imprudenter dederit, Aquilia convenietur propter temeritatem, ſi exercitio ſuo alteri nocuerit, ut ſi imperitus Medicus ſecando, aut imperitus Mulio agendo jumento læſerint.

Ita vero læſæ rei pretium computatur intra annum retrorſum actum, ut ſi Equus acce-

(*a*) *L. 2. de feud. tit. de pace tenend. & ejus violat. Clar. §. furtum num. 10. & ſeqq.*

(*b*) *L. 3. ff de vi privata.*

(*c*) *L. extat. 3. ff. Quod met. cauſ. l. ult. ff. ad l. Jul. de vi privata.* (*d*) *L. 7. C. unde vi.*

(*e*) *L. 1. §. ad L. Aquil.*

accepti damni tempore fuiſſet claudus, ſed per 365. dies antecedentes aliquo tempore fuiſſet integer, validiſque Cruribus, damnarur reus tamquam Equum occidiſſet integrum, non tamquam occidiſſet claudum.

Nec modo res ipſa quantiplurimi fuerit æſtimatur, ſed etiam quanti intereſt Domini eam rem intra annum illum non habuiſſe, vel habuiſſe, ſed deteriorem factam. Unde ſi quis occidiſſet ex pari Mularum, vel ex quadriga Equorum aliquem, non ſolum ſingula corpora peremta luere debet, ſed etiam damnum, quod patiatur quis ex quadriga diſſoluta.

Alio Legis Aquiliæ Capite agitur de Beſtiis, quæ Quadrupedum gregalium numero ſunt, non occiſis, ſed vulneratis; & de iis, quæ quadrupedum gregalium, ſive pecudum numero ſunt, veluti Canes, Urſi, aliæque feræ, occiſis; itemque de damno in res inanimes quovis corpore, aut quavis ratione illato. Ex quo reus damnatur quantiplurimi res damno affecta valuerit intra triginta dies, quæ præcedunt dati damni tempus.

TITULUS XIV.

De injuriis.

QUartum, & poſtremum delictorum genus, unde obligatio & actio inter privatos naſcitur, eſt injuria, ſive contumelia, quæ definitur contemtus, infamia, vel dolor ex dicto, factove proveniens.

Eaque tripliciter infertur verbis, facto, re.

Cum quis verberat aliquem, aut cædit, re injuriam infert. Infert facto cum honeſtam Puellam, tamquam Meretricem, vel honeſtum Puerum tamquam impudicum libidinoſe per vias ſectatur.

Verbis infert injuriam qui voce aut ſcripto aliquod crimen extra judicium alicui objicit. Ex quo ſi capitale crimen fuerit, quod objicitur, pœna eſt capitis conſtituta contra ſonvicii, aut famoſi libelli auctorem.

Et accipitur injuria non ex perſona ſolum propria, ſed ex filiofamilias, & filiæ quamvis in matrimonium locatæ, & Uxoris; non autem accipit injuriam ex Viri perſona Uxor; cum non Virum ab Uxore, ſed Uxorem a Viro defendi conveniat. Item accipit injuriam Socer ex perſona Nurus, & Sponſus ex Sponſæ perſona.

Pœnæ injuriarum ſunt vel ut reus damnetur in æſtimarionem ducendam a varia dignitate, graduque perſonarum, vel ut ſupplicio afficiatur; vel ut ad multam Fiſco inferendam damnetur, ſive ob aliquem pulſatum, aut cæſum, ſive ob Domum læſam ex injurioſo ingreſſu alicujus.

Porro civiliter agitur ad æſtimationem; criminaliter ad ultionem: quo in Judicio, quamvis criminali, tamen Viris illuſtribus per Procuratorem adeſſe permittitur.

Duplex eſt autem injuria, levis & atrox. Ex qua cognita cognoſcitur quæ ſit levis. Atrocitas injuriæ oritur vel ex loco vulneris, ut ſi quis oculum alicui læſerit partem corporis ſelectiſſimam; vel ex loco publico, in quo notior eſt contumelia; vel ex perſonæ dignitate; ut ſi quis violaſſet Senatorem, aut Magiſtratum, cujus delicti pœnam capitis conſtituunt interpretes. Non mutatur vero injuriæ gradus ex diſtinctione Patris a filiofamilias, cum in hoc publicæ dignitatis diſparitas nulla inveniatur.

Atque injuriarum actione non ſolum is, qui eas intulerit tenetur, ſed & qui mandaverit. dolove malo fuerit hortatus, alioquæ modo quovis operam, aut conſilium ſuum præbuerit.

Tollitur injuriarum actio, quantum ad privatam, non autem ad publicam ultionem, & fiſcalem pœnam ſpectat, morte rei & actoris; cum enim ſit pœnalis non tranſit in heredem. Item tollitur remiſſione expreſſa vel tacita, nempe annali ſilentio, quo perimitur actio prætoria, quæ damnat ad æſtimationem; non vero actio ex Lege Cornelia criminalis, quæ plectit Corpus, vel multat Fiſci commodo; hæc enim perpetua eſt, nec perit niſi ſpatio triginta annorum.

Tandem tollitur diſſimulatione, ſi quis acceptam injuriam ad animum ſuum non revocaverit. (a)

Quam-

(a) L. 1. §. 1. ff. de injur.

Digitized by Google

Quamvis autem quis remiſerit actionem criminalem, qua propriam injuriam ulciſcitur; tamen poteſt agere actione civili ad reficiendum ſibi damnum, & ad conſequendum quod ſua interſit damnum non accepiſſe.

TITULUS XV.

De obligationibus, quæ quaſi ex delicto naſcuntur.

Quamvis ex delicto dolus abſit, tamen in eo & culpa punitur. Unde Judex, qui litem ſuam fecerit, h. e. qui male per imperitiam judicaverit, cogitur pœnæ nomine propriis ſumtibus eam partem defendere, pro qua pronunciavit; itaque ſententiam tueri ſuam, ut ſi male judicaſſe appareat condemnetur tanti, quanti judicantis religioni videatur.

Item ſi ejectum, effuſumve quid fit in aliquem e Domo alicujus, tenetur qui habitat, quod ſervis utatur incautis, & in duplum illati damni damnabitur. Sicuti punitur, & quidem 10 aureorum pœna, qui aliquid poſuerit, ſuſpenderit, aut id poſitum ſuſpenſumve eſſe toleraverit in loco, quo vulgo tranſire homines conſueverunt, adeout decidens poſſit alicui nocere. Ac ſi quid cadens interemerit hominem liberum, quia non recipit æſtimationem, 50. aureorum pœna eſt legibus conſtituta. Si vero is ex vulnere vixerit, condemnabitur culpæ reus in mercedem Medicorum, & in id, quod intereſt, aut intereſſe in poſterum poterit non fuiſſe læſum.

Si quid vero effuſum dejectumve fuerit e Domo Filiifamilias ſeorſum a Patre habitantis, vel ſi Filiusfamilias male judicaverit, non Pater tenetur, ſed Filius ipſe familias, ne ex filii delicto Pater obligetur.

Tandem obligantur quaſi ex delicto, ſive maleficio Nautæ, Caupones, Stabularii, ſi res viatorum corruptæ fuerint, aut ablatæ a famulis, propter quorum factum datur contra Dominos, præter alias actiones, etiam actio ex quaſi maleficio; propterea quod pravos Miniſtros adhibuerint. (*a*)

Quæ actio eſt in factum, ad dupli æſtimationem damni dati in re, eujus cuſtodiam recipiunt. Eaque datur quidem heredibus Dominorum; non autem contra heredes Nautarum, Cauponum, & Stabulariorum. Iniquum eſt enim heredes teneri ex quaſi maleficio aliorum unde locupletiores non fuerint; cum hæ ſint actiones perſonales, quæ contra heredes minime tranſeunt.

INSTITUTIONUM

LIBER QUARTUS.

De Actionibus, Exceptionibus, & Interdictis.

Quoniam quartus Liber, qui crimina complectitur, fere totus in Inſtitutionibus Criminalibus explicatur; nec tempus nobis ſuppetit ad commodam expoſitionem materiarum civilium, quæ eodem quarto Libro interſeruntur; propterea nos explicationem noſtram tempori accommodantes in compendium hoc redegimus actiones, exceptiones, & interdicta, ſine quorum levi ſaltem cognitione, quæ auditoribus facem præbear ad perſolvenda rerum harum volumina, plurimum utilitatis deeſſet Inſtitutionibus noſtris; ſiquidem Juriſprudentia fere omnis in actionibus & judiciaria pugna diffunditur.

Actionis nomine facultatem illam intelligimus adeundi Judicis, noſtri juris experiundi cauſa, ideoque definitur jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur.

Cumque actiones in varias diviſiones diſceſſerint, nos utiliores & magis neceſſarias afferemus.

Sunt igitur actiones vel reales, vel perſonales. Actionibus realibus ſine aliqua contemplatione perſonæ poſſidentis perimus rem ipſam vel noſtram, vel nobis debitam. Actio, qua rem noſtram petimus ab alio retentam appellatur rei vindicatio, eſt autem actio in rem vel directa, quæ datur domino ipſius fundi, vel utilis quæ datur ei, qui fundum a Domino conduxit.

Quoniam autem non ſemper vindicamus res corporales; ſed aliquando incorpora-

(*a*) L. 1. §. ult. ff. nautæ, caup. ſtab.

porales qualia ſunt Jura noſtra in aliena re, puta, ſervitutes aut Urbanæ, aut Ruſticæ, quæ fundis noſtris debentur a fundis alienis : hinc ſiquidem aſſerimus nobis jus eſſe uſusfructus, vel itineris, aut viæ in alieno fundo, ex hac aſſertione naſcitur actio, quæ vocatur confeſſoria; ſi vero poſſeſſores nos rei ſimus, quam volumus ab ea ſervitute liberare propterea quod Judicem adeuntes negemus Adverſario jus eſſe eundi per fundum noſtrum, tum ex hac negatione prodit actio, quæ negatoria nuncupatur, qua unice actione is qui poſſidet partes agit actoris; cum in ceteris poſſeſſor ſemper reus exiſtat.

Sicut autem actiones pleræque aliæ, ita & reales partim a Jure Civili prodierunt, nempe ab ipſis Legibus, partim, tacentibus legibus, a Juriſdictione Magiſtratus legi ſuam vocem attribuent s; illæ civiles, hæ prætoriæ dicuntur. Talis ex actionibus realibus eſt Publiciana inventa a Prætore Publicio, per quam repetimus ab extraneo poſſeſſore rem eam, cujus uſucapionem inchoavimus; vel illa Publiciana quoque, ſed alterius generis, per quam reſcindimus uſucapionem rei noſtræ uſucaptæ ab eo, cum quo, cum Reip. cauſa abeſſet, agere non poteramus dum uſucaperet intra quadriennium continuum a reditu in Urbem.

Talis eſt & Pauliana, per quam Creditores revocant a poſſeſſoribus ad ſe bona per debitorem fraudulenter, ad Creditores eludendos alienata, ſi alia bona Creditoribus deſint.

Talis item eſt & Serviana Servii Prætoris, qua Dominus mercedis Creditor experitur ſuper rebus invectis a Colono ſuper fundo locato, quæ res ſive inſtrumenta fundi ſunt pro mercede Domino obligata. Cujus ad exemplum Juriſconſulti veteres excogitarunt quaſi Servianam, per quam agimus ſuper rebus illius, qui conduxit a nobis domum, nempe ſuper rebus Inquilini in domum illatis; cum ſuperior, nempe Serviana pertinuerit tantum ad fundos ruſticos; quaſi Serviana vero non ſolum ad Urbanos fundos pertineat; ſed ad omnes hypothecas & pignora contra poſſeſſores illorum porrigatur, dummodo exploraverint Creditores bona debitoris, & expenſo Patrimonio nihil præter res ab aliis poſſeſſas invenerint, *auth. ſed hodie C. de obl. & act. auth. hoc ſi debitor. C. de pignorib.*

Perſonales vero actiones tendunt non contra rem aliquam noſtram, vel nobis debitam; ſed contra perſonam nobis aut ex contractu, aut quaſi contractu obligatam, quæ item non modo civiles ſunt, nempe ex ipſis contractibus a Lege excitatæ; ſed etiam Prætoriæ, nempe præſtitæ a Magiſtratu ex tacito ſenſu Legum, qualis eſt actio de peculio profectitio filiifamilias, vel de peculio ſervi. Quamvis enim Pater, & Dominus ex contractibus Filii, vel ſervi non teneantur; tamen quia, conceſſis peculiis ad mercimonium, tacite videntur in contractus filiorum, vel ſervorum conſenſiſſe; propterea juſſu Prætoris a Creditoribus filii, vel ſervi conveniuntur, non quidem in ſolidum, ſed quatenus poſſident ex bonis peculiaribus. Sed ſi Creditores ſint ex cauſa pecuniæ filio mutuatæ contra S. C. Macedonianum ne quidem ex cauſa peculii Parentes tenentur.

Sunt & actiones præjudiciales, quæ inſtituta Judicia ſuſpendunt, donec de majori cognitione tractetur, ex cujus eventu minor cognitio pendet. Veluti ſi agatur de hereditate paterna, & incidat quæſtio an petitor ſit filius; nam ſuſpenſa hereditatis quæſtione, cognitio ſuſcipienda eſt de majori cauſa, nempe an ille ſit filius; quæ præjudicialis actio dicitur, quia eſt Judicium præcedens.

Sunt & actiones, quæ pœnæ perſecutoriæ appellantur, quibus petimus, ut qui propter delictum, quo nos læſerunt nobis in certam pecuniam damnentur.

Et quoniam aliquando reus damnatur, non modo ad rependendum nobis damnum illatum, ſed ex contumacia ſua etiam condemnatur ſupra damnum, propter hanc miſturam pœnæ & damni miſtæ actiones appellantur, qualis eſt actio ex lege Aquilia, in qua ſi quis neget, & inficietur damnum nobis dediſſe, condemnatur in duplum.

Dicuntur & miſtæ actiones, propterea quod res, & perſona ſimul obligatæ per eas conveniuntur; qualis eſt actio communi dividundo, in qua dividuntur inter ſocios ſibi viciſſim obligatos ex perſona ſingulorum bona ejuſdem Societatis obligata communiter, & ſingulis; qualis itidem eſt actio familiæ erciſcundæ, ſive dividendæ hereditatis inter plures cohe-

Digitized by Google

coheredes obligatos itidem inter ſe viciſſim, & obligata ſibi habentes bona hereditaria. Talis etiam eſt actio finium regundorum, ſive terminorum ponendorum in Agris vicinis, in quibus arbiter, plus minuſve alteri, ut ſibi æquius videtur vel ex Societate, vel ex hereditate, vel ex portionibus Agrorum attribuit.

Eſt & actionum alia diviſio in actiones bonæ fidei & ſtricti Juris. Appellantur autem bonæ fidei propterea quod in iis Judex condemnat ſupra, vel minus quam expreſſum fuerit in contractu, propter æquitatem, quæ includit ea quæ in mente contrahentium tacite ſubeunt, quamvis in verba non excurrerint: cum verba non ſemper voluntati reſpondeant, nec voluntas ſit ubique parata. Stricti vero juris ſunt actiones illæ, in quibus Judex nihil addere, aut demere formula ſua poteſt, præter id, quod contrahentium verbis continebatur; quales ſunt actiones ex ſtipulatu venientes; nam ſi quis centum promiſerit, non poteſt plus, minuſve quam in centum condemnari.

Contra vero inter bonæ fidei actiones veniunt actiones ex vendito, locato, conducto, negociorum geſtorum, mandati, depoſiti, pro ſocio, & ſimilibus venientibus ex venditione, locatione, ſocietate, aliiſque contractibus bonæ fidei, in quibus ſupplet æquitas tacita quod abeſt a verbis contrahentium, ut ex libro ſuperiori cognoſcitur.

Atque ad hanc naturam revocatur actio, quæ a Juriſconſultis appellatur in factum, procedens nempe ab eo negocio geſto, quod ad certum nomen contractus revocari nequibat, tamen poſcebat æquitas, ut ex eo facto vel ad utile comparandum, vel ad evitandum damnum actio daretur, Quamobrem libello actor exponebat ipſum factum ſine certo contractus nomine, & ex cognitione illius facti Judex vel damnabat reum ad aliquod, vel abſolvebat, Cui actioni affinis erat actio præſcriptis verbis, in qua adjectis ipſis verbis contractus in formula actionis cognitio Judici dabatur; ut ex ipſis verbis judicaret, quam vis qualis eſſet contractus definiri nequiret.

Pro dotis repetitione ſoluto Matrimonio duplex olim actio Mulieri dotem repetenti dabatur: quarum altera ſtricti juris erat, altera bonæ fidei.

Stricti juris erat actio ex ſtipulatu, ſi de dote reſtituenda ſtipulatio interveniſſet; bonæ fidei erat actio rei uxoriæ, quarum in ſingulis certum ac diſtinctum erat commodum: quod utrumque Juſtinianus in unam actionem contraxit & deduxit, quæ eſt actio ex ſtipulatu: qua actione complexus eſt vim ſtipulationis, adeout Mulier poſſit e ſtipulatu agere, etiamſi ſtipulatio nulla præceſſiſſet; omnemque illius actionis utilitatem, quæ plurima erat, aſſequatur, & ſimul commoda rei uxoriæ actionis obtineat.

Quam actionem in actionem ex ſtipulatu tranſfudit. Unde actio ex ſtipulatu, quæ pro dote competit, jam non eſt ſtricti juris amplius, ſed bonæ fidei, utpote ſubrogata in locum rei uxoriæ actionis, quæ bonæ fidei erat, quæque nunc naturam ſuam retinet in actione ex ſtipulatu a Juſtiniano conſtituta. (*a*)

Huic actioni Juſtinianus adjecit etiam commodum prælationis adverſus Creditores alios; voluitque, ut mulier Creditrix mariti ex cauſa dotis præferatur omnibus mariti creditoribus etiam ipſa muliere anteriorem hypothecam habentibus: exceptis ex Bulgari receptiore interpretatione creditoribus iis, qui anteriorem ſimul & expreſſam in contractu habeant hypothecam, cum mulier non aliam ex lege habeat, quam tacitam ideoque tantum anterioribus tacitam habentibus præferri decet. Quæ uxoris dotiſque privilegia interpretes etiam ad liberos & nepotes, matris, aut aviæ nomine, dotem repetentes protraxerunt. (*b*)

Suſtulit etiam Juſtinianus veterem ſtricti Juris & bonæ fidei differentiam in compenſationibus, quas in omnibus cujuſque generis contractibus æque procedere conſtituit, ſi aliqui ſint invicem inter ſe creditores & debitores; nam juſſit, ut debitum liquidum & ſumma certa perſoluta, cum credito alterius liquido, & ſumma debita ipſo jure compenſetur in credito pecuniario, vel in eadem ſpecie utrimque debita quæ numero pondere menſura conſiſtat. Secus vero ſi ſpecies invicem debeantur, ut alter debitor ſit ex cauſa depoſiti, nam propter ſummam bonam fidem, quam depo-

(*a*) *L. unic. C. de rei uxor. act.*

(*b*) *DD. ad l. unic. verſic. exceptis C. de ux. act.*

poſitarius debet; res eſt illico reſtituenda, nec retinenda propter proprium creditum. [a]

De exceptionibus.

Actionibus opponuntur a reo adverſus actorem tamquam gladio clipeus exceptiones, quæ actionem vel differunt in aliud tempus, & dilatoriæ dicuntur, vel prorſus perimunt, puta quando quis adverſus creditorem objicit pecuniam a ſe debitore jam perſolutam fuiſſe & peremtoriæ nuncupantur. Inter exceptiones autem memoratu maxime neceſſaria eſt ea quæ appellatur non numeratæ pecuniæ, quæ datur ei, qui propter ſpem, & fiduciam pecuniæ ſibi proxime a creditore numerandæ confeſſus eſt ſe pecuniam accepiſſe a Creditore, cum non acceperit, de qua ſcripſimus libro Tertio. Cujus exceptionis opponendæ tempus debitori præſtitutum quod olim erat ad quinquennium, Juſtinianus ad biennium redegit, ut eam poſtea opponere non liceat. [b]

Opponendæ autem ſunt exceptiones dilatoriæ quidem ante litem conteſtatam, peremtoriæ vero ante ſententiam quandoque. [c] Excipitur auxilium S. C. Macedoniani quo juvatur Filiusfamilias adverſus fœneratorem. Item miles, donator, maritus, patronus, ſocius, & alii, qui habent privilegium a lege ne condemnentur ſupra vires, & ſupra quam facere poſſunt. Excipitur & mulier, quæ etiam ſicut Filiusfamilias Macedonianum, poſt ſententiam, objicere poteſt S. C. Vellejanum, quo cavetur, ne fœminæ ex interceſſione, vel fidejuſſione ſua conveniantur: niſi vel doloſe verſentur in contractibus [d], vel ei S. C. mulier renunciaverit [e], vel ſe obligaverit in proprium commodum. [f] Exceptiones rei actor redarguit replicationibus, replicationes actoris reus redarguit duplicationibus, duplicationes rei actor redarguit triplicationibus, & ſic deinceps ex parte actoris vel rei pro multitudine exceptionum repetitarum augentur & vocabulorum vices, donec Judex auctoritate ſua quæ hac in re plurimum pollet, eas reſecuerit, ne lites progrediantur in infinitum.

De Interdictis.

Interdicta ſunt decreta Magiſtratus quæ interponuntur inter eos qui litigant de poſſeſſione, ut poſſeſſio alicui eorum decernatur, donec de proprietate litigabitur; quod eſt judicium longe prolixius, cum interdicta ſint judicia celerrima propter pericula contentionum quæ exoriuntur dum de poſſeſſione certatur. Ac dicuntur interdicta, quaſi dicta interim donec de proprietate cognoſcatur. Nihil enim habet comune poſſeſſio cum proprietate: unde poteſt hæc pertinere ad alium, cum tamen alius in poſſeſſione permaneat.

Sunt autem interdicta vel prohibitoria. cum Prætor vetat aliquid fieri, veluti ne in loco ſacro ædificetur: vel reſtitutoria, cum Prætor aliquid reſtitui jubet, puta cum mandat prædoni, ut reſtituat vero Domino; vel exhibitoria cum Prætor imperat ut ſi qua res lateat, de qua controverſia ſit, in lucem adducatur.

Sunt autem Interdicta vel adquirendæ, vel retinendæ, vel recuperandæ poſſeſſionis. Adquirendæ poſſeſſionis ſunt ea, per quæ poſſeſſionem quam nunquam habuimus nanciſcimur, quale eſt interdictum *Quorum bonorum*, a ſuis initialibus verbis ita nuncupatum, quo heres petit poſſeſſionem rerum hereditariarum ab injuſto poſſeſſore. Quale item eſt interdictum ex *l. ult. C. de edict. D. Adr. toll.* quo petimus ex teſtamento non vitiato, non abolito poſſeſſionem hereditatis, & immiſſionem, dilata in aliud tempus quæſtione falſitatis. Quale item eſt interdictum *quorum Legatorum*, quo heres petit poſſeſſionem rerum legatarum, quas habere, ac de manu ejus capi plurimum intereſt ſua, ut detrahere falcidiam poſſit antequam tradantur Legatariis.

Ad poſſeſſionem etiam adquirendam pertinet Salvianum Interdictum a Salvio Prætore inventum adverſus Colonum ſuper rebus Fundi pro mercede obligatis, & ab Interpretibus poſtea extenſum contra quamlibet debitorem, qui res pignori obligavit, imo & contra tertium poſſeſſorem ea pignora detinentem, adverſus quem

(a) *L. 4. & ult. C. de compenſ.*
(b) *L. penul. C. de non numerat. pecun.*
(c) *L. penult. & ult. ff. & l. ult. C. de except.*
(d) *L. 12. & ſeq. C. ad S. C. Vellej.*
(e) *L. ult. §. penult. ff eod.*
(f) *Auth. ſi qua mulier, C. eod.*

Digitized by Google

quem ex ſtylo Romanæ Curiæ agitur etiam non excuſſo principali debitore. [a] In cujus interdicti judicio ſufficit probare rem tempore, quo obligabatur, fuiſſe a debitore poſſeſſam: unde præſtat hoc interdicto agere, quam Serviana actione, in qua utpote petitoria probandum eſt rem non modo tempore obligationis fuiſſe a debitore poſſeſſam: ſed etiam ad illius dominium pertinuiſſe. (b)

Interdicta retinendæ poſſeſſionis a ſuis itidem initialibus verbis appellantur *Uti poſſidetis*, & *utrubi*, quorum prius pertinet ad poſſeſſionem immobilium; poſterius ad mobilium. Unde cum duo de rei ejuſdem poſſeſſione retinenda contenderent, ut apparere potuiſſet actor & reus, & judicium procederet, Prætor unum conſtituebat reum, eique dabat poſſeſſionem; indeque alter actor remanebat, ac deterioris conditionis, quam reus, qui ut poſſeſſionem retineat, ſatis eſt actorem jus ſuum non probaſſe.

Is autem in hujus Interdicti controverſia hodie vincit, & poſſeſſionem retinet, donec de proprietate litigatur, qui litis conteſtatæ tempore neque vi, neque clam ab Adverſario poſſideat. Et ex Jure Canonico jam recepto is prævalet, qui vel juſtiorem, vel antiquiorem poſſeſſionis cauſam oſtenderit, *cap. 9. de probation.*

Poſſeſſio autem adquiritur animo & corporis apprehenſione, quamvis ſolo animo, puta per Procuratorem, aut Colonum, aut Servum retineatur. Amittitur vero cum quis rem e manu dimiſerit, & animum ejus retinendæ abjecerit.

Interdictum recuperandæ, quod ex ejus item initialibus verbis appellatur interdictum *Unde vi*, datur ei, qui vi dejectus fuerit a poſſeſſione, contra violentum dejectorem, imo & contra tertium poſſidentem, quamvis ipſe poſſidens rem non abſtulerit *Can. redintegrandæ 3. qu. 1.* Quod & judicium ſpolii nuncupatur.

Atque hactenus de his, quæ per temporis brevitatem ex quarto Libro tradere licuit.

TITULUS XVIII.

De Publicis Judiciis.

POſt expoſita privatorum Judiciorum genera, & rationes, merito adjicitur aliquid de Judiciis publicis, quantum ſit ſatis ad Elementorum cognitionem. In pluribus autem a privatis publica Judicia differunt, nam privata per actionem ad repetendam rem ſuam, publica per accuſationem ad puniendum crimen alienum inſtituuntur, neque quis exprimit actionem, qua agat: ſed Legem, qua poſtulet. In publicis item Judiciis exigitur, ut accuſator ſubſcribat in crimen, quo parem pœnam ſubeat, ſi falſum crimen oppoſuerit: ſcilicet ut ferat pœnam Talionis *Cujac. obſer. 33. l. 3. §. 2. ff. de accuſ. l. ult. C. eod.*, quæ tamen præſentibus moribus obſolevit.

Publica vero Judicia dicuntur tamquam populica, quod cuilibet e Populo ad publicam vindictam eorum Criminum accuſationem inſtituere liceat, niſi certa lege prohibeatur, ne omnibus accuſandi aditus pateat; (c) quod raro contingit; ideoque dicitur omnibus plerumque licere.

Publicorum autem Judiciorum quædam capitalia ſunt, quæ ſcilicet adimunt caput naturale per ademtionem vitæ, vel caput civile per ademtionem libertatis, aut Civitatis: quædam vero non capitalia, quæ damnum pecuniarium afferunt cum infamia, quæ omnes damnatos quolibet publico Judicio comitatur. Nec ſolum accuſatione perſequimur publica delicta, ſed etiam per inquiſitionem, h. e. per Judicis officium, ne dum accuſatorem, aut ejus diligentiam expectamus, criminum ulciſcendorum amittamus facultatem. Ideo hæc potius noſtris temporibus in delictis omnibus frequentatur, nempe inquiſitio, quæ vel indefinita eſt cum certus Magiſtratus emendandis moribus, & puniendis communibus criminibus creatur, vel certorum criminum, cujus auctor ignoretur, vel certæ perſonæ cognitæ, qui alicujus criminis reus cenſeatur. Excitatur vero plerumque inquiſitio per denunciatores & delatores, cum aliquod crimen dedu-

(a) *Paſific. de Salv. interd. c. 2. in ep. 2 n. 3.*
(b) *C. de praetor. & Salv. interd. ff. ubi Cujac. & Perez.*

(c) *L. 43. §. 10. ff. de rit. nupt. & l. 8. cum ſeqq. ff. de accuſ.*

cunt in notitiam Magiſtratus, quæ denunciatio appellatur.

Sed jam exordiamur ab atrociſſimo Criminum, nempe Majeſtatis, quod veteres appellabant crimen perduellionis, recentiores vero, & vulgariores interpretes appellant Crimen Majeſtatis in primo capite; cum ſcilicet inſidiæ, vel pericula, & machinationes intenduntur in ipſum Principem, vel rempublicam, & tranquillus Civitatis ſtatus factionibus & conſpirationibus improbe initis agitatur; vel cum Senatores, & qui publicam Principis auctoritatem ſuo miniſterio exhibent vi, aut malis artibus periculoſe appetuntur; horum enim flagitiorum auctores non modo capite plectuntur dum vivunt; ſed & mortui perpetua infamia notantur, neque morte damnationem effugiunt ut aliorum criminum rei, ſed poſt mortem detecti auctores, hujus criminis, nomine ſaltem, ſuſtinent pœnam: & ſive vivi, ſive mortui damnentur, pœnam ſuam in liberos propagant atque tranſmittunt. Hi enim teſtamentaria extraneorum hereditate, ac legitimæ etiam Parentum & proximorum ſucceſſione privantur: Falcidia tantum filiabus in bonis Matris, ſexus imbecillitate, & miſeratione relicta. Neque factum tantum, ſed & conatus etiam & cogitatio criminis puniuntur, omneſque emancipationes filiorum aut Filiarum, omnes alienationes & donationes a reis poſt machinationem criminis factæ reſcinduntur; & ea bona, quorum Uxores habent uſumfructum, non filiis, ſed Fiſco, cui bona omnia damnati cedunt, eædem Uxores, ſi decedant relinquere jubentur *l. quiſquis C. ad l. Jul. Majeſt.* Sunt & alia Majeſtatis crimina, quæ non directo in Principis vitam, aut Reipublicæ periculum, ſed indirecto in eorum contemtum tendunt, qui mitiori pœna Judicum arbitrio pro facti qualitate afficiuntur, qualis eſt vectigalium ſine Principis auctoritate impoſitio, falſæ monetæ percuſſio, deturpatio Statuarum Imperatoris, privatorum Carcerum retentio, aut publicorum effractio, *l. 2. C. de falſ. monet. DD. ad. d. l. quiſquis l. 4. ff. ad l. Jul. Majeſt. & l. 7. ibid. l. 4. ff. de pœn. l. 1. C. ſi quis Imper. maled.*

Aliud crimen publici Judicii, ubi tamen poſterioribus legibus ad accuſationem non admittuntur, niſi Pater & Maritus & poſtea proximiores, eſt adulterium, ſive violatio alieni thori: quod crimen olim relegatione, ut cum eruditioribus puto, plectebatur, poſtea ultimo ſupplicio affectum fuit lege Conſtantini *l. quamvis C. ad l. Jul. de adult.* Et Jure civili adulterium committitur tantum cum nupta; verum Jure Canonico committitur ſive ſolutus cum Conjugata, ſive Conjugatus cum ſoluta, ſive Conjugatus cum Conjugata commiſceatur *Can. nemo 34. quæſt. 4. Can. mœchaberis cap. præcepit. cum ſeq. qu. 5.* Pœnam vero gladii Juſtinianus Novella ſua 134. cap. 10. in Maſculis quidem adprobavit; Mulieres vero verberibus cæſas in Monaſterium detrudendas Carceris loco juſſit, data Maritis poteſtate intra biennium illarum ad priorem conſuetudinem revocandarum, *auth. ſed hodie C. ad l. Jul. de adult.* Præſentibus moribus plerumque parcitur vitæ Adulteri, ſed ei exilium, aut multa, aut alia pœna pro Judicis prudentia injungitur.

Eadem lege Julia de adulteriis puniuntur omnia libidinis genera, quæ pleraque ſtupri nomine veniunt latius accepto. Strictius vero ſtuprum accipitur libido, quæ cum Virgine, vel Vidua honeſte vivente exerceatur. Cujus pœna ex legibus eſt in honeſtioribus publicatio dimidiæ partis bonorum; in vilioribus coercitio corporis & relegatio. Nulla vero pœna jure civili tenetur qui cum proſtitutæ pudicitiæ Muliere ſe conjunxerit. (*a*) At in corruptorem pudicæ Virginis Jus Canonicum hanc pœnam ſtatuit, ut aut eam in Uxorem ducat, aut ei dotem det; qua in Matrimonium alteri locetur; [*a*] quod cum legibus Athenienſibus convenit; diſcrepat vero ab hæbraicis, quod Moſis lege corruptor & ducere & dotare Virginem ſtupro ad ſe pollutam cogebatur *Deuter. 22. 29.* Inceſtus crimen eſt exercitium libidinis, cum ea, cujus propter ſanguinis conjunctionem nuptiæ nobis interdicuntur. Cujus criminis pœna eſt deportatio, vel ultimum ſupplicium velut ſacrilegos nuptiarum *l. 30. §. ſacrilegos C. ad l. Jul. de adult.* ſtupri nomine venit etiam apud optimos ſcriptores nefarium crimen averſæ veneris: cui plectendo armantur Jura ultore gladio *ex l.* [illegible] *cum*

(*a*) *l. 22. C. ad l. Jul. de adult.*

(*b*) *C. 1. & 2. de adult.*

cum Vir. C. ad l. Jul. de adulteriis 1 (*a*) ſuſcitantur flammæ vindices, unde præſentibus moribus hujuſmodi flagitii auctores ultimo ſupplicio afficiuntur, & mortui combuntuntur.

Homicidium, quod eſt violenta vel fraudolenta vitæ hominis ademtio, punitur *l. Cornelia de Sicariis*, quæ quamvis initio deportationem honeſtioribus, ultimum vero ſupplicium humilioribus reis ſtatuerit; tamen Conſtitutionibus Imperatorum exacerbata, ultimum ſupplicium pro perpetua pœna omnium comprehendit: etiamſi infans, aut animatus fœtus fuerit interemtus & abactus; *l. 1. §. 2. ff. ad l. Corn. de Sic. l. 38. §. 5. ff. de pœnis*: etiamſi occidendi conſilium ei non præceſſerit: dummodo fraudem, & conatum adhibuerit, eoque animo telum expedierit: [*b*] quo nomine omnia veniunt armorum noxia genera, *l. 233. ff. de verb. ſign.* Homicidæ autem Sicarii frequentius appellantur a Sica parvo & retorto cultro, quod armorum genus facile celatur, ideoque majorem præbet nocendi facultatem. Pœnam autem homicidii effugiunt furioſi, & Puberes doli non capaces, & fortuiti atque inculpati occiſores, & qui alia ratione vitam ſuam niſi cæde Aggreſſoris tueri non potuerint, *l. 3. ff. & l. 3. C. ad l. Corn. de Sic. l. 1. C. unde vi.* Exacerbatur autem pœna in eos, qui veneno & incantationibus magicis hominem ſuſtulerunt. Atque ideo majoris pœnæ metu venena prohibenda quod ad nocendum ſint pratiora.

Teterrimum vero crimen admiſſum a filio in Patris necem, aut Matris, Avi, aut Aviæ, quod Parricidium appellatur, Lege Pompeja poſt Corneliam vindicatur: & pro conjunctione ac pietate læſa exaſperatur. Unde Patris interfector culleo, ſive bovina pelle indutus, cum Cane, Vipera, Simia, & Gallo gallinaceo Mari mergebatur, ut terra vivo auferretur & ſolatium celerioris mortis, quod in aquis inveniſſet, per culleum eidem interciperetur, prorogato immanium ferarum commercio, quibus inter ſe pugnantibus dilaniabatur. Quæ pœna obſolevit pro vario more Regionum, nam alicubi ante ſupplicium reus cauda equina trahitur: alicubi malleo percutitur, & alibi alio cruciatu ante torquetur. Nec minori pœnæ atrocitate plectitur qui filium proprium necaſſet. Ultimo etiam ſupplicio puniuntur, ſed mitiori cruciatu, qui fratris cæde ſeſe inquinaverint, aut alius conjuncti remotioris gradus: exacerbatis pœnis, aut mitigatis pro conjunctionis gradu ac facti qualitatibus, *l. 6. & 9. ff. ad l. Pomp. ad Parricid.*

Sequitur crimen falſi h. e. veritatis dolo ſubtractæ, vel immutatæ, aut conſenſu, cum quis contrahendo aliquem circumvenit, ſive rem alienam pro ſua diſtrahens, ſive rem eamdem pluribus vendit; aut verbis, ſive Judex pretio corruptus prave judicaverit, ſive Teſtis falſa in Judicio protulerit; aut ſcriptis, ſi falſum Inſtrumentum Notarius conſcripſerit; aut abuſu, quando ſciens prudensque quis dolo malo inſtrumentis falſis ab alio compoſitis utitur: aut facto, eum quis nummos, aut probos raſerit, aut adulterinos cuderit, coloraverit. Dicitur autem hoc Judicium falſi deſcendere ex lege Cornelia teſtamentaria, quia hoc nomen Lex Cornelia de falſis meruit propter faciliorem hujus criminis frequentiam in teſtamentis: quæ magis inſidiis patent dolo adſtantium, & ægrotantis imbecillitate. Pœna vero ex ea lege in liberis fuit deportatio, in ſervis ultimum ſupplicium, ad quod etiam noſtris temporibus, & contra liberum hominem devenitur pro gravitate delicti (*c*). Ad legem quoque Corneliam teſtamentariam pertinet, & quaſi falſum punitur ex S. C. Liboniano delictum eorum, qui ſibi, aut ſuis etiam jubente Teſtatore in alieno teſtamento legatum conſcribunt, nam & præter legati amiſſionem, pœnam etiam falſi merentur: niſi adſit recognitio & adprobatio Teſtatoris, vel niſi ſervus ſit, aut filius, qui ſibi legatum adſcripſerit in teſtamento Patris, Patre dictante, *l. 2. & 3. C. de his qui ſibi adſcripſ.* Falſatæ vero monetæ crimen quodammodo ad Majeſtatem pertinet; ideoque bonis rei univerſis cum Domo ubi falſum admiſſum fuit, Fiſco addictis, reus capite plectitur *l. 1. & 2. C. de falſa moneta.*

Eſt & Crimen violentiæ, quod ulciſcitur lex Julia de vi publica & vi privata. Vis publica erat olim, quæ a publicis perſonis inferebatur; privata vero, quæ a privatis, *l. 7.*

Ii 2 *ff. de*

(*a*) *Nov. 77. & Nov. 141. Gudelin. de Jur. nov. l. 5. c. 8. & l. 1. §. qui puero ff. de extraord. crim.*

[*b*] *L. 1. ff. ad l. Corn. de Sic. l. 7. C. eod.*

[*c*] *Novo tit. ff. & C. ad l. Cornel. de falſis.*

Digitized by Google

ff. de vi pub.; ſed poſtea mutata definitio fuit, & vis publica ea dicitur, quæ cum armis, privata vero quæ ſine armis adhibeatur; cum arma ſint propria Inſtrumenta Reipublicæ: nam *LL. XII. Tab.* nemini privato telorum uſum in Urbe permittebant. Vis publicæ pœna erat olim aquæ & ignis interdictio, & ejus loco ſubjecta deportatio: privatæ publicatio tertiæ partis bonorum (*a*), quæ hodie obſolevit, nam arbitrio Judicis pro facti gravitate vis privata vindicatur, & publica ultimo ſupplicio, ſi cum ſeditioſis hominibus excitato tumultu, & factione vis inferatur, ſi hæc abſit, pro delicti gradu relegatur reus, vel fuſtibus cæditur, vel alia pœna judicis arbitrio afficitur, *Decian. l. 8. c. 18. num. 5. 7. & 19.*

Vis vero ea eſt omnium maxime deteſtabilis, quæ adhibetur ad rapiendas Virgines, etiam callide ad raptum patiendum inductas libidinis cauſa. Nam ultimo ſupplicio punitur, *l. unic. C. de raptu Virg.*, niſi Matrimonium inde legitimum contractum fuerit: Etenim jure Canonico nuptiarum gratia pœna remittitur, *Cap. cum Cauſa de raptor. Can. ſtatutum 27. quæſt. 2.* dummodo e raptoris manu dimiſſa libere conſenſerit Mulier: cui & congruam dotem raptor, etiamſi eam non ducat, conſtituere compellitur. *Concilium Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. de Reform. Matrim.*: raptus autem pœna etiam adjutores comprehendit, imo & parentes Virginis ſi injuriam improbe atque ignave diſſimulaverint, eamque vindicare neglexerint; *d. l. unic. Cod. de raptu Virg.* Raptores vero Virginum Deo dicatarum, ſive Sanctimonialium ultimo ſupplicio majori legum aſperitate damnantur, addictis eorum bonis Monaſterio, unde Virginem ſacrilege avexerunt, *l. raptores & bona C. de Epiſc. & Cleric.*

Veniamus ad peculatum, quod eſt furtum pecuniæ Publicæ, aut Sacræ: cujus furtum etiam Sacrilegium nuncupatur. Peculatus olim pœna fuit quadrupli: cujus in locum ſucceſſit pœna deportationis. In Magiſtratibus vero, qui tempore adminiſtrationis ſuæ quid ex publicis pecuniis ſubtraxerint, & in Miniſtris eorum capite animadvertitur *l. 1. & ult. ff. ad l. Jul. pecul.* Idemque ſupplicium ſtatuitur in reo ſacrilegii, exacerbato delicto, aut lenito pro modis ipſius, aut rei qualitatibus, *Cujac. parat. ff. ad l. Jul. pecul. & tot. tit. ff. eod.*

Sequitur plagium, quod eſt doloſa liberi hominis, aut ſervi alieni ſuppreſſio: quod committitur ſive quis celaverit illos, ſive permutaverit, ſive vendiderit, ſive emerit, ſive donaverit. Quod crimen L. Fabia punitur, quæ de plagiariis dicitur, pœna olim pecuniaria, quæ nunc etiam ad ultimum ſupplicium extenditur duobus caſibus; nempe ſi Plagiarius vendat ſervum, aut liberum hominem alio adſportandum; & ſi idem Plagiarius filium alterius adhuc Patre ſuperſtite ſupprimat, *l. 6. & 7. C. ad l. Fab. de plagiar. l. 1. 2. & 4. ff. eod. cap. 1. de furtis.*

Eſt & ambitus crimen, cum quis pretio, & malis artibus emit honores, quod Canonibus appellatur Simonia a Simone Mago Sacrorum & Spiritualium emendorum auctore. Olim in populari Republica crimen hoc erat frequens, quia poterat accuſari qui eum commiſerat: rebus vero ad unum tranſlatis, hæc inquiſitio ceſſavit, non quod crimen defuiſſet, ſed quod accuſari non poterat emtor honorum, niſi una notaretur & venditor. Quod lege Majeſtatis vetabatur, niſi tractatus habitus fuiſſet cum aliquo Magiſtratu, qui ob largiendos honores, ex poteſtate ſua proficiſcentes, pecuniam accepiſſet: cujus criminis pœna erat deportatio ſi contigiſſet in Urbe: ſi vero in municipiis pœna erat centum aureorum cum infamia. (*b*) Pœna quoque ambitus tenetur & is qui officium & munus publicum vel repetit, vel continuat, adhuc adminiſtrationis ratione non reddita.

Occurrit nunc Lex Julia repetundarum, qua repetuntur pecuniæ datæ Magiſtratibus & Judicibus poteſtatis publicæ in alienam gratiam impertiendæ, aut ſententiæ dicendæ cauſa; qua etiam lege poſtulatur & Teſtis, qui ob dicendum teſtimonium, vel non dicendum pecuniam acceperit. Cujus delicti pœna eſt extraordinaria, & pro perſona, vel facto exacerbatur, aut lenitur: & modo ad remotionem

---

(*a*) *L. 1. & ult. ff. ad l. Jul. de vi privat. & l. Julianus ff. eod. auth. bona Cod. de bonis proſcriptor.*

(*b*) *L. unic. C. ad l. Jul. de ambit. & ff. eod.*

nem a munere progreditur, modo ad relegationem, modo ad ultimum ſupplicium excurrit. Quod præcipue imminet Judicibus, qui innocentem injuria damnaſſe arguantur. Ac ſi civiliter agatur reus damnatur in quadruplum ejus pecuniæ, quam accepit, *l. ult. in fin. C de l. Jul. repetund. l. 3. 4. 7. §. 3. ff. eod.*

Nec modo fraus Judicum, ſed & privatorum ex quacumque iniqua ſimulatione, aut ſycophantia, per quam alter lædatur: quod crimen ſtellionatus appellatur a ſtellione varii coloris reptile, cui & impoſtores ob mendacia, & verborum ac figurarum varietatem & ob verſipellem naturam comparantur. Quod Judicum arbitrio pro delicti modis punitur.

Lex vero Julia de Annona ulciſcitur audaciam eorum, qui Annonam vexantes publicam inopiam inducunt; ut res carius vendantur: cujus pœna ſtatuitur a lege 20. aureorum, vel relegatio, vel mercimonii interdictio pro delicti magnitudine: quia tenentur & ii, qui coemunt quantum poſſunt, ut poſtea carius vendant, quos Dardanarios Leges appellant; forte a Dardano hujus malitiæ inventore.

Sed jam finem Titulo & Operi ſimul imponamus lege Julia de reſiduis, qua plectuntur qui partem aliquam retinent pecuniæ publicæ; aut qui retinent totam, quam adminiſtrandam acceperunt, & vel eam ad præſtitutum uſum non adhibent, vel in publicas rationes referre ac reſtituere negligunt, cujus pœna eſt infamia cum onere reſtituendæ pecuniæ retentæ, & inſuper tertia parte ipſius, *l. 2. 4. & ſeq. ff. ad L. Jul. pecul.*

JANI

JANI VINCENTII GRAVINÆ
DISSERTATIO
DE CENSURA ROMANORUM.

CENSORII Magiſtratus in majeſtate Reip. tuenda dignitatem, & in rebus recte regendis utilitatem omnibus rerum a P. R. geſtarum monumentis proditam atque teſtatam, id præter cetera commendat quod non prius Populus Romanus juſtis rectiſque legibus coaleſcere inter ſe, ac ſolidis initiis ſtare Reſp. viſa eſt, quam hæc rectorum inſtitutorum omnium cuſtodia adverſus exultantem atque furentem licentiam opponeretur; neque dejecto hoc virtutum omnium præſidio, & obice iſto vitiorum remoto Reſp. permanere diutius atque conſiſtere valuerit. Cum enim corrupti jam populi mores, vires Cenſuræ fregiſſent, & ſeveritatis vincula quibus optimus rerum ſtatus & quies publica continebatur, impetu quodammodo facto fregiſſent, hujus magiſtratus metum ex improborum hominum capitibus avertiſſent: ſtatim veluti ſubducto concordiæ fundamento, ſolutoque fræno licentiæ, ſimul cum Cenſura & libertas quoque atque ipſa Reſp. collapſa eſt. Neque enim cum tam fœdis corruptiſque moribus jungi miſcerique majeſtas Cenſuræ potuit; neque, ſepoſito ſplendore & majeſtate Cenſuræ, legum vis, & populi libertas retineri. Digna res eſt igitur Cenſura, cujus vires & poteſtas e recondita antiquitatis memoria in notitiam hominum pertrahantur: cujuſque dignitates & munera, qua majori diligentia poſſumus illuſtrentur. Ortum igitur, curſum, & finem illius inquirentes, ad præcipua deinde munera iſtius magiſtratus accedemus; poſtremo præcipuas dignitates ipſius & honores explicaturi, exordium capientes a cenſu e cujus cognitione, recta magiſtratus hujus notitia trahitur.

Cenſus proprie eſt actio ipſa Cenſorum Cives Romanos & eorum bona recenſentium, de qua apud Pomponium, (*a*) Cenſus autem perſonarum erat & bonorum. Perſonarum Cenſus erat cum Cives ſinguli in ſua Tribu, claſſe, centuria nomina ſua, uxorum, liberorum, libertorum, ſervorumque ſuorum, item cujuſque ætatem, & quam Urbis regionem habitarent, jurejurando dato profitebantur. Bonorum cenſus erat cum iidem patresfamilias ſua prædia tum urbana, ruſtica, ſervorum, pecudumque numerum, fundorum inſtrumenta, ſuppellectilem, pecuniæ denique numerum profitebantur. Ideo Cenſus pro bonis fortuniſque omnibus accipiebatur. Unde Ulpianus. (*b*) *Hoc idem & ſi patrimonium fuerit rogatus* (reſtituere,) *& ſi facultates, & ſi quid habeo, & cenſum meum*. Inde eſt ut cenſu manumitti dicerentur ſervi qui luſtrati cenſu Romæ juſſu Dominorum. (*c*) inter Cives Romanos ſe profitebantur, quod explicat Ulpianus.

Cenſuram autem a principio Reges exercuere. Cum enim Servius Tullius Cenſum inſtituiſſet, ipſeque curam ſuam in cenſendis Civium capitibus poſuiſſet, idem deinde munus Reges cæteri ſuſcepere. Regibus exactis ſimul cum cæteris poteſtatibus muneribuſque Regiis, & Cenſura quoque ad Conſules pervenit. Qui rerum domi foriſque gerendarum curam ſuſtinentes, cum tantam negocii molem ferre non poſſent, aliqua ſe parte curarum exonerarunt, & cenſendi populi munus

(*a*) *L.* 2. §. *poſt deinde ff de orig. jur.*
(*b*) *L. rogi* 16. *ff. ad Trebell.*
(*c*) *C.* 1. *de Inſtit.*

Digitized by Google

munus in certum ac præcipuum magiſtratum a Populo creatum transſtulerunt. Per annos enim decem & ſeptem propter Conſulum occupationem, qui variis acerrimiſque bellis diſtinebantur, Cenſus fuerat intermiſſus, ideo anno decimo trecenteſimo ab U. C. inſtituta fuit Cenſura, quem Magiſtratum Patres eo lætius accepere, quod Patriciorum Magiſtratuum numerum in Republica augeret, ac perceperunt animo, quantum ex parvis initiis orta creſcere deinde Cenſura deberet, quod incrementum pene cum ſuo ortu Cenſuræ acceſſit. Nam *C. Julio* iterum, & *L. Virginio Conſulibus*, vel ut alii putant, Julio tertium, & Virginio iterum, ſive anno Urbis trecenteſimo decimo nono Mamercum Æmilium Dictatorem a Senatu creatum, ut Dictatura aliquid memorabile gereret, nomenque ſuum in eo Magiſtratu inſigne redderet: de minuenda nimia Cenſorum poteſtate conſilium ſuſcepiſſe Livius auctor eſt. (*a*) Primi L. Papirius Mugilanus, & L. Sempronius Atratinus, cum ſpretus is honor eſſet a primoribus Civitatis a Populo ſuffragiis creati nunc Magiſtratum inierunt; (*b*) & Cenſores ſunt appellati ſive quod ad eorum cenſionem h. e. arbitrium populus cenſeretur, ſive quod quantum illi cenſerent, uniuſcujuſque res æſtimaretur. Sed non diu hic Magiſtratus in ſolo Patriciorum ordine perſtitit. Plebs enim cum omnia ſibi cum Patribus promiſcua faceret cum quidquid ſummum eſſet appeteret, adjuvante ope Tribunicia, & hunc etiam honorem ad ſe traxit, quodque ſolius patricii generis erat commune reddidit. (*c*) Unde anno U. C. quadringenteſimo ſecundo C. Sulpitio Pætico, & T. Quintio Penno Coſſ. Cenſor e Plebe creatus C. Marcius Rutilus idem qui ad Dictaturam Plebi aperuerat viam, vir quidem graviſſimus & cujus Majeſtas nullius honoris gradum non æquabat. Nec unum modo, ſed & alterum quoque, plebs obtinuit creari Cenſorem, nam Q. Pompejus, & Q. Metellus uterque ex Plebe Cenſores facti Luſtrum condiderunt. (*d*) Cum hæc poteſtas in quinquennium duraret. (*e*) Mamercus Æmilius Dictator graviter ferens alios magiſtratus leviores & annuos eſſe: hunc qui jugo duriori cervices Civium premeret quinquennalem, ideoque homines Cenſoribus per tot annos magna parte vitæ obnoxios vixere; legem tulit ne plus quam annua, vel ſemeſtris cenſura eſſet, quam ingenti populi conſenſu acceptam exemplo ſanxit. Statim enim & ipſe Dictatura ſe abdicavit: *Ut re ipſa* (inquiens) *Quirites ſciatis quam mihi diuturna non placeant imperia Dictatura me abdico*. Quod impune Mamerco non fuit. Cenſores enim ægre paſſi Mamercum, quod Magiſtratum P. Rom. minuiſſet, tribu moverunt, octuplicatoque cenſu ærarium fecerunt. Nec tamen id obſtitit, quin exigente uſu Reip. idem vir Cenſoria animadverſione notatus ad ſummos iterum honores vocaretur, Dictator creatus Vejentium bello: (*f*) Populi tantam indignationem in Cenſores coortam fuiſſe dicitur, ut ab eorum capite nullius, quam ipſius Æmilii auctoritate vis arceri potuerit. Adeo ſpectata virtus fœditatem inuſtæ notæ delevit. Et Mamercus ipſe ingenti animo injuriam tulit, cauſam potius ignominiæ, quam ipſam ignominiam ſpectans. Neque vero alios modo, ſed & ſe ipſos mutuis odiis Cenſores exagitarunt. Nam P. Sempronio, & M. Cornelio Coſſ. acri diſcordia inter Cenſores M. Livium & Claudium Neronem orta eſt: invicem ſe ignominia notantibus, itaut cum quis labefactare alterius famam crederet, ſuam inquinaret. Claudius enim cum ad Tribum Polliam ventum eſſet, in qua nomen era M. Livii: juſſit a Præcone ipſum citari Cenſorem, (*g*) ſive actus antiquæ & nondum depoſitæ inimicitiæ ſtimulis, ſive oſtentatione ſeveritatis inflatus. Et quia Livius Populi judicio fuerat damnatus & in exilium pulſus, auſus eſt Cenſori equum adimere. Cui & vicem reddidit Livius cum ad Tribum Narnienſem & nomen Claudii ventum fuit, Claudium vendere equum jubens duas producens cauſas, & quod Claudius adverſus Livium falſum teſtimonium dixiſſet, & quod nondum ex animo veteri odio depulſo, non ſincera fide ſecum in gratiam rediſſet. Neque collega ſolus, ſed Populus fere omnis cenſoriam ſeveritatem,

(*a*) *L. 4. cap. 24.*
(*b*) *Lib. 4. cap. 9.*
(*c*) *Liv. lib. 7.*
(*d*) *Liv. Epitom. 59.*
(*e*) *Lib. 4. cap. 24.*
(*f*) *Lib. 4. cap. 31.*
(*g*) *Liv. lib. 29. in fin.*

tatem, & offenſi, ob injuſtum exilium animi ſenſit iram. Exitu enim Cenſuræ Livius in ærarium venit, & P. R. omnem quatuor & triginta tribus ademto ſuffragii ferendi jure ærarias reliquit, quod & ſe innocentem damnaſſent, & damnatum Conſulem & Cenſorem feciſſent. Una modo Tribus Mæcia a tanta ignominia ſervata, quod cæterarum Tribuum conſilia non probaſſet. Hæc vehemens animadverſio in invidiam Populi conjecit Cenſores, quam occaſionem commendandi ſe Plebi nactus Q. Bebius Tribunus Plebis diem ad Pop. utrique dixit. Eaque res conſenſu Patrum diſcuſſa eſt, ne Cenſura Populi auræ redderetur obnoxia.

P. Cornelio Scipione, & Tit. Sempronio Longo Coſſ. Cenſores creati Sext. Ælius Pœtus, & C. Cornelius Cæthegus, Ædilibus Curulibus ludis Rom. imperarunt, ut a populo Senatoria loca ſecernerent. Quo facto ingentem illius ordinis gratiam collegerunt cum autem promiſcua ſedilia eſſent. Cum ampliſſima per ſe eſſet Cenſuræ poteſtas, graviorem illius dignitatem, & inſigniorem reddidit adjuncta perſonæ dignitas. Poſtquam enim M. Cato Senior vir omnibus & belli & pacis artibus ornatus, quique humanas omnes cupiditates virtute vicit, & continentiæ laude ſibi ſubjecit, hunc Magiſtratum favore plebis adverſus obtinentem vim patriciorum adeptus eſt: mirum eſt quantum ex naturæ gravitate, & ex diſciplinæ rigore ad hunc Magiſtratum auctoritatis & majeſtatis attulerit. Hominis ſeveritatem præter cæteros expertus eſt Livius (*a*) Quintius, vir Conſularis frater Titi Quintii Flaminii viri inſignis, qui multos annos bello ac pace Remp. egregie adminiſtravit, ac P. R. gloriam, pluribus adjectis imperio gentibus, auxit. Hujus itaque fratrem Senatu movit Cato, quia inter cætera objectum erat quod ut Philippo Pæno caro ac nobili Scorto obſequeretur, nobilem Bojum, qui cum filiis ad Quintium tum Conſulem transfugerat, interrogato prius puero, an vellet eum morientem videre, atque illius vultu pallore mortis affecto, hominiſque animam trahentis adſpectu frui: cum puer vix ſerio annuiſſet, loquentem percuſſit, ac deinde fugientem & fidem P. R. atque adſtantium implorantis latus transfixit. Multaque propterea edidit, in moribus corruptis coercendis, rectiſque inſtitutis jam labentibus reparandis inſignia probitatis & gravitatis exempla.

Cum præpotens virium eſſet Cenſura, poſtremis tandem temporibus inclinatis rebus & Rep. propter paucorum dominationem & licentiam ad interitum vergente, robur hujus magiſtratus non comminutum modo eſt, ſed pene extinctum, ac vigor ipſius fractus atque laxatus. Poſt annum enim Urbis ſexcenteſimum ſexageſimum ſeptimum intermiſſa, ac anno ſexcenteſimo nonageſimo tertio reſtituta, a Clodio tandem pernicioſo curſu omnem in Remp. peſtem inferentem everſa pene fuit. Is Tribunus Plebis factus legem tulit ne quem Cenſores a Senatu moverent, neve qua ignominia afficerent; niſi qui apud Tribunos accuſatus & illorum quoque ſententia damnatus eſſet. Eam vero jam collapſam reparavit anno octingenteſimo primo Q. Metellus Scipio, Pompeii in Conſulatu collega. Rebus tandem in unius hominis poteſtatem adductis, ac ſimul cum ipſa forma Reip. virtute quoque P. R. deleta: Cenſura cum maxime neceſſaria & utilis, tum perincommoda & intempeſtiva viſa eſt propter effrænatam licentiam atque imbecillis ad ingruentem molem vitiorum & morbi, qui vires remedii ſuperabant, itaut tum minus efficax eſſet Cenſura cum magis Cenſorum ſeveritate Reſp. indigeret, unde & mentione illata de Magiſtratu reſtituendo, Tiberius [*b*] reſpondiſſe fertur: *non id tempus Cenſuræ, nec ſi quid in moribus laboret defuturum corrigendi auctorem*. Quapropter in Principibus ipſis Cenſuram revixiſſe proditum eſt, atque ab iiſdem uſque ad Decium Imperatorem hunc Magiſtratum geſtum magis credo ne quid ſupremæ poteſtatis Principum Imperio non eſſet adjectum, quam ne Cenſuram jacentem dbſererent. Unde quod ad regendos Civium mores erat inſtitutum; ad elevandam Principis majeſtatem, atque ipſius augendum Imperium verſum fuit: Nec omiſerunt Numina ipſa hujus Magiſtratus interitum nunciare: cum tribunal illorum qui poſtremi ſub Auguſto Cæſare

(*a*) Liv. lib. 39. c. 42.

(*b*) Tacit.

ſare ex privatis hunc magiſtratum inierunt, dum tribunal conſcenderent, confractum corruit haud incerto omine nonniſi umbram illius Magiſtratus permanſuram. Conatus quoque eamdem eſt reſtituere Theodoſius, ſive Arcadius: ſed a Senatu repudiatum eſſe Symmacus refert, ipſo Symmaco adnitente, & ſuadente [a] Extat & de Cenſorum Commentariis apud Dionyſium mentio, quos a patribus filiis, ab his poſteris ſuis traditos fuiſſe ſcribit, eadem cura qua paterna ſacra & gentilitia. Et hæc quidem fuit origo, curſus, finiſque Cenſuræ: nunc ratio inſtituti ordinis exigit, ut illius vires ac poteſtates, & præcipua Cenſorum munera aperiamus.

Cenſorum ea fuit auctoritas ut omnium Civium ordo, gradus, honos in Republica in illorum teſtimonio repoſita eſſent, atque cunctorum æſtimationis & famæ judicium, ex eorum arbitrio penderet. Ac ut Livius ait [b]: morum diſciplinæque Romanæ penes eum regimen, ſenatus equitumque centuriæ, decoris dedecoriſque diſcrimen ſub ditione ejus magiſtratus, publicorum jus privatorumque locorum, & vectigalia Populi Romani ſub nutu atque arbitrio eſſent. Cum tanta moles rerum Cenſorum poteſtati committeretur, quo cautius eſſet Populo de ſuis fortunis ac fama: Cenſores Magiſtratum ineuntes jusjurandum dabant, ſe neque gratia neque odio quicquam geſturos, ſed ex animi ſui ſententia, quæ utilia Reipublicæ eſſent re quæſita & deliberata facturos. Munera igitur eorum multiplicia, quæ tamen ad duo præcipue genera contrahi poſſunt: æſtimationem ſcilicet facultatum & morum, cujuſque enim ordinis ſuus erat Cenſus lege definitus. Senatorum Cenſum conſtat fuiſſe octigentum millia ſextertium, viginti ſcilicet millia ducatorum, duplum equeſtris cenſus; equitum enim cenſus erat ſextertium quadrigentum millia, hoc eſt, decem millia ducatorum. In iis igitur quæ ad opes pertinerent (c) Cenſori jus erat publicas privataſque opes deſcribere, Populum in centurias ac claſſes diſtinguere, locare vectigalia. Dabant & leges per provincias quæ Cenſoriæ ſunt appellatæ. (d) Cenſorum quoque cura erat cum inirent Magiſtratum alere anſeres in Capitolio ob memoriam ſervatæ ab imminenti fato Urbis; dum Galli clam nocte arcem invaderent, anſeres autem vigil & ſollicitum animal leni ſtrepitu commoti voce ſua cives dormientes excitaſſent; item opera publica exigere (e). Sed & vias publicas tueri, reficere, precia ſacrificiorum publicorum curæ portio cenſorii muneris erat; ſtatuas omnes circa Forum, quæ Senatus aut Populi ſententia poſitæ non eſſent a Cenſoribus Scipione & Popilio ſublatas fuiſſe Plinius ſcribit. (f) Et fullonibus modum in pingendis veſtibus fuiſſe præfinitum idem Plinius auctor eſt. Sed & tenuiora iſtis ad ſuam diligentiam Cenſores revocabant. Nam ſi qui agrum ſuum negligenter cuſtodiret, aut deſertum relinqueret, & illum ſordeſcere pateretur tutus a Cenſoris animadverſione non erat. Altera pars Cenſorii muneris fuit Perſonarum cura; & morum uniuſcujuſque judicium. Cenſoribus itaque ante omnia cura erat Principem Senatus legendi, eum quem graviorem & laudabiliorem virtute, & moribus judicarent, iſque erat ille ex Senatoribus cujus nomen primo loco recitabatur, qui honos maximus habebatur. Ad eandem rationem & qui primus in Equitum tabulis ſcribebatur, princeps Equeſtris ordinis dicebatur. In cenſendis autem civium capitibus certam proprioque ordine notam Cenſores habebant, quam cuique pro ſuo gradu & ordine inurerent. Quatuor igitur erant animadverſionis Cenſoriæ notæ. Ejectio e Senatu, quæ nota ad ordinem Senatorium pertinet, eaque erat cum initio Cenſuræ dum nomina Senatorum recitarentur, alicujus Senatoris nomen Cenſores præterirent, quo ſilentio infamia Senatori præterito irrogabatur, & tacito judicio e numero Senatorum cenſebatur exemtus, ac loco motus, itaut nomen illius e Senatorum albo deleretur. (g) Hique præteriti dicebantur, quo loquendi genere utitur Livius (h),

[a] *Lib. 4. ep. 29 & 45. lib. 7. ep. 5.*
[b] *Lib. 4. cap. 8*
[c] *C. 3. de leg. Liv. 39. 43.*
[d] *Cic. lib. 1. ad Att. Ep. 1.*

(e) *Feſt. verb. produit. Liv. l.42.45. Symm. l.1.ep. 6.*
(f) *Lib. 34. c. 6.*
(g) *Feſt. in verb. præteriti.*
(h) *Lib. 34 c. 44.*

cum refert tres Senatores quorum nemo curuli honore erat uſus a Cenſoribus fuiſſe præteritos. Tantam autem in Senatoribus morum gravitatem & modeſtiam Cenſores requirebant, ut P. Cornelius Rufinus a Cajo Fabricio Cenſore fuerit Senatu motus quod decem pondo argenti facti pro convivio appoſuiſſet. Altera nota eſt equi ademti, quæ pœna erat alterius ordinis nempe Equeſtris. (*a*) Moris autem erat ut in publica recenſione Equites ad locum ubi Cenſor ſedebat accederent equos manu ducentes: quos ſi probaret Cenſor, præterire aut traducere equum ſolemni formula jubebantur; ſin improbaret, equus adimebatur, & vendi jubebatur. Auctores ferunt, adeo levibus ex Cauſis Cenſores notam inurere conſueviſſe, ut nimis corpulenti milites equis ademtis, ignominiaque affecti exercitu a Cenſoribus dimiſſi fuerint. Et Eques Romanus cum ipſe præter modum comtus eſſet & cultus, equus autem ipſius morboſus, interrogatus, a Cenſoribus cur ipſe tam eſſet comtus, equus autem ipſius ſquallore affectus & languidus? cum reſpondiſſet, quia ſui curam gereret ipſe; equi vero Statius Servus ſuus; cum id parum demiſſum & humile reſponſum viſum fuiſſet Cenſoribus, ignominia notatus, illorum ſeveritatem expertus eſt. Tertia nota & quarta ad plebejos refertur: quos Tribu movebant, ſive ut ait Livius Civem Romanum ex honeſta & ruſtica in minus honeſtam & urbanam Tribum traducebant. Ruſticæ enim Tribus urbanis præferebantur tum quia, ut ait Varro, inter veteres magna erat laus ruſticæ vitæ: cum qui in urbe vivunt propter intermiſſionem operum deſidie & ignavia laxent animi robur, Ruſtici vero laboribus & operibus incumbentes alacriores & firmiores reddantur: tum etiam quia cum Appius Claudius Cenſor humiliores per omnes Tribus diviſerit, eoque facto Forum & Campum corruperit, in duas partes Civitas diſtracta eſt: alteram integro Populo fautore, & cultorum bonorum tenente; alteram occupante forenſi factione: donec Q. Fabius Cenſor, tum ut concordiam Civitati pareret, tum ut e manu humiliorum comitia vindicaret, turbam omnem forenſem in Tribus quatuor congeſſit, quas urbanas appellavit: quia ex fœce plebis collectæ fuerant, ideo urbanæ infimæ tribus habitæ ſunt (*b*).

Ignominiæ itaque labes effundebatur in eos, qui e ruſtica in urbanam Tribum transferebantur. Altera infamiæ nota, quæ eſt quarta & poſtrema animadverſionum cenſoriarum, quæque in plebejos quoque cadebat, eſt ærarium relinquere: ſive ſuffragii ferendi facultatem adimere. Qua nota affectis: nihil aliud de Civium jure reſidebat, quam ut aera tributi nomine pro capite penderent, quos ita multatos in cæritum tabulas referebant: hoc autem nomen fluxit a Cæritibus, qui primi municipes ſunt ſine ſuffragii jure facti (*c*).

Quid doceat quid non obliti cærite cera
Digni, remigium vitioſum Ithacenſis
Ulyſſis.

His itaque notis quod cujuſque ordinis ſummum erat detrahabant: & aliquando plures notas cumulabant, itaut non præterirentur modo Senatores, & Equites equis privarentur: ſed e Tribu etiam moverentur, ut omnes has ſimul ignominiæ maculas idem caput exciperet; ſi quid gravius ſcelus admiſiſſet: (*d*)

Creari Cenſores ſingulis quinquenniis ſolitum erat, atque in eorum creatione ſervatum ut e conſularibus legarentur, quod poſt punicum bellum inſtitutum permanſit: ſervatum quoque eſt ne idem bis crearetur. ne capita civium ſupramodum iterata poteſtas urgeret. Tandem mos fuit ut ſine ſuffectione crearentur, hoc eſt, ut ne quis, altero e Cenſoribus mortuo, in defuncti locum ſufficeretur, quæ religio Populo injecta eſt tempore Gallici belli, & miſerabilis Urbis Romanæ cladis. Pro omine acceptum quod eo anno, altero e Cenſoribus mortuo, alter fuerit in mortui locum ſuffectus, ideo alterum in mortui locum ſubſtituere religioſum fuit.

Luſtro condito cum e magiſtratu abirent ſuovetaurilium ſacrificium Cenſoribus fieri mos fuit, ita hoc ſacrificium appellatum, quod ſus, ovis, & taurus cæderetur, idque inſtitutum a Regibus ortum eſt. Poſt quam cenſum P. R. peregiſſent publicæ

(*a*) *Feſt. in verb. Cenſio. Plutar. in Pomp. Agell. lib. 4. Revard. lib. 2. var. c. 14.*
(*b*) *Liv. lib. 8.*
(*c*) *Horat. lib. 1. Ep. 6.*
(*d*) *Valer. Max. lib. 1. c. 3.*

Digitized by Google

publicæ recenſionis tabulas in æde Nimpharum cuſtodiebant.

Ex his quæ de eorum poteſtate protulimus colligi ſane poteſt, quantum ſe Cenſorum dignitas extulerit; placet autem ſingulos dignitatis gradus ſuis nominibus diſtinguere, ut omnia dilucide collecta atque deſcripta in animo habeamus. Magiſtratus hic de extraordinariis erat, nec enim ſemper nec eodem tempore quemadmodum ordinarii, ita dicti quod ſtatis temporibus in Republica redirent. Eſt & de Magiſtratibus mixtis, quod ad eos aditus cuique e populo pateret. Cum autem majores & minores eſſent Magiſtratus, ita dicti aut quod majora minorave haberent auſpicia, aut quod majus minuſve imperium aut poteſtas eſſet: hunc ad Magiſtratus majores referendum eſſe ſatis tum ex ipſius muneribus, tum ex auctoritate veterum conſtat. Curulis præterea erat eum jus ſellæ haberet. Omnia quoque Cenſoribus ſumma majeſtatis inſignia deferebantur, illis Faſces, illis prætexta Toga, illis omnia Conſularia munera tributa. Lictores defuerunt, credo quod non tam ad augendum Magiſtratus ſplendorem, quam ad vim inferendam, & Conſularia juſſa peragenda a Conſulibus aſſumerentur. Cæterum poteſtatem in Conſulibus latiorem, dignitatem vero illuſtriorem atque ampliorem in Cenſoribus emicuiſſe non ambigitur. Idque potiſſimum ex antiquorum auctoritate teſtatur Juſtus Lipſius: cujus mira eſt in evolvendis veterum monumentis alacritas & diligentia (*a*).

Satis pro inſtituta brevitate, Cenſoris munera, poteſtates, & originem complexi ſumus: ne ſi opus procedat longius, & animos veſtros tædio afficiamus & res ipſas inutili verborum copia obruamus. Reliquum eſt vos modo ſi non dignum auribus veſtris dicendi genus adhibuimus: noſtram in dicendo inelegantiam & ingenii tenuitatem pro veſtra humanitate & benevolentia leniter & benigne feratis.

(*a*) *Lib. de Magiſtrat. c. 18. §. dignitas.*

JANI VINCENTII GRAVINÆ IN PONTIFICII JURIS INSTITUTIONES

PROŒMIUM.

Ad cupidam Sacrorum Canonum Juventutem.

SI quemadmodum Juſtinianus poſteritati proſpexit, ita & ipſi nobis conſulere, ac tempus ordinemque ab eo Legum ſtudiis præſtitutum adhibere vellemus; longe ſane breviori ſpatio cum Civilis, tum Pontificii Juris Inſtitutiones clauderemus. Ex illius enim præſcripto paucis ad earum explicationem decerptis menſibus, totum fere quinquennium ad alia ſupereſſet: nunc autem animis ad quæſtum properantibus, vixque biennii moram in utroque addiſcendo Jure ferentibus; atque ab Inſtitutionibus ad forum continuo migrantibus, ne adoleſcentes ab Scholis jejunos, inaneſque dimittamus, cogimur Inſtitutionum proferre fines, quinquenniique rebus ad biennium contractis, argumenta promere largiori manu, quo non capita ſolum, ſed ſeriem quoque rerum hinc auferant ad forum. Quamobrem id nos in noſtris pertexendis intendimus, ut interea temporis una cum ſeminibus propago quoque ſtudioſis, atque ſeges occurreret materiarum: ne, ſi velint ad forum convolare maturius, quæſtionum novitate percellantur, tenebriſque rerum offundantur ſubitarum: neve, quod ſæpe uſuvenit, clientum detrimento diſcere Jus Civile cogantur, artem juſtitiæ non ante nanciſcentes, niſi poſtquam injuſtis litibus plura patrimonia laceraverint; plurimaque judicia longa juris ignorantia perverterint. Quotquot autem Pontificii Juris Inſtitutiones evolvimus, (evolvimus autem, antequam noſtras exordiremur, plurimas) vel vulgata tantum continent. (Lancellotum ſemper excipio) & leviora, quæſtionibus contra Inſtitutionum finem & artem admiſſis intempeſtivis atque verboſis, neglectiſque principiis certis, quibus unice conſtare debent Inſtitutiones, omiſſiſque cauſis rerum & memoria vetuſtatis, vel, ſi qui auctores, & ii quidem eruditiores, ad initia & antiquitatem excurrunt, priſca eruditione adeo capiuntur, ut recentiorum prope obliviſcantur ætatum: unde fortaſſe minus utiles ſunt. Ideo nos utrumque ſcopulum declinantes, breviter priſcam, mediam & novam Eccleſiæ complexi ſumus ætatem; adeout ad Tridentinorum Canonum ſententias ſuis locis intertextas adjecerimus etiam utiliorum haud pauca reſponſorum, quæ a Sacris Cardinalium Conſiliis, quas Congregationes vocant, in dies emittuntur: unde in pluribus juris articulis triplicem adſpectum Eccleſiaſticæ diſciplinæ pateſcimus, & a traditionibus veterum Patrum notitiam juris primævi deducentes, mutationiſque cauſas e media eruditione colligentes, eas gravioribus uberibuſque Pontificum Conſtitutionibus provide ſubjecimus, ut non tantum notitiam Canonum Eccleſiaſticorum, ſed rationem quoque illorum, ſtudioſi adoleſcentes, hinc abducatis, habeatiſque a nobis non ſolum ad forenſem peritiam, verum & ad Sacram omnium temporum diſciplinam breviter expeditam viam: atque ita quiſque veſtrum per Inſtitutiones haſce noſtras non ſolum accipiat uſitata, ſed cru-

eruditionis etiam Eccleſiaſticæ primordiis imbuatur; atque ad Sacram Juriſdictionem propugnandam validioribus armis comparetur; indeque magis, magiſque in dies commendetur Summo Pontifici ſimilitudine ſtudiorum, in quibus ille florem exegit ætatis, ut integritatem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quam per omnium temporum ſeriem veſtigabat, nunc Eccleſiam regens univerſam, ſanctiſſimis redderet legibus, æterniſque ſanciret propriæ virtutis exemplis. Atque hæc de noſtris Inſtitutionibus in univerſum: nunc quomodo a nobis in dies ſingulos exercendi ſitis, breviter vobis expediemus.

Igitur præter operam nobis imperatam, hoc eſt præter quotidianam dictandi, explicandique horam, & conſuetas repetitiones ac diſputationes ex edicto præſcriptas, nos labores nobis addidimus voluntarios: anguſta enim juſtitia eſt, quæ intra legis verba continetur: nam longe ſupra leges ab hominibus conſcriptas in paginis, obligamur a legibus naturalis honeſtatis, a Deo Optimo Maximo conſcriptis, ut D. Paulus docet, in animis noſtris: quibus, quantumcumque in nobis eſt, conferre monemur in utilitatem aliorum. Unde ſingulis diebus poſt explicata ſcripta, explicabimus primarium & uberiorem illius materiæ Canonem a nobis allegatum, tum ut aſſuefaciamus aures veſtras ad Eccleſiaſticum ſtilum, tum ut vos a fonte ſuo Juris doctrinam petere doceamus. Turbati enim Pragmaticorum rivi ſatis diu vobis in foro patebunt: ut niſi vocem legum hinc exaudiatis, nunquam poſthac in tanta occupatione negotiorum, inter forenſium Auctorum vetia, recurrere ad eas poſſitis. Nec omittemus exponere Capita illa Sacri Concilii Tridentini, quibus in eo articulo jus vetus forte mutetur, & cum ad ſecundum noſtrarum Inſtitutionum Librum, atque ad Sacramenta venerimus, præter Scripta noſtra eam vobis Catechiſmi Romani partem interpretabimur, quæ rem Sacramentariam comprehendit. Quem ſane Librum doctrina, & locutione curatiore, obſecro vos, ut ſimul cum novo Teſtamento, quæ radix eſt omnis Chriſtiani Juris, in manibus ſemper habeatis; ubi vero e ſuggeſtu deſcenderimus, horæ quadrantem vobis ſive de Pontificio, ſive de Cæſareo Jure interrogantibus copiam noſtri faciemus.

In ſolemnibus vero vacationibus ordinariorum, cum ab nullo alio Doctore tempus hic ſit & locus occupandus, liceatque quoad volumus, prorogare labores, hoc vobis etiam a nobis accedet, quod Librum de ortu, & progreſſu Juris Civilis noſtrum ſtatim poſt abſolutam illius diei prælectionem Canonum vobis explicabimus, ut ex eo opere, quidquid eruditionis Romanæ ad Romanarum Legum, & veterum Juriſconſultorum intelligentiam exigitur, cum ſummo temporis & laboris compendio prænoſcatis, retruſioreſque Latinitatis formulas, quibus veteres Leges, & Interpretes eruditiores abundant, noſque propter ſuſceptum argumentum abundare oportuit, percipiatis.

Id modo ſupereſt ut ſtudium erga vos noſtrum, veſtra cupiditate diſcendi, atque aſſiduitate laboris in diem augere velitis.

IN-

Digitized by Google

INSTITUTIONUM JURIS PONTIFICII

LIBER PRIMUS.

TITULUS I.

De Jure Canonico.

QUoniam Legis vocabulum eſt imperioſum, & continet vim civilem, ſive corporis violentam coercitionem, ideo vetus Eccleſia modeſtiæ ſuæ minime convenire legis nomen exiſtimavit, uſaque eſt Canonum Græca & leniori voce, nempe regularum: unde orta eſt Juris Canonici appellatio, quod etiam vocatur Jus Pontificium, propterea quod ab auctoritate Pontificis Romani ſubſtantiam capit. Eſt autem hoc Jus, ſicut & Civile, partim non ſcriptum, partim ſcriptum. Non ſcriptum oritur a conſuetudine & uſu communi, quæ conſuetudo legis robur habet, quando legibus, & rectæ rationi, Civilique ac ſacræ Doctrinæ & Diſciplinæ non adverſatur.

Jus ſcriptum eſt, quod Sacris, & Eccleſiaſticis Codicibus continetur, cujus plures ſunt partes.

Canonum autem variæ variis temporibus prodiere collectiones, quas nos diſtincte retulimus in prælectionibus Gratiani.

Hic ſatis habebimus indicare vulgatiores, quæ ſunt Decretum Gratiani, & libri quinque Decretalium Gregorii IX. quibus acceſſerunt totidem libri collecti a Bonifacio VIII. quos in unum corpus coactos appellavit Sextum Decretalium.

His adjectæ fuerunt Clementis V. Conſtitutiones, quæ appellantur Clementinæ.

Item & Conſtitutiones Joannis XXII. quæ vocantur Extravagantes, propterea quod vagantur extra corpus Juris, quod Clementinis clauſum putabatur, & hæ quidem dicuntur Extravagantes Joannis XXII. cum aliæ, quæ poſt advenerunt, appellentur Extravagantes communes, quia plurium Pontificum Conſtitutiones complectuntur.

TITULUS II.

De Partibus Juris ſcripti, & de Jure Divino.

JUs Divinum eſt lex, quæ Deum ipſum habet auctorem, quod vel naturale eſt, vel ſupernaturale. Naturale eſt, quod procedit a dictatis rectæ rationis, in qua ſine ſtilo, ſine atramento, Deus ipſe creandis hominibus impreſſit amorem, & regulas honeſtatis, ad quam omnes natura ferimur, cuique perpetuo adhæreremus, niſi vitiis, & cupiditatibus abſtraheremur.

Jus Divinum ſupernaturale eſt, quod in Sacrorum Bibliorum Codicibus Veteris ac Novi Teſtamenti continetur.

TITULUS III.

De Sacris Conſtitutionibus.

SUnt præterea Canones, quos Eccleſia condidit auctoritate a Deo accepta. Quam auctoritatem condendi juris vel per Concilia, vel per ſuum Caput Pontificem Romanum expedivit. Concilia ſunt conventus Eccleſiæ univerſæ, quæ per ſuos Epiſcopos, ſub ejus Capite Summo Pontifice repræſentatur, eaque propterea Concilia generalia nuncupantur: quorúm celebrandorum ratio hæc eſt. Convocandi ad Concilium ſunt ex univerſo terrarum orbe omnes Epiſcopi: ejuſque indicendi poteſtas eſt penes ſolum Romanum Pontificem, qui per ſe, vel per ſuos Legatos præeſſe debet. In Concilio Epiſcopi judicium proferunt, cumque iis ex conſuetudine etiam Cardinales, Abbates quaſi Epiſcopalem Juriſdictionem habentes, & Generales Ordinum. Quodque decreverit, id

Digitized by Google

id ratum, certumque manet. (*a*) Præter Generalia, ſunt etiam Nationalia, & Diœceſana Concilia. Nationalia ſunt, quæ celebrantur ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis alicujus Nationis, aut Regni ſub Patriarcha, vel Primate. Provincialia ſunt, quæ celebrantur ab Epiſcopis ejuſdem Provinciæ convocatis a ſuo Metropolitano, ſeu Archiepiſcopo, eoque impedito, ab Epiſcopo antiquiore: (*b*) conveniréque juſſu ejus debent omnes Epiſcopi, Abbates, & quotquot accedere conſueverunt. Sunt autem cum Epiſcopis vocandi etiam, qui Juriſdictionem habent Epiſcopalem, [*c*] & ſi nequeant Epiſcopi accedere, juſtam excuſationem afferre debent. (*d*) Capitula vero Cathedralium convocanda eſſe, non cogenda ſcribit Abbas. (*e*) Eaque Concilia tertio quoque anno celebranda eſſent ex Conc. Trident. (*f*) Diœceſana ſunt, quæ celebrantur ab Epiſcopo, convocatis Diœceſis ſuæ Clericis, vel Abbatibus. (*g*) Ad quos cœtus convenire oportet Exemtos omnes, qui alioquin, exemtione ceſſante, convenire deberent, quique Capitulis Generalibus non ſubjiciuntur; item ſine ulla exceptione quotquot curam gerunt animarum: debentque celebrari ſingulis annis. (*h*) Et ſi Epiſcopus negligat, duorum menſium ſuſpenſione a munere ſuo punitur. (*i*) Porro Conciliis Diœceſanis obligantur tantum homines illius Diœceſis; Provincialibus omnes illius Provinciæ; Nationalibus omnes illius Nationis; at Generalibus univerſus orbis terrarum; Summorum etiam Pontificum Conſtitutionibus homines obligantur univerſi. Dividuntur autem eæ Conſtitutiones in Decreta, Decretales Epiſtolas, & Reſcripta. Decreta ſunt, quæ in Romano Concilio, conſeſſuque Italicorum Epiſcoporum Pontifex promulgabat. Decretales Epiſtolæ ſunt reſponſa Pontificum in privatis controverſiis, aut ad conſultationes Epiſcoporum: quæ generaliter etiam Reſcripta nuncupantur. Specialiter vero Reſcripta ſunt, in quibus Pontifex aliquid rogatus aut concedit, aut mandat, aut decernit. Magnum etiam auctoritatis gradum in Jure Canonico retinent ſcripta SS. Patrum, eorumque ſententiæ, quæ cedunt Pontificiis Conſtitutionibus, quia hæ veniunt a Poteſtate majore ac ſuprema; quamvis in Patribus conſtiterit ſcientia major. Neque locus clauditur in Jure Canonico Principum Conſtitutionibus, & reſponſis Juriſconſultorum: quorum aliquot inter Canones mixta invenimus. Quam auctoritatem profanæ leges non a profana, ſed a ſacra Pontificum poteſtate ducunt. Recte enim Bonifacius (*k*) illud uſurpavit [*l*] *omnia noſtra facimus, quibus noſtram auctoritatem impertimus.*

Diviſio autem Juris Civilis aptatur etiam Juri Canonico, quod pariter in perſonis, rebus, & actionibus, nempe judiciis verſatur.

Hinc primum Librum perſonis, ſecundum rebus, tertium judiciis, & actionibus dicavimus.

TITULUS VI.

De Jure Perſonarum.

JUre Canonico perſonæ dividuntur in laicos, ſive populares a Græco λαὸς, ideſt *populus*; & in clericos, ſive adſcitos ad divini miniſterii ſortem a Græco κλῆρος, ideſt *ſors*. Clericorum ſunt plures ordines, quorum ſummus eſt Epiſcopatus, unde proſeminati ſunt ordines cæteri, quorum alii majores dicuntur, & ſacri; alii minores, de quibus inferius.

TITULUS V.

De Epiſcopis, & Summo Pontifice.

EPiſcopus, ſive Inſpector obſervandis, & corrigendis moribus fuit inſtitutus. Epi-

(*a*) *Can. Sancta diſt.* 16.

(*b*) *C. quoniam C. ſi Epiſcopus C. ſi quis Epiſcoporum diſt.* 18 *C. decernimus ead. diſt.*

(*c*) *Can. conveniens* ... 2. *quæſt.* 7. *C. Adrianus diſt.* 53.

(*d*) *Gloſſ. Can. placuit diſt.* 1.

(*e*) *C. ult. de his, quæ fiunt a majori parte Cap.*

(*f*) *Seſſ.* 23. *C.* 2. *de reform.*

[*g*] *C. quando diſt.* 38. *Cap. placuit* 12. *qu.* 2. *C. Abbates* 18 *qu.* 2.

(*h*) *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *C.* 2. *de reformat.*

(*i*) *C. ult. juncta Gloſſa v. Excommunicationis diſt.* 18.

(*k*) *C.* 22. *de præb. in* 6.

(*l*) *Leg.* 1. §. *ſed neque de veteri jure enucleando.*

[a] Epiſcopi munus eſt in concione verbum divinum explicare, quamvis recentioribus temporibus id mandare aliis conſueverint, ſibique reſervaverint, quod ordine ſuo nefas eſt avellere: qualis eſt duorum Sacramentorum adminiſtratio; nempe Ordinis, & Confirmationis baptizatorum. Omnis autem Epiſcoporum poteſtas dividitur in ea quæ ſunt ordinis, & in ea, quæ ſunt juriſdictionis, & in ea, quæ ſunt Legis Diœceſanæ. Ab ordine manat Regum; Altarium, & Eccleſiæ conſecratio, ejuſque poſt pollutionem expiatio; [b] Chriſmatis, & Olei Catechumenorum, & infirmorum confectio, Ordinum collatio, Virginum ſacrarum lectio. A juriſdictione venit facultas corrigendi, beneficia conferendi, execrandi, ſive excommunicandi, judicandi, puniendi, examinandi. Ad Legem Diœceſanam pertinet jus exigendi Synodaticum, ſive Cathedraticum; hoc eſt tributum in honorem Cathedræ Epiſcopalis præſtandum, item jus exigendi procurationem, cenſus, quartam funeralium, quartam decimationum: [c] quibus præſtandis Monaſteria non obligantur, ideoque a Lege Diœceſana exemta dicuntur. Et quoniam inter Civitates ſemper excelluerunt Metropoles, ideo Metropolitanus Epiſcopus minorum Civitatum Epiſcopis etiam antiquitus præferebatur. His autem eminentiores erant Epiſcopi illi, qui præerant Capitibus Provinciarum, in quarum diviſione Imperii Romani rationem Eccleſia complectebatur. Unde, quia ſub Romano Imperio Roma, Alexandria, Antiochia capita erant Regionum aliarum, ideo præter Romanum, qui a Chriſto impoſitus eſt omnibus, Alexandrinus Ægyptiacis, Antiochenus Aſianis Epiſcopis præerant: ideoque hi tres ab initio Archiepiſcopi vocabantur, tamquam Capita Epiſcoporum cæterorum. Poſtea vero Archiepiſcopi nomen devenit ad Metropolitanos; Romanus vero, Alexandrinus, & Antiochenus nomen Patriarcharum ſuſceperunt, quaſi Patrum Principes. Quem Patriarcharum numerum auxit poſtea Hieroſolymitanus, & ob honorem Imperatoriæ Sedis etiam Conſtantinopolitanus: quorum primum locum obtinet Romanus, ſecundum Conſtantinopolitanus, tertium Alexandrinus, quartum Antiochenus, poſtremum Hieroſolymitanus, (d) qui proprie Patriarchæ dicuntur. Alii autem his minores aliquando improprie Patriarchæ nuncupantur; aliquando Primates; quales ſunt in Italia Gradenſis, qui Sedem ſuam Venetias tranſtulit. Aquilejenſis, & Piſanus; in Gallia vero Viennenſis, & Bituricenſis, & Lugdunenſis; in Germania Magdeburgenſis; in Hiſpania Toletanus; in Anglia Eboracenſis; in Pannonia Strigonienſis; quibus acceſſit auctoritate Pauli III. Patriarcha Indiarum. (e) Hæc habent præcipua quinque Patriarchæ. 1. Ut poſt Romanum Pontificem ſedeant ordine dignitatis. 2. Ut Metropolitanis Pallium concedant; cum ipſi accipiant a Summo Pontifice. 3. Ut eis Crux præeat per omnem ſuum Patriarchatum, cum non occurrit Summus Pontifex, aut ejus a latere Legatus. 4. Ut a ſuis Metropolitanis ad eos appelletur. [f] Quamvis igitur ordine omnes Epiſcopi exæquentur, gradu tamen dignitatis inter ſe, ac juriſdictione diſtinguuntur. Quilibet enim Epiſcopus ordinariam in Diœceſi ſua juriſdictionem habet, a quo, ſi Suffraganeus ſit, ad Metropolitanum appellatur, ab Archiepiſcopo vero Metropolitano ad Patriarcham, a Patriarcha ad Summum Pontificem. Cum autem Summus Pontifex plura cum cæteris Epiſcopis habeat communia; multa tamen ſibi nominatim excepit, quorum hæc ſunt quotidiana, & frequentiora. Primo, ne ullius judicium Pontifex ſubeat, cum omnes alii Pontificis judicio ſubjiciantur. Deinde controverſiæ Religionis ad ſolius Pontificis judicium, cum majoribus Eccleſiæ cauſis revocantur. Præterea ſolius Pontificis eſt convocare generalia Concilia. Item Epiſcopos, & Epiſcopales Sedes creare ac transferre; eoſdemque Epiſcopos dejicere; aut dejectos reſtituere; ceſſiones ab eis accipere, illoſque a juriſdictione Superioris eximere, ſolique Sedi Apoſtolicæ ſubjicere. Pontificis ſolius eſt plures Epiſcopatus in unum conjungere; aut unum diſtrahere in plures, ſolvere legibus Eccleſiaſticis, hoc

(a) *C. Cleros verſ. Epiſcopatus diſt. 21.*
(b) *C. unic. de Conſecrat. Eccl. in 6.*
(c) *C. conquerente 16. de off. jud. ord. C. dilectu 18. ubi Abbas eod. can. p. 10. quæſt. 3.*
(d) *Diſt. 22. & l. antiqua de privileg.*
(e) *Gonzalez ad Reg 8. Cancell. Gloſſ. 41. n. 14. in fine.*
(f) *C. antiqua de privil. & diſt. 22. ubi Gloſſa per tot.*

hoc eſt diſpenſare, remittere Canonum auſteritatem; Preſbyterorum filios, ceteroſque illegitimos dignitatum reddere capaces. (*a*) Pontifices jam diu creant Cardinales, qui Pontificium Senatum conſtituunt: dicti a Cardinibus quales vocabantur majores Eccleſiæ, quibus præerant, ubi ſub eorum cura locata erat adminiſtratio Sacramentorum. Eædemque Eccleſiæ, ſive Cardines appellabantur Tituli: erantque partim Presbyterorum: Unde Cardinales Presbyteri, partim Diaconorum, qui opes adminiſtrabant, & negocia civilia gerebant, unde Cardinales Diaconi. Præterea ex Cardinalibus ſeptem creabantur Epiſcopi, quibus tradebantur Epiſcopatus viciniores, qui tanquam Chorepiſcopi erant Romani Pontificis, cui præcipuam opem in totius Eccleſiæ adminiſtratione præbebant: erantque olim ſeptem hi Epiſcopatus Cardinalium titulares, quia Epiſcopatus S. Rufinæ, nempe Sylvæ Candidæ nondum cumulatus, ſive ut ajunt, unitus fuerat Epiſcopatui Portuenſi: ideoque nunc ſex recenſentur finitimi Epiſcopatus, nempe Hoſtienſis, Portuenſis, Albanenſis, Præneſtinus, Sabinenſis, Tuſculanus; crevit autem Cardinalium dignitas maxime poſtquam Nicolaus II præcipuas eis partes in Romani Pontificis electione tradidit; (*b*) adeo ut tandem reliquum Clerum excluſerint: ac deinceps antejerint Epiſcopis, quibus initio non præferebantur: cum Cardinalatus non ſit Ordo Eccleſiaſticus, ſed Ordini adjecta dignitas, & officium, quod merito ſupra ceteros emicuit, poſtquam majora urbis negotia gerenda, & una cum Pontifice univerſalem Eccleſiam adminiſtrandam, illius mandatu, ſuſceperint. Ornarunt vero plurimum Cardinales Innocentius IV. & Paulus II., quorum ille rubrum Galerum eis tradidit. Iſte veſtem coccineam, ſive, purpuream lacernam, (*c*) ut Veteris Senatus majeſtatem exhiberent. Jus ferendi in Pontificia Creatione ſuffragii Cardinales non habent, niſi Diaconatus ordinem acceperint, aut a ſummo Pontifice nominatim facultatem eam impetrarint. Eorum a Sixto V. (*d*) præfinitus eſt numerus, ne ſeptuaginta excedant: ex quibus quinquaginta oportet eſſe Presbyteros, Diaconos quatuordecim, Epiſcopos ſex ex vicinioribus, quos innuimus, Epiſcopatibus.

Cardinales, cum in Legationes abeunt, dicuntur *Legati a latere*, quaſi dimiſſi a Pontificis latere, cui ſemper adhærere cenſentur, quorum in provinciam adventu ſilet aliorum Legatorum poteſtas; (*e*) ac tum facultatem habent abſolvendi excommunicatos propter violationem Clericorum, (*f*) & utuntur Apoſtolicis inſignibus. (*g*) Præterea poteſt Cardinalis Legatus vacantia beneficia conferre, (*h*) etiamſi jus ſit patrono Clerico præſentare. (*i*) Abſtinendum ei tamen eſt a Prælaturis Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum, item & a dignitatibus Eccleſiarum Cathedralium majoribus, quæ per electionem conferuntur; atque a tranſlatione, unione, & diviſione Epiſcopatuum. (*k*) Sunt etiam Legati miſſi non ex Cardinalium Collegio, & Nuntii nuncupantur, qui explicant in Provinciis, & Regnis Pontificiam Juriſdictionem. (*l*) Alii ſunt Legati nati, quorum dignitati Sedes Apoſtolica perpetuo munus Legationis attexuit, quales ſunt in Anglia Cantuarienſis, Eboracenſis; in Gallia Bituricenſis, [*m*] aliique. Sed quomodo ad Eccleſiaſticas Dignitates perveniatur, inquiramus.

TITULUS VI.

De Electione.

Electio eſt perſonæ idoneæ ad Eccleſiæ vacantis, aut perſonarum regimen canonice facta vocatio. [*n*] In qua definitione comprehenduntur Epiſcopi, & Regularium Rectores. Eligendi ratio pro temporibus variavit. Apoſtoli enim, quorum infinita erat in Eccleſia tum exoriente, poteſtas, ipſi Epiſcopos Eccleſiis præficiebant. Poſt eos in Cœlum ſublatos Electio venit ad Clerum, qui eligebat

(*a*) *C. 2. de tranſlat. Epiſc. C. quod tranſlat. 4. de off. legat. ubi Gloſ. C. ſicut venire 8. de exceſſibus Prælat.*
(*b*) *Can. in nom. Dom. diſt. 23. can. 1. diſt. 79.*
(*c*) *Polydor. Virg. de inventorib. rer. lib. 4. c. 9.*
(*d*) *In Conſt. incip.* poſtquam *& per aliam Incip.* Religioſa.
(*e*) *C. voluptas de off. Legat.*
(*f*) *C. excommunicandos 9. eod.*
(*g*) *C. antiqua 23. de privil.*
(*h*) *C. 2. de preb.*
(*i*) *C. 1. de off. Legat. in 6. & C. dilectus extra eod.*
(*k*) *C. penult. de off. Legat. in 6. & c. 3. & 4. eod.*
(*l*) *C. 1. de off. Legat.*
(*m*) *Vid. Azor. 2. Inſt. Moral. l. 5. c. 25.*
(*n*) *Gloſſ. C. 5. de poteſt Prælat. in 6. verbo vera.*

coram omni populo non ſuffragium, ſed teſtimonium de electi perſona laturo. Cumque turba populi electionem impediret, pro populo acciti fuerunt proceres & optimates. Deinde, quia Clerus crevit, & Clericorum turba ſecum diſſentiens impedimentum objiciebat electioni, redacta ea fuit ad ſelectiores Cleri nempe ad Collegium Canonicorum unum in Eccleſia corpus cum Epiſcopo conſtituentium; [a] dummodo ad Subdiaconatus ſaltem ordinem pervenerint, [b] aut, ſi Canonici non ſint, facultatem eligendi aut ex conſuetudine, aut ex privilegio, aut ex pacto acceperint. [c] Sed electionum, excepta Germania, quæ adhuc jus commune tuetur, vix alibi ſupereſt uſus cum generaliter vel Princeps, in quem tranſierunt jura populi, a Summo Pontifice certas perſonas petat; vel ſponte ſua Pontifex Eccleſiis Rectores tradat; (d) præcipue per regulam ſecundam, quam vocant Cancellariæ: qua collationes Cathedralium ſibi excepit. Antequam autem Clericorum ritum ingrediamur; afferemus aliquid de Vicario Capitulari, qui creandus eſt interea, dum electio celebretur. Etenim Epiſcopo ſublato, Eccleſiæ omnis adminiſtratio ad Capitulum devolvitur, in quod, exceptis iis, quæ ſunt Ordinis, exceptaque collatione eorum beneficiorum, quæ ad ſolum Epiſcopum cum conſenſu Canonicorum ſpectabat, [e] tranſit omnis Epiſcopi ordinaria poteſtas, ſive ſpiritualis, ſive temporalis, una cum collatione Beneficiorum, quam Epiſcopus cum Canonicis habebat communem. [f] Quæ vero ſunt Ordinis, ne detrimentum contingat animarum ex dilatione; a vicinioribus Epiſcopis a Capitulo convocatis exercentur. [g] Fructus item Eccleſiæ vacantis Capitulum colligere debet ac futuro Epiſcopo reſervare. Propterea Conc. Trident. cavit, ut iis curandis Oeconomus a Capitulo conſtituatur. Et quia juriſdictionis exercitium difficilem exitum haberet, ſi divideretur in plures, juſſit etiam, ut a Capitulo Vicarius, qui vice omnium adminiſtret, eligatur intra octo dies ab Epiſcopi morte: [b] quo elapſo tempore; ſi non elegerint Canonici, facultas ea devolvitur ad Metropolitanum: & Metropolitana Eccleſia vacante, ad antiquiorem e Suffraganeis. Si vero vacans Eccleſia exemta ſit a juriſdictione Metropolitani, facultas ea tranſit ad Epiſcopum exemtæ proximiorem. Quamvis autem Vicarius Capitularis nequeat Ordines conferre, quia tamen habet juriſdictionem, concedere poteſt veniam ſubditis, ut ab aliquo Epiſcopo ordinentur per literas, quas vocant Dimiſſoriales: dum ne concedantur intra annum ab Epiſcopi morte; niſi quis Ordines petat, ut aliquod Beneficium Eccleſiaſticum aſſequatur [i] Sed jam ad rationem eligendi pergamus. Electioni non eſt locus niſi Eccleſia vacante; [k] adeo ut irritum ſit quidquid conſultum, actumve fuerit Epiſcopo vivente. [l] Præcedere autem debet citatio omnium, qui jus eligendi habeant dummodo ſint in Provincia: [m] niſi qui eo impedimento detineantur, ſive ætatis, ſive viarum, & ſimilium; ut palam ſit, citationem inutilem fore. [n] Citati autem, ſi adeſſe nolint eorum beneficio renunciare. [o] Et quoniam hac in re plus obeſt unius contemtus, quam plurium oppoſitio; ideo ſi aliquis contemnatur ex eligentibus, vel non opportune citetur, vitiatur electio, etiamſi juſto ſuffragiorum numero polleat, [p] Niſi neglectus qui fuit electionem adveniens ratam habuerit. [q] At ſi abſens citatus accedere impediatur, poteſt adprobante Capitulo impedimentum jurejurando probare, ſuffragiumque ſuum per inſtrumentum procurationis mandare uni de Capitulo, vel ſi Capitulum conſenſerit, extraneo: [r] licet item non modo unum, ſed & plures procuratores ad eligen-

(a) *C. 1. Can. dudum 22. extra de elect. C. quia propter eodem diſt. 63. C. 35.*

(b) *Seſſ. 22. C. 4. de reformat. Conc. Trid.*

(c) *C. cumana 30. de elect. juncta Gloſſa verbo conſuet.*

(d) *C. 3. & 13. de præb. & dignit. extravag. ad regimen de præb. & dign.*

(e) *Cap. 1. ne Sede vacante in 6.*

(f) *C. 1. ne Sede vacante in 6.*

(g) *Gloſſ. C. hiſque de major. & obed. & C. cum olim eodem.*

(h) *Seſſ. 24 C. 16. de reform.*

(i) *Seſſ. 7. C. 10. de reform.*

(k) *C. bonæ mem. 36. de elect. C. nullus 7. diſt. 79.*

(l) *C. factus in princip. C. Novatianus, C. ſcire C. denique 7. qu. 1.*

(m) *C. coram. 35. de elect.*

(n) *C. quia propter de elect. C. ex eo 32. C. ſicuti 28. eod. in 6.*

(o) *C. cum nobis 19. de elect.*

(p) *C. quod ſicut de elect.*

(q) *Dict. cap. quod ſicut, & C. ſi cui eligendi 23. de elect. in 6.*

(r) *C. quia propter §. illud autem de elect.*

eligendum conſtituere in ſolidum; non quidem, ut ſimul admittantur, ſed ut qui in ſuffragio ferendo prævenerit, præferatur; (*a*) aut, ſi nemo præveniat, is vincat, qui a majori parte Capituli admittetur; vel ſi Capitulares convenire nequeant, is, qui prior in inſtrumento procurationis nominatus invenitur. Cum vero quis nomine alterius eligit & ſuo, non poteſt ancipiti conſcientia dividere ſuffragia in diverſos, ſed conferre debet in eundem tam ſuffragium ſuum, quam alterius; niſi ad certam perſonam eligendam fuerit conſtitutus. Per literas porro fas non eſt ferre ſuffragium; ne quis jus hoc exerceat ante ſcrutinium: cum in ipſo tantum ſcrutinio ferre ſuffragium permittatur. (*b*) Regulariter celebranda eſt Electio in Eccleſia Cathedrali, (*c*) tres intra menſes a die vacationis, ſi quidem vacet ſuprema ejus Eccleſiæ dignitas; intra ſex vero, ſi vacent dignitates minores in Eccleſiis Cathedralibus, aut Regularibus; minus enim damni ex ea mora timetur. (*d*) Quibus temporibus lapſis, eligendi facultas devolvitur ſimul cum iiſdem temporum ſpatiis ad proximum Superiorem, ab eoque ad alium, (*e*) donec ad Summum Pontificem perveniatur: ad quem Electio devolvitur ſtatim, ſi Eccleſia exemta ſit ab Archiepiſcopi juriſdictione, & Sedi Apoſtolicæ proxime ſubjecta; (*f*) quod obtinet in Præfecturis Regularium exemtis, quæ per Electionem tribuuntur. (*g*) Deficiente vero majore Canonicorum parte, ſive per abſentiam, ſive per negligentiam, ſive per renunciationem, totum eligendi jus tranſit in minorem partem, quæ integrum Capitulum repræſentat. (*h*) Electionum triplex eſt forma, per inſpirationem, cum omnes uno ſpiritu, veluti nomine ducti ad unum eligendum conveniunt; per ſcrutinium, & per compromiſſum. Per ſcrutinium peragitur Electio, quando Capitulum ex eligentium numero tres capit, qui ſecreto & ſigillatim colligant ſuffragia ſingulorum pura & certa, omnique conditione & ambiguitate vacantia: (*i*) quæ publicantur ſtatim, eaque publicatione mutandæ ſententiæ facultas adimitur. Conferuntur poſtea ſuffragia & numerantur, ut ejus Electio prævaleat, in quem major, & ſanior pars Capituli conſenſerit: ut non modo numerus, ſed & ſapientia, & zelus electo faveat: niſi duplo ſuperetur pars melior a majore; tum enim vincet pars major. Quæ tamen, ſi ſcienter elegerit indignum, tam dolus eorum electo nocebit: iſque præferetur, quem pars melior, & minor dederit. (*k*) Per compromiſſum fit Electio, cum Capitulum omne jus ſuum transfert in alium, ſive ex ſuo corpore, ſive extraneum, vel in plures, ut illius, aut eorum ſit arbitrium eligere, (*l*) qui arbitri ad eligendum ſumti, mandati formam obſervare coguntur, ſi quidem Electionem factam velint ſubſiſtere. [*m*] Impeditur Electio per appellationem, quæ non præcedere poteſt Electionem, ſi non eo intendatur, ne Electio fiat omnino; verum ad eum tantum finem interponatur, ne fiat contra Canonum præſcriptum. Ut autem appellationes ab Electionibus recte procedant, exponendæ ſunt objectiones in inſtrumento publico; eæque jurejurando confirmandæ, tactis Evangeliis. [*n*] Quæ forma, requiritur in appellationibus extrajudicialibus, non in judicialibus, ubi difficilius fraudes obrepunt. [*o*] Cæterum, ne, ſublatis Electionibus, quidquam utilitatis earum deſideretur, Sac. C. Trid. novam viam aperuit, qua per examen ad perfectam cognitionem perveniatur illius, quem Summus Pontifex creaturus eſt Epiſcopum. (*p*) Cujus examinis plenior forma traditur ab Urbano VIII. in Conſtitutione, quam invenies apud Nicolaum hoc tit. Peracto autem hoc examine, probationes collectæ, actuſque omnes

(*a*) *C. ſi quis juſto 46. de election. in 6.*
(*b*) *Ibid. C. quia propter de elect.*
(*c*) *C. quod ſicut 28. in princip. verſ. cum juxt. de elect. & C. qua fronte de elect.*
(*d*) *C. ne pro defectu de elect. & C. 2. ubi Abbas de Conc. præb.*
(*e*) *C. quia diverſitatem de præb. d. C. ne pro defectu, ubi Abbas & C. 2. de elect. in 6.*
(*f*) *C. licet de ſuppl. neglig. Prælat.*
(*g*) *Clem. 1. de ſuppl. neglig. Prælat. C. cum ſingula de præbend. in 6.*
(*h*) *Abbas cap. congregato 53. num. 3. & 4. de elect. & C. gratiam nu. 5. 8. & 9. de ſuppl. neglig. Præl.*
(*i*) *C. quia propter C. cum terra de elect. & C. 2. eodem in 6.*
(*k*) *C. Eccleſia veſtra 57. eod. & C. ſi quando de elect. in 6. C. congregato, ubi Gloſſa de elect.*
(*l*) *C. cauſam 8. C. cum in cauſis 30. C. cum in jure 33. C. cum in veteri 52. C. quia propter, ubi Abba. de electione.*
(*m*) *C. cum dilectus, ubi Abbas eod.*
(*n*) *C. ut circa de elect. in 6.*
(*o*) *C. Conſtitutio eod. in 6.*
(*p*) *Seſſion. 24. C. 1. de reformat.*

omnes traduntur uni ex Cardinalibus, ut ea in Conſiſtorio ad Summum Pontificem referat; quæ præconizatio dicitur: poſteaque in altero judicium de promovendo fertur, quæ dicitur præpoſitio, quam ſequitur decretum, quod a Summo Pontifice, conſultis Cardinalibus, interponitur. Ac forma quidem C. *quia propter* complectitur tam Electiones Epiſcoporum, quam Præſulum Regularium: de quibus ſpecialia quædam ſanciuntur a Conc. Trid. [*a*] nam vetuit publicari eligentium nomina, juſſitque, ut major tantum numerus prævaleret: nam, ſuppreſſis nominibus, ignoratiſque meritis eligentium, tantum numerus cum numero, non merita cum meritis conferri queunt. Eodemque Cap. S. C. Trid. in electione regularium ſublatæ cenſentur Electiones per inſpirationem, & per compromiſſum, ut Sacra Congregatio declaravit. [*b*] Cavit item Sacra Congregatio, ne Abbatiſſæ, aut Prioriſſæ, aliæque Monialium Præfectæ creentur, niſi quadragenariæ, & quæ octennium ſaltem Religioſæ Profeſſionis exegerint; vetuitque, ne Epiſcopus, aut qui ejus mandatu præeſt electionibus Monialium Clauſtra earum ingrediatur, ſed juſſit, ut e feneſtella ſuffragia colligat, & præſit Electionibus. Sacra item (*c*) Congregatio Cardinalium cavit, ne in electionibus Præfectarum Monialium Provincialis Ordinis, aut alius quivis regularis virilis ſexus ſuffragium ſuum miſceat. In Italia non licet Abbatiſſas eligere, niſi ad triennium; neque eam, quæ electa jam fuit, iterum eligere permittitur, niſi triennium aliud ab officio vacaverit. [*d*] Vicarius item Capitularis ſecretis ſuffragiis, perinde ac Prælati Regularium, eſt eligendus. Specialia vero, ut ejus poteſtatis ſummitatem decet, recepta, ſunt circa Romani Pontificis electionem, quæ præcipuo libello continentur; ubi Canones, & Conſtitutiones omnes, ſive veteres, ſive recentiores huc ſpectantes concluduntur; ut ſupervacuum, longumque ſit ea referre.

TITULUS VII.

Qui eligere, eligive poſsint.

CAuſæ omnes, quibus eligendi poteſtas aufertur, vel ad naturam referuntur, vel ad legem. Natura prohibentur impuberes ob inopiam conſilii. [*e*] Lege vero excluduntur, qui excommunicatione majori tenentur, & qui non a Canone, ſed ab hominis poteſtate ſuſpenduntur, ſive ad tempus prohibentur fungi munere ſuo; item, qui dicuntur irregulares, hoc eſt ordinis exercitium amiſerint, & conſequenter jus ſuffragii annexum ordini. (*f*) Sunt vero aliquot, qui eligendi facultate non perpetuo, ſed ad tempus deſtituuntur: quales ſunt, qui inter eligentes ſuffragia laicorum admiſerunt, quæ dicitur *Electio per abuſum ſecularis poteſtatis*, ex qua electio irritatur. [*g*] Item, qui formam contentam in Cap. *quia propter* contemſerunt, qui prohibitos per Canones elegerunt, veluti minorem, illegitimum, infamem, *h*) qui omnes ſuffragio quidem ea vice, per triennium vero Eccleſiaſtici ſui muneris exercitio carent; (*i*) & ſi pars eorum elegerint dignum, ad eos omnis eligendi facultas tranſit, ſi vero indignum elegerint omnes, tum electio devolvitur ad Superiorem Præſulum ex ordine poteſtatis. [*k*] At ſi elegerint inhabilem, qui erat poſtulandus, & integrandus a Summo Pontifice, antequam eligeretur; tum itidem, ſi pars eorum illa electione abſtinuiſſent, omnis ad eos, qui abſtinuerunt eligendi facultas migrat; ſi elegerint omnes, facultas devolvitur ad Superiorem, a quo electum poſtulare debebant. [*l*] Ut vero quis creetur Epiſcopus, exiguntur juſta ætas, nempe XXX. annorum [*m*] abſolutorum, juſtique & legitimi natales, (*n*) & ſana religio, & morum virtus, & idonea ſcientia, [*o*] ut Doctor, vel Licentiatus ſaltem in Theologia, vel Jure Canonico publicæ alicujus Academiæ teſtimonio

(*a*) *C. 6. ſeſſ. 25. de Regular.*
(*b*) *Apud Nicolaum titul. de elect. n. 6.*
(*c*) *Die 7 Martii 1677.*
(*d*) *Nicol. tit. de elect. n. 71.*
(*e*) *C. ex eo 3. de elect. in 6.*
(*f*) *C. is, cui de ſent. excom. Pelin. ad cap. Apoſt n. 16. v. dum autem dicitur de excep. C. illa quotidiana 39. ubi DDr C. fin. de procur. C. ult. de Cler. excom. min.*

(*g*) *quiſquis 43. de elect.*
(*h*) *C. cum in cunctis de elect.*
(*i*) *Dict. C. § ult.*
(*k*) *Gloſſ. C. perpetuo 7. de elect. in 6.*
(*l*) *C. bonæ 23. de elect.*
(*m*) *Conſtitut. Gregorii XV. 15. Maji 1591.*
(*n*) *C. cum in cunct. de elect.*
(*o*) *C. cum nobis 19. eod.*

monio perhibeatur. [a] Unde rejiciuntur criminoſi, hæretici, ſchiſmatici, excommunicati; & qui ſcienter elegit indignum, eligi per triennium ipſe vetatur. [b] Rejicitur, qui ſaltem ſex ante menſes, quam eligatur, ſacros Ordines non ſuſceperit [c] & qui aliam Eccleſiam, aut alicujus beneficii curati titulum retinet, niſi dimittere velit. [d] Ad Parochialem autem Eccleſiam, ſive in titulum, ſive in commendam adminiſtrandam nemo idoneus reputatur, niſi XXV. attigerit annum, & ſacros Ordines intra annum ſuſcipiat. [e]

TITULUS VIII.

De Poſtulatione.

Poſtulatio eſt ejus, qui non aliquo corporis, aut animi vitio, ſed ex aliquo Canonico impedimento eligi nequit, concors a Capitulo apud majorem poteſtatem facta petitio. Eaque duplex eſt, ſimplex, & ſolemnis. Simplex eſt, cum eligendus eſt aliquis, quem eligere non licet ſine conſenſu ejus, cui ſubeſt: ut ſi eligere velint Monachum, qui opus habet Abbatis ſui venia, quæ Electio confirmatione indiget; cum ea non indigeat poſtulatio ſolemnis. Poſtulatione enim a S. Pontifice admiſſa, is, qui poſtulatur, pro electo & confirmato habetur. [f] Unde poſtulatio ſolemnis eſt, per quam apud Superiorem poteſtatem petitur remiſſio alicujus canonici impedimenti, quo perſona poſtulata irretitur. Nam præter eos, qui neque eligi, neque poſtulari queunt, ſunt, qui, etſi eligi non poſſunt, poſſunt tamen poſtulari, ut eligantur, qualis eſt Epiſcopus, qui ad alium Epiſcopatum poſcitur, aut qui juſtam ætatem non habet, nempe minor XXX. nam qui minor ſit XXVII. ne poſtulari quidem Epiſcopus poteſt: ſicuti neque ullus ex Ordinibus mendicantium. [g] Fiet & poſtulatio per ſcrutinium, conſtareque debet omnibus, aut majori parte ſuffragiorum: & ſi pars poſtulaverit aliquem, pars vero elegerit, tum poſtulatio Electioni præfertur, ſi numerus poſtulantium duplo excedat numerum eligentium: [h] quæritur jus poſtulato, ex eo die, quo eam admiſit ſuperior poteſtas; ſine cujus conſenſu eam jam Superiori oblatam non licet revocare. [i] Non minus vero poſtulatio examinanda eſt, quam Electio, eandemque exigit formam; (k) is autem Superior adiri debet a poſtulantibus, qui jus habet confirmandæ Electionis [l].

TITULUS IX.

De Confirmatione Electionis.

Quamvis olim pro electionis confirmatione adeundus erat proximus Superior, puta pro confirmatione Epiſcopi Archiepiſcopus; nunc tamen, ſepoſitis mediis poteſtatibus, aditur tantum Summus Pontifex. Igitur electio facta offerri ſtatim debet electo, cui menſis ad deliberandum datur: intra quem, ſi non conſenſerit, amittit jus omne ſibi ex Electione quæſitum & ad aliam Electionem aperitur via. [m] Electus vero, ſi adſentiatur, ex Nicolai III. conſtitutione vel ipſe, vel ejus mandato alius [n] ad Sedem Apoſtolicam iter intra menſem arripere debet, ſumto tempore ad itineris longinquitatem neceſſario. Confirmationem autem præcedet ante Superiorem examen, tum circa formam Electionis, tum circa perſonæ merita exigenda ad præſcriptum Concil. Trid. [o] & Conſtitutionis Gregorii XIV. incip. *Onus Apoſtolicæ*. Regulariter ante impetratam confirmationem jus non eſt electo ſe immiſcere negotiis ullis ejus Eccleſiæ, ni quæſito jure velit excidere. [p] Accepta vero confirmatione, oblatoque teſtimonio literarum, quibus ea continetur, electo, priuſquam conſecretur, licet exercere tantum ea, quæ ſunt juriſdictionis. [q]

TI-

(a) *Conc. Trid. ſeſſ. 22. C. 2. de reform.*
(b) *C. cum in cunctis C. cum Vinctonenſis C. per inquiſitionem de elect.*
(c) *Conc. Trid. ſeſſ. 22. C. 2.*
(d) *Conc. Trid. ſeſſ. 7. C. 2.*
(e) *C. cum in cunctis §. inferiora de elect. C. licet Can. eodem in 6. & C. nemo ibidem.*
(f) *Abbas C. 1. in rubr. & column. ult. n. 34. de poſtulat.*
(g) *Cap. diſpendiis extravagan. comm. de poſtul.*
(h) *Cap. ſcriptum de elect.*
(i) *C. bonæ, ubi Hiſt. & Abbas de poſtulat.*
(K) *Abbas in Cap. quia propter col 3. de elect.*
(l) *Abbas C. 11. num. 10. hoc tit.*
(m) *C cupientes 16. in princip. & §. ceterum de elect. in 6. C. quam ſit, ubi Gloſſ. v.* conditio.
(n) *C. nihil §. ceterum de elect.*
(o) *C. 1. ſeſſ. 24. de reformat.*
(p) *C. avaritia de elect. in 6.*
(q) *C. accedentibus de exceſſ. prælat. ubi Abbas num. 4. C. injuncta extravag. conſ. de elect.*

TITULUS X.

De Conſecratione.

IN electum ea, quæ ſunt ordinis Conſecratione transferuntur. Peragenda eſt autem Conſecratio, ex Conc. Nicæno, ab omnibus, aut tribus ſaltem Provinciæ Epiſcopis juſſu Archiepiſcopi, aut rectius ab ipſomet una cum omnibus, aut duobus ſaltem ſuffraganeis; ac, ſi ordinandus ſit Archiepiſcopus, adeſſe debent ſuffraganei omnes, aut ſaltem tres eum ordinaturi; at, ſi nonniſi unus in Provincia inveniatur Epiſcopus, duo ſaltem e finitimis arceſſentur. (*a*) Exemti vero, quique ſoli Apoſtolicæ Sedi ſubjiciuntur, vel ab ipſo Pontifice, vel a tribus Epiſcopis juſſu Summi Pontificis conſecrantur. Poſt Conſecrationem autem omnia, quæ habebat Epiſcopus, beneficia vacant. [*b*] Tempus autem, intra quod ex Sac. Conc. Trid. præſcripto [*c*] electus Epiſcopus eſt conſecrandus, ſunt tres menſes, quibus elapſis, ſi conſecrati non inveniantur, perceptos fructus amittent, delatas ipſas Eccleſias ipſo jure amiſſuri, ſi tres alios ultra menſes Conſecrationem protraxerint. Celebrandaque eſt Conſecratio in ipſa, cui præeſſe debet, Eccleſia, vel in Provincia, ubi ei commodum fuerit, ſi actus hic exercendus ſit extra Romanam Curiam: ſolemnis Conſecrationis dies eſt Dominicus, hora tertia, qua ſcimus Spiritum Sanctum e Cœlo delapſum: [*d*] præmittique debet antecedenti die jejunium, tam a conſecraturo, quam a conſecrando obſervandum, qui item conſecrandus initio ejus actus religionis, & morum examen ſubire debet; [*e*] poſteaque adhibetur ea Conſecrationis forma, quæ præſcribitur in Concilio Carthaginenſi IV. (*f*) hoc nempe ritu. Duo Epiſcopi Evangeliorum Codicem ſuper humeros, & cervicem ejus, qui conſecratur, impoſitum tenent, & unus, qui primas inter duos Epiſcopos ſibi adjunctos agit partes, fundit ſuper eo benedictionem; aliis caput illius manu tangentibus, ac ſolemnibus precibus adhibitis, ejuſdemque capite, ac manibus Sacro Chriſmate delibutis. Quibus omnibus peractis, juramentum fidelitatis Gregorii VII. verbis conceptum Pontifici Romano præſtatur. [*g*] Abbatibus autem Conſecrationis loco benedictio tribuitur. [*h*] Abbatiſſæ, ſi intra annum a Conſecratione ſua benedictionem petere negligant, excident omni jure, quod adquiſiverant.

TITULUS XI.

De receptione, & auctoritate Pallii.

PAllium, quod in tanta ſuæ originis obſcuritate aliqui putant, fuiſſe torquem, & ornamentum Imperatorium, nunc inter inſignia ſacra relatum, [*i*] eſt humerorum amiculum ex agni lana candida, demiſſum e collo ad pectus & humeros, per quatuor faſciolas utrinque pendentes, cujus extremis nigræ cruces intexuntur: ſignificans paſtoralis officii pro ovium ſalute ſollicitudinem, [*k*] & amplitudinem poteſtatis: cum ſit proprium inſigne Metropolitanorum, ſumtum ex Altari, ubi conditur B. Petri corpus; adeout ex eodem B. Petri corpore ſumtum vulgo dicatur. [*l*] Idque ita deſcribitur a Sleydano. [*m*] In die Agnetis Virginis, qui eſt Januarii XXI. in templo D. Agnetis Romæ, cum in Miſſa imploratur Agnus Dei, ſuper Altare ponuntur agni duo candidi, poſtea traduntur Baſilicæ D. Petri Subdiaconis; hi mittunt illos in paſcua, ſuoque tempore tondent, ex eaque lana permiſta reliquæ lanæ, cum in filum deducta fuerit, parantur Pallia. Latitudine ſunt ad tres digitos, ab humeris propendent in pectus, atque renes: adextremum ſunt laminæ plumbeæ tenues ejuſdem latitudinis; ad hunc modum contextæ deferuntur ad corpora D. Petri, & Pauli, ac certis ibi precibus expeditis relinquuntur per noctem unam; altero die Subdiaconi recipiunt, & honeſto loco diligenter aſſervant. -- Epiſcopis Pallium non convenit, niſi

(*a*) *Con. Apoſtolica can. mos antiq. diſt. 65. can. Epoſcop diſtinct. 64. per totam. can. octius diſt. 65. Cap. Archiepiſcop. 6 & ſeq. de ordin.*

(*b*) *C. cum in cunctis §. cum vero de elect.*

(*c*) *Seſſ 23 C. 2. de reform.*

(*d*) *C. ordinationes Epiſc. ubi Gloſſ. diſt. 75.*

(*e*) *C. qui Epiſc. 2 diſt. 23.*

(*f*) *Can. Epiſc. ead. diſt.*

(*g*) *C. ego de jurejur.*

(*h*) *Clem. 2. ſtatuimus de ſtatu monach. C. 1. de ſuppl. negl. Prał.*

(*i*) *Polydor. Virg. de invent. rer. lib. 4. C. 12.*

(*k*) *Peluſiot. l. 1. Epiſt. 136.*

(*l*) *Canon. ſignificaſti de electiion.*

(*m*) *Lib. 3. commen. anno 1541.*

niſi ex privilegio admodum paucis : nempe Hoſtienſi , Papienſi , Lucenſi , Quinquaeccleſienſi , Bambergienſi . (*a*) Pallio autem Archiepiſcopale munus adhæret , ut ne nomen quidem quis Archiepiſcopi mereatur , antequam Pallium receperit , (*b*) ſine quo prohibetur Concilium Provinciale convocare, Chriſma conficere , conſecrare Epiſcopos, aliaque gerere, quæ cum Miſſæ ſacrificio ſunt obeunda , (*c*) etſi poſſit Epiſcopis aliis ſibi ſubjectis permittere, ut ſuffraganeum conſecrent. [*d*] Petendum Pallium eſt intra tres menſes a Conſecratione , & quidem enixis precibus , neque illius conceſſio eſt aliqua criminis objectione retardanda ; niſi accuſatores ſe pœnis, ſi ſefellerint, offerentes, crimen intra duos menſes promiſerint probaturos : (*e*) dandoque Pallio , fidei & obedientiæ juramentum erga Summum Pontificem ab Archiepiſcopo exigitur. (*f*) Porro ſolus Summus Pontifex, utpote cujus juriſdictio in omnem orbem terrarum effunditur , Pallio ubique utitur , & ſemper ; cæteri nonniſi ſuæ intra juriſdictionis fines, ſtatis certiſque diebus , in ſolemni miſſarum celebratione, nempe in Chriſti die Natali, die feſto S. Stephani, S. Joannis, Circumciſionis Domini , Epiphaniæ , Palmarum , in Cœna Domini , Sabbatho Sancto , tribus diebus Reſurrectionis, Pentecoſtes , in feſto Sancti Joannis Baptiſtæ , & omnium Apoſtolorum , in tribus diebus feſtis B. Mariæ , in Commemoratione omnium Sanctorum , in dedicatione Eccleſiarum , in præcipuis feſtis diebus Eccleſiæ Archiepiſcopalis , in ordinatione Clericorum , in Conſecrationibus Epiſcoporum, & in die anniverſaria, quam celebrat Archiepiſcopus propriæ Conſecrationis . (*g*) Cæterum ipſam Archiepiſcopi perſonam , eandemque Eccleſiam Pallium non egreditur; adeout neque alteri ſit commodandum , & cum eo ſimul ſit humandum , & ſi mutet Eccleſiam , pro nova Eccleſia novum ſit, tam ei quam ſucceſſori ſuo impetrandum

TITULUS XII.

De vita, & honeſtate Prælatorum.

PRæter communes virtutes, quibus abundare oportet Epiſcopum , ſunt & præcipua quædam, quæ munus ſuum comitantur . Etenim non ſolum ipſe criminibus vacare debet Epiſcopus, ſed quamlibet aliorum offenſionem, ſive, ut ajunt, ſcandalum, & ſuſpicionem declinare: ne per eum alii deteriores reddantur, per quem deceret fieri meliores. Unde effugere debet & criminoſos, ne ſuo commercio vitam eorum adprobare cenſeatur : & ne ſibi reverentiam ipſe minuat, frequentiam quoque aliorum ac nimiam familiaritatem vitabit. Temperabit vero manſuetudine poteſtatem, prudentiamque, ac dexteritatem ad concordiam , & conciliationem diſſidentium animorum adhibebit, pacem litibus anteponens. (*h*) Opes ad pauperum levamen & ad excipiendos hoſpites , non ad inanes ſumtus conferet. Tempus, quod ei ſupereſt , vel orando, vel concionando traducet . Severitatem caritate mulcebit. Indumenta culta & munda ſumat ; quæ luxu ſimul careant & ſordibus , ut invidiam pariter & contemtum caveat , eoque geſtu ſe atque habitu oris proferat; ut condita in animo virtus exterioribus ſignis ad aliorum imitationem explicetur. (*i*)

TITULUS XIII.

De officio Archidiaconi.

ARchidiaconus eſt Epiſcopi Vicarius a jure conſtitutus , oculus etiam Epiſcopi appellatus , (*k*) propter latam adminiſtrationem , & in rebus gerendis poteſtatem : quam oportuit poſtea , utpote ſuſpectam, & ipſimet Epiſcopo periculoſam, extenuare, diviſa poteſtate in Vicarium, quem appellant Generalem , qui ab ipſomet Epiſcopo mandatam habet juriſdictionem . Priſcis enim temporibus, exceptis Sacramentalibus muneribus , omnia ſub Archidiaconi pote-

(*a*) *Vid. Vallens. hoc tit §. 1. num. 6.*
(*b*) *C. niſi de auctor. & uſu Pallii.*
(*c*) *Hoſt. in ſumm. h. tit. C. quod ſicut 18. § Præterea C. ſignificaſti 3. de elect. diſt. 100. per tot.*
(*d*) *C. ſuffraganeis de elect.*
[*e*] *Extravag. comm. malitiis de auct.*
[*f*] *Can. optatum diſt. 100.*

(*g*) *C. ult. de fer. C. pronunciandum de Conſecr. diſt. 3 Gloſſ. C. ad honorem ver. ad honorem de auctorit. & uſu Pallii C. 2. eod.*
[*h*] *C. licet plerumque diſt. 45.*
[*i*] *Diſt 40. per tot. Clem. 2. de vita, & honeſt. Præl.*
[*k*] *Can. 1. Can. ad hoc de off. Archid.*

poteſtate manebant; qui ob auctoritatem rerum gerendarum & juriſdictionem Archipresbytero antecellit, quamvis hic ordine præſtet; cum ille non aſcendat ſupra ordinem Diaconorum. Nunc autem, creatis Vicariis, Archidiaconi munus depreſſum eſt, ac varie mutatum pro conſuetudine locorum: ut de jure communi, ubi non obſtet præcipua conſuetudo, partes illius ſint hæ, quas referemus, dum ſimul, quid ad hoc munus exigatur, explicabimus. Ac primo ex S. C. T. requiritur, ut promovendus ad Archidiaconatum ætatem habeat XXV. annorum, (*a*) ſitque dimiſſus, vel, ut vulgo ajunt, licentiatus e ſtudiis vel Theologiæ, vel Juris Canonici. (*b*) Dum autem res divina ſolemniter peragitur, Archidiaconi eſt munera ſacra in Eccleſia Diaconis & Acolytis tribuere, & Epiſcopo celebrante Evangelium prælegere, aut alteri Diacono mandare prælegendum. Ejus item eſt Epiſcopo abſente ac probante, tertio quoque anno luſtrare, ſive viſitare Diœceſim, & Parochias annis ſingulis, ut minores errores corrigat; majora vero crimina rejiciat ad Epiſcopum, (*c*) Ad Archidiaconi quoque curam pertinet examinare vocatos ad Ordines ſacros, vel ad curam Eccleſiarum Diœceſeos, quos ille ſiſtit, & offert Epiſcopo: (*d*) & item cuſtodire opes Eccleſiæ, atque immittere in poſſeſſionem eos, quibus beneficia conferuntur. (*e*) Prohibetur tamen excommunicare, (*f*) literas dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos dare, (*g*) Monaſteria viſitare. Etſi vero propter dignitatem ordinis, ut diximus, in re divina peragenda præcedat Archipresbyter Archidiacono: ſi tamen hic, quamvis Diaconum profiteatur, ſit etiam Sacerdos, tum, quia ordine par eſt Archipresbytero, & juriſdictione major, etiam in celebratione Sacrorum præferetur. (*h*)

TITULUS XIV.

De officio Archipresbyteri.

ARchipresbyter eſt Caput Sacerdotum, qui vocantur Presbyteri, ſive ſeniores. Is, Epiſcopo abſente, locum ſubit illius in re divina facienda, ſive celebranda Miſſa, aliiſque divinis officiis; dictus Archipresbyter urbanus, ſi munus hoc exerceat in Cathedrali, ſive in Civitate; ruralis vero in minoribus Oppidis appellatur, ſive Decanus, quod decem præſit rura implentibus Clericis. (*i*) Archipresbyteri munus eſt peragere ſacrum, & adminiſtrare Sacramenta, vel alii peragenda, & adminiſtranda mandare, dum ne rem ſacram mandet in fraudem primæ Dignitatis; (*k*) docere item rectam vivendi normam Sacerdotes, & pœnitentem infirmum conſulto Epiſcopo conciliare: (*l*) prout late fuit explicatum a Sacra Rota in deciſione, quam affert Barboſa; (*m*) habetque in ſubjectos ſuos admonendi, non coercendi poteſtatem, niſi Epiſcopo jubente.

Tam autem Archidiaconus Diaconatum, quam Archipresbyter Sacerdotium intra impetrati muneris annum impetrare debent. (*n*)

TITULUS XV.

De officio Vicarii.

INvaluit ſeculo præſertim XII. conſuetudo creandorum Vicariorum, qui & officiales appellantur, & Vicarii generales. Neque ex laicis, (*o*) neque ex ordine mendicantium licet ſumere Vicarium, (*p*) neque ex Clericis conjugatis, (*q*) neque ex minoribus XXV. annis, (*r*) neque ex conſanguineis Epiſcopi, ut Sacra Congregatio reſpondit in una Tarentina 6. Aprilis 1655. In conſtitutum autem Vicarium tranſit omnis

[*a*] *C. cum in cunctis §. inferiora de elect.*
[*b*] *C. T. ſeſſ. 23. c. 12.*
[*c*] *C. 1. ubi Gloſſ. de off. Archid. verſ. de tertia C. mandamus. C. ad hac eod.*
[*d*] *C. ut noſtram eod.*
[*e*] *C. 5. h. tit. C. licet de pœni. C. dudum de elect.*
[*f*] *C. ſignificaſti h. tit.* [*g*] *C. ult. h. tit.*
[*h*] *Vid. apud Nicol. h. tit. decretum S. Rituum Congregationis, & Rota in una Viterbien. de celebr. miſſ. 11. Decembr. 1609.*
[*i*] *cap. 1. de offic. Archipresb. eod. C. ad hac 7. de off. Archidiacon.*

[*k*] *S. Congr. apud Barboſ. de can. & dignit. c. 5 num. 46. & ſeq.*
[*l*] *C. ut ſingula Can. miniſterium: C. officium de off. Archip.*
[*m*] *De Canon. & dign. c. 6. num. 32.*
[*n*] *Clem. 2. de ætat. & qual c. 1. diſt. 60.*
[*o*] *C. in novam 16. q. 7.*
[*p*] *Clem. ut ſi 2 v. ad prioratum de reſcript. Rebuf. in praxi tit de Vicariis Epiſcop. n. 30.*
[*q*] *C. 2. de Cleric. conjug.*
[*r*] *C. cum in cunctis 7. §. inferiora de elect. Vall. hoc tit. §. 3. neque.*

omnis juriſdictio, ſive ſpiritualis, ſive temporalis, quæ jure ordinario competit, excepta collatione beneficiorum, quæ vi generalis commiſſionis non transfertur, & facultate recipiendarum reſignationum; item facultate cogendæ Diœceſanæ Sinodi, Diœceſis viſitandæ, dimiſſorias dandi, res Eccleſiaſticas alienandi, feudales cauſſas cognoſcendi, recipiendi juramentum Epiſcopalium Vaſſallorum, indulgentias concedendi, & ea, quæ ſunt Epiſcopalis ordinis exercendi. Excipiuntur etiam a generali mandato, quo Vicarius conſtituitur, omnia, quæ competunt Epiſcopo jure ſpeciali, item, ex multorum ſententia, cognitio cauſſarum matrimonialium, (a) & cauſſarum criminalium ultra inquiſitionem & levem coercitionem. [b] A Vicario autem generali ad Epiſcopum non appellatur, quia cum eo conſtituit unum tribunal; cumque mandatam habeat juriſdictionem, fungitur vice mandantis; ideoque videretur ab Epiſcopo ad eundem Epiſcopum appellari. Extinguitur Vicarii juriſdictio, ſi Epiſcopi juriſdictio extinguatur, ſive morte, ſive captivitate, ſive pœna, & denique voluntate Epiſcopi ſi eum amoverit, aut ipſius Vicarii, ſi munus depoſuerit. Eſt & aliud genus Vicariorum cum aliqua juriſdictione, qui appellantur Foranei, quique ab Epiſcopo conſtituuntur in minoribus Oppidis; cum Generalis ubique adeſſe non poſſit. Hi propter locorum diſtantiam ſeparatum ab Epiſcopo tribunal habent ideoque ab iis ad Epiſcopum appellatur. Sunt & Vicarii, qui in divinis, nempe in Sacramentorum adminiſtratione loco Parochi, vel occupati, vel abſentis, dicuntur conſtituti ad tempus, vel in perpetuum, prout neceſſitas poſtulat, cum congrua fructuum portione, adprobante Epiſcopo, ex ipſius Parochiæ redditibus detrahenda. (c) Sunt item Vicarii, qui Apoſtolici nuncupantur, ab Urbe miſſi, ut adminiſtrent vice Epiſcopi, vel abſentis, vel rei alicujus gravis criminis, vel aliam neceſſariam ob cauſam.

TITULUS XVI.

De Coadjutore.

EPiſcopis aut egrotantibus, aut furentibus, aut alia juſta ratione adminiſtrandæ Eccleſiæ facultate carentibus datur olim perpetuo, nunc autem, ne commoveatur deſiderium alienæ mortis, datur ex Conc. Trid. ad tempus Coadjutor, qui perinde atque ipſe Epiſcopus titularis in Eccleſia reſideat, attributa ei certa fructuum portione, ſi utrique ſufficiant; ſin minus, pro Coadjutore remanebunt ii fructus, qui ſuperſunt ex neceſſaria ſuſtentatione Coadjuti, at ſi Coadjutori ſatis non ſit, quod deeſt, ex Parochianorum ſubſtantiis, aut alicunde ſupplebitur.

Quod ſi evidens Eccleſiæ utilitas perpetuam Coadjutorem poſtulet, cauſa cognita, a Summo Pontifice concedetur.

TITULUS XVII.

De Chorepiſcoporum uſu ſublato.

CHorepiſcopi, ſive Epiſcopi locorum erant, qui in eadem Diœceſi gerebant in minoribus Oppidis munus Epiſcopi in majori Civitate manentis, cum poteſtate quidem Presbyterali majore, minore vero Epiſcopali: nam tantum minores ordines conferebant, non vero ſacros, & a gravioribus negotiis abſtinere debebant. Sed cum intra ſuæ poteſtatis fines non ſe continerent, & Epiſcopalem auctoritatem perturbarent, evenit, ut is ordo primum ex Oriente, poſtea ex Occidente tolleretur, ac tandem ſub Carolo Magno, & Leone III. ab Eccleſia prorſus exularet.

TITULUS XVIII.

De Tranſlatione.

SPirituale Conjugium, quod inter Epiſcopum & Eccleſiam contrahitur, ſolvitur per tranſlationem ejuſdem ad aliam Eccleſiam, cum qua novum conjugium initur. Transfertur autem Epiſcopus a Summo Pontifice ad aliam Eccleſiam juſtis ex cauſſis: nempe ſi præſens Eccleſia everſa ſit ab hoſtibus, ita ut nihil Epiſcopo adminiſtrandum ſuperſit, vel, ſi Epiſcopus ita meritis præcellat, ut ſit ad majoris Eccleſiæ regimen utilior. (d) Adeo autem pendet a Summi Pontificis poteſtate tranſlatio, ut, ſi ſine illius auctoritate quis mutet Eccleſiam,

[a] *C. accedentibus 12. de exceſſ. Prel. Conc. Trid. de reform. Seſſ. 24. c. 20.*

[b] *C. penult. de officio Vicarii ibid.*

[c] *Concil. Trident. c 7. ſeſſ 7 de reformation. ſeſſ. 25. & 16. & ſeſſ. 23. c 1. cum concordan.*

[d] *C. ſuas 35. 7. quæſt. 1.*

cleſiam, non novam modo, ſed & veterem, quam regebat, amittat; (a) & ſi conſenſerit Pontifex, ut Epiſcopus transferatur ad Eccleſiam majorem, non poſſit transferri ad minorem: (b) vacatque prior Eccleſia ſtatim, atque adprobante Pontifice, quis Epiſcopus translationi conſenſerit. (c) Et hæc de majorum; nunc de minorum beneficiorum permutatione tractemus. Minora beneficia Epiſcopi, cujus in loco ſita ſunt, auctoritate permutantur, adeo ut, ſi ſub diverſis Diœceſibus ſint, cujuſque Diœceſeos Epiſcopi conſenſus exigatur. [d] Eſt autem permutatio mutua beneficiorum dimiſſio, ſive reſignatio, ut alter alterius dimittentis beneficium conſequatur, unde ſi alius reſignare nolit, alter, qui ante reſignavit, ne ſua ſimplicitate capiatur, poſſet ad reſignatum beneficium redire: (e) ac ſi neglecto Epiſcopi conſenſu, aliqui permutent, beneficia per ſententiam judicis amittent. (f) Antequam autem permutationem Epiſcopus permittat, cognoſcere debet cauſſas, propter quas petitur, & exigere conſenſum eorum, qui jus habent vel conferendi, vel eligendi, vel præſentandi ad beneficia, de quibus agitur: itemque cavere, ut in Eccleſiis permutatio publicetur, illudque omne ſervetur, quod a Gregorio XIII. præſcribitur. (g) Dum autem ſpirituale cum temporali non commutetur, omnia beneficia licebit inter ſe permutare etiamſi curatum cum ſimplici permutetur. (h) Excipiuntur beneficia unita, hoc eſt, quæ cumulata inveniuntur aliis Eccleſiis in tempus futuræ vacationis, ne fraus fiat Eccleſiis, in quarum incrementum ea unio cedit. Item excipiuntur beneficia ſummo Pontifici reſervata, quorum permutatio ſine Summi Pontificis conſenſu non permittitur, & tandem beneficia litigioſa, propter vetitam rei litigioſæ in alium translationem, pendente judicio. [i]

TITULUS XIX.

De Renunciatione.

Renunciatio, ſive reſignatio beneficiorum eſt proprii juris voluntaria dimiſſio certis ex cauſis ex auctoritate ſuperioris. Quod a priſcorum ſeculorum ſeveritate alienum, frequentari cœpit ſub Alexandro III. juſtis allatis cauſis [k] Duplex eſt autem reſignatio, tacita, quæ a jure ipſo inducitur, cum quis Clericus aut nuptias contrahit, aut beneficium ſuſcipit, priori repugnans, ſive incompatibile, ut vocant, cum altero, quod habebat: nam utroque caſu beneficium vacat: quia neque nuptiæ ſimul cum beneficio, neque duo beneficia incompatibilia in eandem perſonam cadere poſſunt. [l] Expreſſa eſt, quæ fit verbis dimittendi animum declarantibus: quæ item vel pura eſt, ſive conditione vacans, ubi nihil renuncianti ex eo beneficio reſervatur, quæ fieri poteſt coram legitimo ſuperiore, etiamſi non ſit Papa; vel conditionalis, quæ Pontificis auctoritatem requirit, [m] ut ſi quis velit retinere aliquid ex beneficio dimiſſo, vel ſi dimittit, alicui a ſe demonſtrato conferatur, aut ſi dimittendo exceperit, ut mortuo eo, in quem beneficium deſtinat, liceat renuncianti ab beneficium redire. (n) Licet autem a ſe abdicare omnia beneficia, etiam Pontificatum Maximum, ut Cœleſtinus proprio exemplo, & ſucceſſor ejus Bonifacius VIII. ſua conſtitutione ſancivit. (o) Non licet autem dimittere beneficia majora, nempe majores dignitates, & Abbatias exemtas, ſine permiſſu Pontificis, qui ſequentibus ex cauſis aſſentitur: nempe ex conſcientia criminis a dimittente admiſſi, propter quod, etiam peracta pœnitentia, eſt ei munere carendum. Deinde ex imbecillitate corporis, qua paſtoralia officia impediantur: præterea ex pervicacia plebis ſibi ſubjectæ, quæ ad parendum cogi nequeat; & ex gravi offenſione, ſive ſcandalo, quod vitari ſine Eccleſiæ dimiſſione non poſſit; necnon ex ſumma Præſulis imperitia,

(a) *C. 3. & c. 2. de transl. Epiſc.*
(b) *C licet eod.*
(c) *Piring. h. tit. §. 3.*
(d) *Andreas Gammar. de rer. permut. ſive in can. eodem in 6. n. 33. & ſeq.*
(e) *C cum. univerſorum de rer. permut.*
(f) *C. cum olim 7. de rerum permut.*
(g) *In conſtit. incip.* humano judicio.
(h) *Can. cum venerabilis, ubi DD. de except.*

(i) *Piring. in decretal. de rer. perm. §. 40.*
(k) *C. 10. de renunciat.*
(l) *C. de multa 28. de preb. can. diverſis de Clericis conjug.*
(m) *Conſt. 58. S. Pii V.*
(n) *C. quam pio, 1. qu. 2. c. cum pridem 2. ultim. de pactis. Garcia de benefic. p. 11. c. 3. §. 2. n. 152.*
(o) *C. 1. de renunc. in 6.*

peritia, & tandem ex irregularitate ab injuſtis natalibus procedente, (a) quæ omnia breviter his comprehenduntur verſibus.

Debilis, inſanus, male conſcius, irregularis.
Quem mala plebs odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

Minora vero beneficia curata recte dimittentur coram Epiſcopo, dum ne dimittantur intra triennium a capta illorum poſſeſſione, ac dummodo accedat aliqua ex cauſſis, quæ in S. Pii V. conſtitutione præſcribuntur, [b] quæ ſimiles ſunt fere ſuperioribus. Nulla porro reſignatio valebit, ſi reſignans, ſive validus, ſive infirmus, ante diem vigeſimum a facta reſignatione deceſſerit; quod ex Regula XVIII. Cancellariæ proficiſcitur. Neque, ſi de beneficio juriſpatronatus agatur, ſine patroni conſenſu reſignatio ſubſiſtit. [c] Præterea inutilis eſt reſignatio beneficiorum litigioſorum ex cauſſa ſuperius adducta, & beneficiorum unitorum, antequam unio effectum conſequatur. [d] Item beneficiorum in commendam datorum, donec tradantur in titulum, & penſionem Eccleſiaſticam, ne illarum vacatio differatur. [e] Inutilis eſt etiam reſignatio in alterius fraudem intenta. Denique nulla beneficiorum Epiſcopatu minorum reſignatio ſubſiſtet, niſi ex præſcipto Conſtitutionis Gregorianæ publicetur. [f] Reſignamus etiam per procuratorem, ſive unum, ſive plures; ſive clericum, ſive laicum; dummodo facultas reſignandi, cum certi beneficii demonſtratione mandato ſcriptis tradito contineatur. [g] Ubi autem renunciandi facultas fuerit impetrata, non eſt amplius pœnitentiæ locus, [h] quamvis ad renunciatum beneficium liceat ex nova cauſſa, novaque impetratione redire, [i] ſicuti Epiſcopo fas eſt repetere Eccleſiam, quam hoſtium metu, vel ob valetudinem monachiſmo ſuſcepto reliquit, ſi cauſſæ iſtæ ceſſaverint. [k]

TITULUS XX.

De Depoſitione, ſeu Degradatione.

Exemplo exauctorationis militaris, quæ, detracto cingulo, quod erat inſigne militiæ, peragebatur; etiam Eccleſia, quæ pia, & cœleſtis militia eſt, clericorum, ſive militum ſuorum exauctorationem induxit, quam depoſitionem, ſive degradationem appellamus, in qua clerico detrahuntur inſignia clericalia ſingulorum, quos ſuſcepit, ordinum a ſummo ad noviſſimum, conceptis verbis, quæ ſententias continent oppoſitas formulis illis, quibus ſinguli ordines conferuntur, turbata etiam clericali corona per capillorum abraſionem: ut ademtum ei appareat exercitium omne, quod accepit, manente tamen ordinis charactere ac poteſtate: [l] quamvis ſeculari judici, coram quo hic actus exercetur, puniendus tradatur, ad ſecularem ſtatum redactus, adjectis precibus, ut quam mitiſſime tractetur. [m] Olim Epiſcoporum depoſitio per XII. Epiſcopos, Sacerdotum per ſex, Diaconorum itidem per tres Epiſcopos peragebatur. [n] Verum propter convocandorum Epiſcoporum difficultatem Conc. Trid. [o] Epiſcoporum degradatione in priore obſervatione relicta, de Sacerdotibus conſtituit, ut ſufficiat eis degradandis Epiſcopus, cui Sacerdos, vel Clericus ille ſubeſt, accitis, quod commode fieri poſſit, Abbatibus Mitræ ac Baculi jus habentibus. Sed non ea omni crimine funeſta hæc ſolemnitas eſt adhibenda, ſed ex enormibus tantum, ex quibus Clericus ſæculari brachio puniendus traditur: nempe hæreſeos, [p] falſationis literarum Apoſtolicarum, [q] ob calumniam & conſpirationem in ſuum Epiſcopum, [r] falſationis monetæ, [s] ob celebrationem Miſſæ, & auditas confeſſiones ſine ordine ſacerdotali; [t] ob averſam venerem; [u] ob ſur-

(a) *C. niſi cum pridem 10. de renunc.*
(b) *In Bulla, quæ incipit* quanta.
(c) *Piring. tit. de renunc. ſect. 6. §. 1.*
(d) *Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 18. de reform.*
(e) *Piring. hoc titul. ſect 2. c. 2.*
(f) *Conſtitut. Greg. XIII. incip.* humano vix jud.
(g) *Clem. unica de renunc.*
(h) *C. quidem de renunc.*
(i) *C. cum inter 2. eod.*
(k) *C. poſt transl. eod.*
(l) *C. quod quidam 5. qu. 1. c. licet 31. quæſt 7.*
(m) *C. 2. de pœnis in 6. c. novimus de verb. ſignif.*
(n) *Can. felix 15.*
(o) *C. 4. ſeſſ. 13. de reform.*
(p) *Can. ad abolendam, ubi Gloſſ. de hæret.*
(q) *C. ad falſarior. de crim. falſi.*
(r) *C. ſi quis Sacerdotum 55. quæſt. 1.*
(s) *Urban. VIII Conſt. 1.*
(t) *Clem. VIII. Conſt. 81.*
(u) *Pius V. Conſt. 72.*

ſurreptam ſacram, in qua Euchariſtia conditur, pyxidem. (*a*) Eſt & depoſitio, quæ appellatur verbalis per ſententiam judicis in minoribus delictis, per quam neque ſeculari Clericus traditur, nec privilegia ordinis amittit. (*b*)

TITULUS XXI.

De Sacerdotibus in inferiori ordine conſtitutis.

PRoximus Epiſcopali ordini Presbyteralis eſt, ſive ordo minorum Sacerdotum, quos tum Chriſtus inſtituit, cum LXX. diſcipulos creavit; in quorum locum Presbyteri ſucceſſerunt; minores Epiſcopis in Apoſtolorum locum ſuccedentibus. Presbyterorum poteſtas partim ex ordine trahit, partim ex jurisdictione. Trahit ex ordine Divini Corporis conſecrationem, prædicationem Divini Verbi, & infirmorum Unctionem. Trahit ex juriſdictione poteſtatem ligandi, ſolvendique animas; quod autem juriſdictionis Presbyteri habent, nempe facultatem dimittendi peccata, & retinendi, poteſt Epiſcopus arbitrio ſuo vel inhibere, vel contrahere, ſive reſtringere, vel laxare: præterquam in mortis articulo, quo caſu Presbyteri in morientem liberam habent dimittendorum peccatorum poteſtatem. (*c*)

Invenitur & Presbyterarum nomen, quæ uxores erant Clericorum ante Presbyteratum ductæ, poſt Presbyteratum ſororum loco habebantur; (*d*) quo etiam nomine gaudebant vetuſtiores viduæ ſacris addictæ miniſteriis. (*e*)

TITULUS XXII.

De iis, qui ſunt in Sacris conſtituti.

PResbyteris minores gradu ſunt Diaconi. Diaconus eſt idem, ac latine miniſter: quia olim non modo rei ſacræ, ſed & civilibus Eccleſiæ negotiis vacabant, inſtituti ab Apoſtolis, ut in eos deponerent rerum temporalium curam: ideo priſcis temporibus in ſingulis Urbibus creabantur ſeptem, quia totidem Apoſtoli Hieroſolymis creaverant; (*f*) noſtris autem temporibus miniſteriis tantum ſacris adſcribuntur, Sacerdoti ſacrificanti, vel alia Sacramenta adminiſtranti operam præbentes, & in Miſſæ ſacrificio Evangelium recitantes, [*g*] urgenteque neceſſitate baptizandi, Euchariſtiæque adminiſtrandæ curum ſuſcipientes. [*h*] His veluti ſubſidiarii acceſſerunt Subdiaconi, quorum eſt munus Diacono ad altaria ſubſervire, ſacra lintea, vaſa, panem, & vinum ad uſum Sacrificii neceſſaria præparare, Epiſcopo, & Sacerdoti manus in Sacrificio abluentibus aquam effundere, in Miſſa Epiſtolam recitare, ſtrepitum, dum Sacra celebrantur, ab Eccleſia prohibere. (*i*) Cum autem ſuper ſacrorum ordinum ætate antiquitas variaverit, Concil. Trident. decreto (*k*) definitum eſt, ut nullus in poſterum ordinaretur Subdiaconus ante annum XXII nec Diaconus ante annum XXIII. neque Presbyter ante annum XXV. ætatis. Conſtituit præterea Sac. Conc. Trid. circa ſacros ordines, ut ordinandi per menſem ante ordinationem Epiſcopum adeant; cujus juſſu Parochus, propoſitis eorum in Eccleſia publice nominibus, natalem, vitam, & mores eorum exploret; (*l*) & ex ſacrorum Canonum veteri præſcripto idem Concilium juſſit, ut ante ordinationem Epiſcopus coram peritis Sacerdotibus de doctrina, moribus, ætate, ac genere ipſorum examen inſtituat.

Fuerunt olim uſque a primis Eccleſiæ temporibus & Diaconiſſæ, vel Diaconæ, quæ operam in piis muneribus præſtabant fœminis, Eccleſiæque miniſtrabant iis in rebus, ubi per pudorem ſexus licebat.

TI-

[*a*] *Innocent. XI. apud Raineld. tit. 2. C. 14 num. 3. Pignat. in C. cum non ab hom. de jud. n. 68.*

[*b*] *C. cum non ab hom. de jud.*

[*c*] *Concil. Trid. c. 15 ſeſſ. de refor. Cucchus in ſtit. major. lib 17. tit. 16. n. 45.*

[*d*] *C. 18. d. 32.*

[*e*] *Concil. Carthaginen. 4. Can. 12.*

[*f*] *C. Diaconi 11 & 12. d. 93. Can. Dominus noſter 25 §. meminiſſe ead. d.*

[*g*] *C. 1. verſ. ad Diaconum d. 25.*

[*h*] *C. præſentes d. 93.*

[*i*] *Catechiſm. de Sacrament. ord. n. 37.*

[*k*] *De reformat. Seſſion 23. C. 12.*

[*l*] *Seſſ. 23. c. 5. de reform.*

TITULUS XXIII.

De iis, qui ſunt in minoribus Ordinibus conſtituti.

INfimus Clericorum ordo eorum eſt, qui tonſura initiantur. Clerici enim, utpote obſervantiores Eccleſiaſticæ ſeveritatis, antiquos mores retinuerunt, & tondendi capitis uſum, qui veterum Romanorum erat, omnibus temporibus in Latina Eccleſia cuſtodierunt. Coronæ autem figuram tonſione capillorum in capite deſignatam gerunt, vel ut imaginem ferant ſpineæ Coronæ, quæ Chriſto fuit impoſita, vel ut notam exhibeant regiæ dignitatis, quæ vere non ab humano, ſed a divino regno defertur. Tonſura ex Sacri Conc. Trid. decreto (*a*) initiari quis nequit, niſi ſuſcepto Sacramento Confirmationis, & conſequenter ſeptem annos natus, ut tamen & literas ſciat: (*b*) cum ejus officium ſit pſallere in Choro, vicariamque operam præſtare Clericorum aliorum abſentium. (*c*) Ingreſſus autem quis ordinem Clericorum per primam tonſuram acquirit omnia Clericorum privilegia, & facultatem ſimul petendorum aliorum ordinum, & primo eorum, qui appellantur minores, ut a ſacris, nempe majoribus diſtinguantur. Minores enim ita miniſterio ſacro vacant, ut a contactu Sacramentorum abſtineant. Sunt autem minores ordines quatuor, quorum primus eſt Oſtiariorum, (*d*) qui, Eccleſiæ clavibus acceptis, claudendis aperiendiſque foribus, arcendiſque infidelibus, & excommunicatis præficiuntur. Secundus eſt Lectorum, quibus ſacri Libri populo ex ſuggeſtu recitandi traduntur. (*e*) Tertius eſt Exorciſtarum, qui facultatem accipiunt ejiciendorum Dæmonum certis & ſolemnibus imprecationibus. (*f*) Quartus eſt Acolytorum, ſive ſectatorum, quorum eſt comitari & aſſectari Epiſcopum, fanalia, ſive cereos præferre, ſuggeſta Diaconis pro Euchariſtiæ adminiſtratione præparare. Ordinibus vero majoribus quidem interdictum eſt in Eccleſia Latina conjugium, non minoribus, quamvis uxorem ducentes minores Clerici amittant Eccleſiaſtica beneficia. (*g*)

TITULUS XXIV.

Communia tam minorum, quam majorum Ordinum.

ORdinum ubique conferendorum poteſtas ſolius eſt Summi Pontificis: Epiſcoporum enim aliorum facultas propria Diœceſi terminatur: alterius vero Diœceſeos Clericum ſine venia Epiſcopi Diœceſeos illius ordinare prohibentur, niſi quem triennio inter familiares habuerint, eique ordinato ſtatim beneficium conferant. [*h*] Conceſſa autem venia, quæ literis, quas appellant dimiſſoriales, committitur, morte concedentis non expirat, niſi a ſucceſſore revocetur. [*i*] Porro proprius alicujus hominis Epiſcopus quis dicitur aut ratione originis, ſi natales vel ipſe, vel pater habuerit in ea Diœceſi, ubi domicilium non fortuito, ſed permanendi animo locaverat: aut ratione domicilii, ſi vel ipſe ordinandus a patre ſeorſum habitans, vel ipſe pater cum filio ſecum habitante firmum domicilium eo traſtulerint: aut ratione beneficii, ſi ea in Diœceſi, ubi ordines petit, beneficium ordinando ſit paratum, quod vitæ ſubſidio ſufficiat, obſervatis iis, quæ noviſſime ſtatuit conſtitutio Innocentii XII. in qua fuſe, ac diſtincte de ratione ſuſcipiendorum ordinum, & concedendarum dimiſſorialium cavetur. Neque licet aliena in Diœceſi Epiſcopo ulli exercere Pontificales actus, niſi in homines ſibi ſubjectos, & permiſſu alterius Epiſcopi, ad cujus jus ea Diœceſis pertineat. (*k*) Qui Summi Pontificis juſſu aliquem ordinem acceperunt, quamvis Ordinarii ſui poteſtati ſubjaceant; (*l*) ſine tamen ipſius Pontificis venia per ullum Epiſcopum ad ulteriores ordines perduci prohibentur. (*m*) Græcus a Latino Epiſcopo, & Latinus a Græco non recte ordinabitur, ne ritus inhoneſte permiſceantur. (*n*) Quod ſi Græcus Epiſcopo

[*a*] *ſeſſ. 23. C. 4.*
[*b*] *C. ult. de temp. ord. in 6.*
[*c*] *C. 1. d. 25. can. pſalmiſta d. 23. & C. 2. d. 23.*
[*d*] *D. 25. C. 1. §. ad Oſtiarium.*
[*e*] *§. ad Lectorem ead. d.*
[*f*] *. ad Exorciſtam.*
[*g*] *C quod a te 3. de Cler. conjug.*

[*h*] *Conc. Trid. ſeſſ. 23. C. 9. de reform 14. C. 4. de refor.*
[*i*] *Vallenſ in decretal. de temp ordinat. §. 4.*
[*k*] *Conc. Trid. ſeſſ. 14. C 2.*
[*l*] *C. perpetuas de majorit. & obed.*
[*m*] *C. cum in diſtribuendis de temp. ord.*
[*n*] *C. cum ſecundum de temp. ordin.*

po Latino ſit ſubjectus, poterit ab Epiſcopo Græco poſt acceptam ab Epiſcopo ſuo Latino veniam ordinari. (a) Explorati autem juris eſt, non modo eum, qui Epiſcopatum depoſuit, ſed & Epiſcopum excommunicatum, & etiam hæreticum retinere ſemper characterem ordinis, animo inſculptum: adeo ut animis aliorum, ordinando, imprimat characteres ordinum, quos tribuit, quamvis non communicet exercitium eorum. (b) Etenim & ipſi hæretici, quamvis non conferant gratiam, qua carent, & exercitium, tamen vera conferunt Sacramenta. (c) Qui vero ſine ordine officiis fungatur ſacris, ſpem ordinum amittit in poſterum: (d) & quoniam non conſtat ædificium ſine fundamento; ideo, ſi non baptizatus ordines acceperit, baptizandus eſt, & poſtea iterum ordinandus. (e) Regulares ſubditis ſuis literas dimiſſoriales tantum ad Diœceſanos ejus Monaſterii, cujus in familia eſt is, qui ordines petit, dare poſſunt. Et, ſi Ordinarius illius Diœceſeos vel abſit, vel ordinationes non habeat, dare poſſunt literas ad quoſcumque, ut ſacra Congregatio cenſuit. (f) Ne autem Clericus ordinem ſuum dedecoret, victum inhoneſte quæſitans; nemo (exceptis regularibus, qui ad titulum religioſæ paupertatis ordinantur) nemo, inquam, alius, niſi ad titulum beneficii, aut, eo deficiente, ac neceſſitate cogente, ad titulum ordinabitur certi ac ſufficientis patrimonii, quod immobilibus conſtet. Idque neque alienari poſtea, neque ullis oneribus ſubjici poteſt: (g) utque Clericalis ordo turpitudine omni careat, nemo recipitur, antequam vita & mores examinentur, quos Parochus explorabit a conſciis, poſtquam nomina ordinandorum publicaverit. Quod examen qui ſubterfugerit, ordinis exercitio carebit, (h) ſi ordinandis ſe clam, ut Epiſcopum falleret, inſeruerit. Promoti per ſaltum, ſive qui ad ordinem majorem, neglectis mediis, aſcenderunt, ſi dolo careant, ordinis ſuſcepti exercitio tandiu privabuntur, quandiu elabatur tempus neceſſarium ad ordinem, quem omiſerunt: & ſi non miniſtraverint, poterit ſuper eo Epiſcopus diſpenſare. (i) Priſcis Canonibus ad ordinationes ſunt conſtituta tempora quatuor, quæ jejunando de more tranſigimus: quod jejunium ordinationis cauſa fuit conſtitutum & inſtitutum. Sunt autem hæc: nempe jejunium menſis IV. hoc eſt Junii, qui quartus eſt menſis a Martio, unde veteres etiam Chriſtiani annum inchoabant, & menſis VII. hoc eſt Septembris; & X. hoc eſt Decembris, & Quadrageſimæ initio, extra quæ tempora majores ordines conferre non licet, niſi ei, qui a Summo Pontifice veniam acceperit, impetrato brevi, quod appellant extra tempora, exceptis duobus Sabbatis, nempe Sabbato Sancto, & Sabbato ante Dominicam Paſſionis, qui etiam ſunt ordinationum ſolemnes dies; adeo ut ſex Sabbatis ordinationes ſolemniter habeantur: (k) niſi multitudo ordinandorum poſtulet, ut in ſequentem diem Dominicum ordinatio producatur. (l) Dignus autem ordinationibus locus eſt Eccleſia Cathedralis, vel alia ex majoribus, ſi quis Epiſcopi permiſſu ea in Diœceſi ordines conferat. (m) Minoribus autem ordinibus quilibet feſtus dies, & Diœceſeos locus eſt aptus: [n] & primæ tonſuræ idoneus eſt etiam dies non feſtus, & locus extra Diœceſim, cum ſit actus voluntariæ juriſdictionis. [o] Sed & certis temporum intervallis, non vero ſimul conferendi ſunt ordines majores, adeo ut annum inter unum & alium intercedere oporteat. (p) niſi ex juſta cauſa Epiſcopus diſpenſaverit. Minores vero, ſi Epiſcopo videatur, vel uno die conferre licuerit. (q) Quod autem ad ſcientiam Clericorum attinet, minorum quidem ordinum idonea ſcientia eſt intelligentia Linguæ Latinæ, ordinum vero ſacrorum idonea ſcientia eſt, quæ ad munus cujuſque ordinis recte peragen-

(a) *C. quod tranſlationem eodem.*
(b) *C. quidam 97. 1. quæſt.*
(c) *Magiſt. ſentent. lib. 4. diſt. 25. ubi D. Thomas.*
(d) *C. penult. de Cleric. non ord. miniſtr.*
(e) *C. ult. de presbyter. non baptiz. 1. q. 1. C. cum Paul.*
(f) *Apud Nicol. de tempor. ordin. ſub n. 7.*
(g) *C. T. C. 2. ſeſſ. 21. de ref.*
(h) *C. ult. d. 24. & ſequent. de eo, qui furtive ordin. ſuſcepit.*
(i) *Conc. Trid. ſeſſ. 23. C. 14. de reform.*
(k) *C. quod a patribus diſt. 1. cum Gloſſ. verb. Sabbati, & C. de eo: de tempor. ordin. Conc. Trident. ſeſſ. 23. C. 8. de reformat.*
(l) *Cit. C. quod a patribus.*
(m) *Seſſ. 23. C. de refor.* (n) *Seſſ. 6 C. 5. de refor.*
(o) *Rebuf in prax. tit. de cler. & quiet. quom. n. 12.*
(p) *Conc. Trid. ſeſſ. 23. C. 13. & 14. de reform.*
(q) *C. de eo: de temp. ordin. ſeſſ. 23. C 11. de reform.*

agendum, & ad explicanda Sacramenta requiritur, quæque ſaluti conferat animarum. (*a*)

TITULUS XXV.

Qui promoveri non poſſint.

COgnitis, qui promoveri non poſſint, cæteros promoveri poſſe intelligemus. Excluduntur igitur ab ordinibus.

I. Qui baptiſmum adhuc non acceperunt, cum januam Eccleſiæ non ſint ingreſſi. (*b*)

II. Mulieres; ordinum enim ſunt incapaces. [*c*]

III. Servi; etenim, quia ordinem ſuſcipientes, adipiſcerentur libertatem, ideo ſine conſenſu dominorum inter Clericos non recipiuntur. (*d*)

IV. Sindici Univerſitatum, & tutores pupillorum, & quotquot obligantur ad redditionem rationum ſive publicarum: ſive privatarum, ſi de ſuo dolo a privatis conveniantur. [*e*]

V. Quotquot vel publicam infamiam ob crimen, (*f*) vel publicum ludibrium ob vitæ turpitudinem incurrerunt; item ſimoniacus, & homicida; etiamſi crimina eorum publice non innotuerint: [*g*] excepto homicida involuntario, qui nulla ſua culpa, nec dum rei illicitæ operam daret; ſed caſu hominem occiderit. (*h*)

VI. Excluduntur nati ex injuſtis nuptiis, ſive illegitimi: niſi religionem monaſticam ingredientes, natalium ſordes profeſſione pietatis abluerint. [*i*] Sed quamvis illi inter Monachos Clerici ordinentur, tamen eis eſt a Præfecturis ſuæ religionis abſtinendum. (*k*) Porro ut a beneficiis quælibet hereditariæ ſucceſſionis imago ſubmoveatur, deleaturque omnis memoria conjugii, filii Clericorum, & Presbyterorum illegitimi, ex diſpenſatione ordinati, neque beneficium, nec ſuper eo penſionem obtinere, neque obire miniſterium ullum poſſunt in Eccleſia, ubi pater eorum dignitatem, aut beneficium Eccleſiaſticum perpetuum obtinuerit. (*l*) Imo neç filius Presbyteri legitimus, nempe ſuſceptus ex legitimo conjugio ante ordinationem, ſine venia Sedis Apoſtolicæ, in ſui patris beneficio ſuccedere poteſt proxime, vel, ut ajunt, immediate, ſine aliqua perſona media, in quam poſt ejus patrem collatum fuerit. [*m*]

VII. Arcentur ab ordinibus bigami, ſive qui poſt mortem unius aliam uxorem duxerint, propter ſuſpicionem, quam præbuerunt, incontinentiæ. Eſt autem bigamia triplex; vera, interpretativa, & ſimilitudinaria. Vera eſt, quam proxime ſignificavimus: nempe duplex conjugium: interpretativa, in qua non re, ſed vi ac poteſtate duplex conjugium conſideratur; veluti ſi quis ducat uxorem alio marito viduatam, (*n*) aut ab alio fornicarie corruptam, [*o*] vel virginem, quæ poſt nuptias alteri prius, quam conjugi ſuo, ſe immiſcuerit. [*p*] Similitudinaria eſt, cum quis ſacro decoratus ordine, aut continentiæ voto devinctus, uxorem ducit etiam virginem, cumque ea rem habet: quamvis enim irritas nuptias contrahat, ut tamen affectus contrahendi puniatur, pro bigamo habetur. [*q*] Quæ poſtrema bigamiæ ſpecies Epiſcopi diſpenſatione deletur, ne ordinibus ſuſcipiendis obſtet, [*r*] cum ſuperiores nonniſi Pontificis diſpenſatione tollantur. Bigamia vero non ſolum aditum præcludit ad ordines, ſed minores Clericos ad laicalem conditionem redigit, ut nec per mortem ipſam ad Clericatum redeant. [*s*] Clerici vero majores, qui nempe ſacros ordines ſuſceperunt, clericalia privilegia minime amittunt. [*t*]

VIII.

[*a*] *C. 13. & 14. ſeſſ. 23. de ref.*

[*b*] *cap. 1. & 2. de Presbyt. non baptiz.*

[*c*] *cap. 1. in fin. de coll. ab Cleric. Can. Socrates diſt. 23.*

[*d*] *C. 1. d. 54. C. 2. de ſervis non ordin.*

[*e*] *C. unico de oblig. ad ratiocin. C. lege d. 53.*

[*f*] *C. ult. de cohab. Cleric. cum infames 6. q. 1.*

[*g*] *C. ult. de temp. ordinat. C. inquiſitionis 21. de accuſat.*

[*h*] *C. ſuſcepimus 10. cum ſeq. eodem Clemen. unica eod ſcilicet de homicid. Conc. Trident. ſeſſ. 14. C. 7. de reform. C. ſi quis viduam. d. 50. & ibi Gloſſ. C. ult. de homicid. in 6.*

[*i*] *C. 2. & Can. ad hac cum concord. de fil. presbyt. C. niſi d. 56.*

[*k*] *C. 1. & ult. de fil. presbyter.*

[*l*] *C. 2. 3. 4. 15. 16 de fil. presbyt. Concil. Trid. ſeſſ. 25. C. 15. de reform.*

[*m*] *C. ad extirpandas de fil. presbyteror. C. dilectus eodem.*

[*n*] *C. ſi quis viduam 50.*

[*o*] *C. maritum d. 33.*

[*p*] *C. ſi cuius, & can. ſi laici 34. diſt.*

[*q*] *C. quotquot 27. C. a nobis de big. non ordin.*

[*r*] *C. 1. & 4. ubi Gloſſ. v. indulgen. de cleric. conjug.*

[*s*] *C. 2. 3. de bigam. non ordin. C. unic. eod. in 6.*

[*t*] *C. nuper. & C. ult. de bigam. non ordin.*

Digitized by Google

VIII. Arcentur ab ordinibus eunuchi, qui ſua ſponte ſibi virilia ſecuerint; etiam ſi continentiæ ſervandæ cauſa.

IX. Arcentur epileptici, & corpore vitiati, & ſurdi, & muti, & inſigni deformitate notati, & membro aliquo deſtituti; partim ne ordines ludibrio aliorum objiciant; partim quia corporis vitio non ſunt idonei ad ordinis exercitium; puta, ſi digito careant, ad frangendum panem neceſſario. (*a.*)

X. Arcentur in ægritudine baptizati cum neceſſitate magis, imminente morte, quam fervore pietatis ad baptiſmum adducti videantur, niſi cum valuerint, ſuis operibus ſtudium pietatis oſtenderint. (*b*).

XI. Indocti & illiterati, ut alibi oſtendimus.

XII. Infantes, & quotquot vel natura, vel morbo mente ſunt imbecilliores. [*c*]

XIII. Hæretici, & ab hæreticis baptizati; cum ætate adoleverint, & Apoſtatæ, & Neophyti, & iterum baptizati; (*d*) & qui publicam pœnitentiam egerunt: nam nota gravis criminis, populi venerationem eis adimeret: [*e*] quos, ſi Epiſcopus ſcienter ordinaverit: ordinandi poteſtate privatur. Et denique ii, qui uxorem habent, de quibus ſupra.

TITULUS XXVI.

De Præbendis, & aliis Beneficiis.

Quia ordinibus beneficia miniſteriis clericalibus conjuncta cohærent: ideo, quamvis ad res beneficia pertineant, tamen perſonis, quibus cohærent ordines, hanc tractationem conjungendam putavimus. Sicuti vero militibus benemerentibus Imperatores prædia colenda, & ad victum ſuum retinenda concedebant, quæ beneficia vocabantur; ita poſtquam immobilia poſſidere cœpit Eccleſia, ea beneficii nomine contulit in miniſteria certa, ut qui ea exerceret, haberet, unde victum caperet: Ideo priſcis Eccleſiæ temporibus quodlibet beneficium habebat adjunctum miniſterium & officium, quod poſtea ſæculo, ut creditur, XI. commutari cœpit in recitationem divinarum precum, quod propterea officium appellatur: unde quæ prædia proventus tantum ſuppeditant ſine obligatione operarum, aut miniſterii, ſimplicium beneficiorum nomen acceperunt. Præbæ nomen, quamvis omnes redditus Eccleſiaſticos contineat, anguſtiori tamen ſignificatione continet beneficium, quod eſt jus percipiendi proventus Eccleſiæ, ratione muneris Eccleſiaſtici. (*f*) Propterea nemo ad munus Eccleſiaſticum, ſi ſufficienti patrimonio careat, eſt evehendus abſque Præbenda, ni velit Epiſcopus ei, quem ita ordinavit, damnari ad ſumtus neceſſarios, donec illi aliunde obvenerit. (*g*) Beneficia porro vel majora ſunt, ut Pontificatus Maximus, Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatia, vel minora his, quorum alia ſimplicia, de quibus ſupra, alia curata, quæ curam animarum, vel juriſdictionem, vel utramque abent annexam, vel (*h*) dignitatem, vel perſonatum, vel officium: quæ alicubi promiſcue accipiuntur, alicubi diſtinguuntur; unde ſpectanda eſt loci conſuetudo. (*i*) Cum diſtinguuntur, nomine dignitatis venit Præpoſitura, Archidiaconatus, Abbatiæ ſecularis & regularis: nomine perſonatus venit præeminentia in ordine vel ſedendi in Choro, vel in proceſſionibus, vel in ſuffragiis, ut ſunt Cantoria, & ſimilia. Nomine officii veniunt, quæ adminiſtrationem aliquam rerum Eccleſiaſticarum ſine juriſdictione habent adjunctam, ut Sacriſta, Cuſtos. Rurſus beneficia ſunt vel ſecularia, quæ nonniſi Clericis ſæcularibus conferuntur, qualia præſumuntur omnia, niſi contrarium probetur; (*k*) vel regularia, quæ Monachis tantum tribuuntur, & regularibus. Item alia ſunt manualia, quæ ſolo nutu, & arbitrio dantur, & adimuntur, quæ improprie beneficia appellantur; alia non

[*a*] *C. communiter diſt. 33. C. ult. d. 51. C. placuit cum ſeq. 1. q. 4.*

[*b*] *C. 1. & ſeq. d. 57.*

[*c*] *C. 1. & 2. & can. Clericus d. 33.*

[*d*] *C. ultim. d. 5. C. qui in qualibet 1. quæſt. 7. C. ventum 18. in fin. 1. qu. 1. C. qui bis 117. de conſecrat. diſt. 4.*

[*e*] *C. ex pœnitentibus. C. illud quoque. C. plo-ult. C. in capite d. 56.*

[*f*] *C. ſi quis dator. C. ex multis §. conſtitutus 1. q. 2.*

[*g*] *C. 2. & C. Epiſcopus de præb.*

[*h*] *Clem. 2. §. verum de ſepult. Conc. Trid. ſeſſ. 23. C. 1. de reform. C. 1. de off. Archidiac. & C. 1. de off. Archipresb.*

[*i*] *Lypæus titul. de cleric. non reſidens.*

[*k*] *Navarr. Conſ. 3. de præb.*

non manualia, quia ſemel data nonniſi cauſis a jure probatis auferuntur. (a) beneficia majora Summus tantum Pontifex erigit, novaſque dignitates excitat in Eccleſiis Collegiatis, regularia que in ſæcularia beneficia convertit. (b) Epiſcopus vero minorum beneficiorum creandorum facultatem habet. In erigendis autem beneficiis primo opus eſt loco ejus qualitati congruo. Secundo vigere debet cauſa legitima, puta ob novam infidelium ad fidem converſionem, quibus utile fuerit, commodam Eccleſiam parari, vel quia Eccleſia jam erecta ſumma cum difficultate aditur propter brumam, aut æſtum, vel quia devotio accolarum, non quæſtu, aut ſordibus excitata, novum poſcit ædificium. (c) Tertio eſt requirendus & adhibendus conſenſus eorum, quorum intereſt, erigatur, an non. (d) Quarto requiritur congrua dos, unde miniſter, ſive beneficiatus commode alatur. (e) Quinto Eccleſia, cui beneficium attribuatur. (f) Sub ejus autem Epiſcopi auctoritate beneficia manent, in cujus Diœceſi locantur, niſi aut eximantur, aut Summo Pontifici ſubjiciantur. (g) Ex beneficiis pinguioribus detrahuntur ſæpe in alicujus remunerationem, aut alia juſta ex cauſa penſiones, quæ ſunt perceptiones fructuum alieni beneficii, legitima auctoritate, juſtaque de cauſa inductæ. Penſio autem, quæ ſuper beneficio imponitur, tertiam, aut ad ſummum dimidiam fructuum partem excedere non decet: cavendumque, ne ſupra neceſſaria alimenta beneficiatus oneretur. (h) Super beneficio autem conferendo penſionem imponere poteſt etiam Epiſcopus: (i) quamvis illius transferendæ, atque ultra penſionati vitam perpetuandæ facultas ſit ſolius Romani Pontificis. (k) Neque confertur penſio, niſi prima ſaltem tonſura initiatis, & penſionem comitatur ex Conſtitutione Pii V. (l) obligatio recitandi quotidie Officium Sanctiſſimæ Virginis. Vetitum eſt autem onerare penſionibus Eccleſias, quæ ſupra 1000. aut Parochias, quæ ſupra 100. Ducatorum ſummam annuam non reddunt. (m)

TITULUS XXVII.

De Collationibus.

Beneficia vel libera ſunt, eaque conferri dicuntur, cum alicui traduntur; vel ſunt Juriſpatronatus, quæ ſcilicet conferri nequeunt, niſi patronus nominet perſonam, cui collatum velit; at in iis dicitur quis inſtitui, cum ei poſt nominationem confertur: unde collationis & inſtitutionis nomina ignota Veteribus, apud quos ſatis erat ordinationis nomen, quia nulla olim erat ordinatio ſine miniſterio, nec miniſterium ſine beneficio. Collator eſt omnium beneficiorum ſuæ Diœceſeos Epiſcopus. (n) Collator vero beneficiorum omnium in quacumque Diœceſi eſt Summus Pontifex, qui paulo poſt ſuam creationem regulas ſolemnes ſuſcitat, quas vocant Cancellariæ, quibus certis rationibus ac modis ſibi reſervat collationem beneficiorum in alienis Diœceſibus: unde beneficia, quæ dicuntur reſervata, ſunt diſſimilia ab his, quæ affecta vocantur. Nam affecta ſunt ea, quibus conferendis ſe miſcuit, ſeu manus appoſuit Papa: qui Papæ actus, ſi ex aliquo canonico impedimento non ſuſtineatur, tamen ob reverentiam Pontifici debitam, ab ipſo Papa pro ea vice tantum eſt iterandus: cum reſervatorum collatio ad ipſum perpetuo pertineat. Reſervationum autem quædam continentur in corpore Juris, & eæ opus non habent, ut a novo Pontifice ſuſcitentur; quod neceſſarium eſt iis, quæ tantum in Cancellariæ regulis, non vero in corpore quoque Juris comprehenduntur. In corpore autem Juris primo reſervata ſunt a Clemente IV. beneficia vacantia per mortem in Curia, (o) quam Bonifa-

(a) *Can. præcepta d. 55. can. ſenio diſt. 56. Gloſſ. Clem. quia regularee de ſuppl. negl prælat.*

(b) *C. ſicut unire 8. de exceſſ. prælat. C. quod tranſl. 4. de off legat. C. quæ ſemel 19. q. 3*

(c) *C. 3. de Eccl. ædif. C. ſi quis Baſil. 20. de conſecrat. 1.*

(d) *C. ad audientiam 3. de Eccl. ædificand.*

(e) *C. cum ſicut 8. de conſecr. Eccleſ.*

(f) *C. nemo 9. de conſecrat. d. 1. & toto tit. de Eccleſ. ædificand.*

(g) *C. omnes Baſilicæ 15. qu. 7.*

(h) *C. de monachis C. vacante C. cum cauſam de præb. cap. 1. de cenſibus, Rebuff. in Praxi benef. tit. de reſervat. num 19.*

(i) *C. ſi niſi de præb.*

(k) *Gloſſ. & DD. in C niſi de præb. Pariſ. col. 82.*

(l) *135. incipien ex prox mo.*

(m) *Conc. Trid. ſeſſ 24. cap. 13. de reform.*

(n) *C. omnes Baſilicæ cum ſeq 16. quæſt 7. C. decretum cum 3. & ſeq. 10. q. 1. C. cum ex injuncto de heret.*

(o) *C. licet Eccleſiaſticum de præb. & dign. in 6.*

cius VIII. ampliavit ad locos Curiæ finitimos, ſive duorum dierum in itinere diſtantes, ſi ad Curiam accedentes, aut Legatum Apoſtolicum comitantes deceſſerint. (*a*) Eandemque extendit ac declaravit Joannes XXII. *Extrav. comm. ex debito, de Elect.* Secunda reſervatio contenta in corpore Juris, eſt beneficiorum vacantium per prohibitam eorum multitudinem, ſive pluralitatem; quorum collationem Sedi Apoſtolicæ reſervavit Joannes XXII. (*b*) Tertia reſervatio item in corpore Juris contenta eſt Conſtitutione Benedicti XI. (*c*) qua non modo ſuperiora confirmavit, ſed & reſervavit omnia beneficia vacantia per aſſecutionem Epiſcopalis dignitatis. Demum prodierunt, ut diximus, Regulæ Cancellariæ, quibus tum veteres, tum novæ plurimæ reſervationes comprehenduntur: unde

In I. reſervationes repetuntur Benedicti XI. & Joannis XXII. quas memoravimus; nempe *C. ad regimen*, & *C. execrabilis*; itemque reſervantur beneficia contra decreta Concilii Tridentini collata.

In II. reſervantur Cathedrales omnes, & Monaſteria majoris redditus, quam 200. Florenorum auri, & omnia beneficia, quæ vacant Sede Epiſcopali vacante.

In III. reſervantur primariæ omnes dignitates poſt Pontificales, & beneficia Cardinalium, & eorum, qui tum ipſi Papæ, vel Cardinalibus familiares famuli fuerunt.

In IV. omnia beneficia Collectorum, & Sub collectorum fructuum R. Cameræ Apoſtolicæ.

In V. omnia beneficia Curialium in itinere decedentium, dum Curia transfertur.

In VI. omnia beneficia Cubiculariorum, & Curſorum.

In VII. omnia beneficia Eccleſiarum Sancti Johannis Lateranenſis, Sancti Petri, & Sanctæ Mariæ majoris in Urbe; itemque beneficia, quæ in titulis Cardinalium vacaverint, ipſis abſentibus.

In VIII. quæ longe plura beneficia, quam aliæ, hauſit, reſervantur omnia ea, quæ vacaverint in VIII. menſibus, nempe Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Auguſti, Octobris, Novembris. In gratiam vero ac remunerationem eorum Antiſtitum, qui in Eccleſiis ſuis reſident, eo quidem tempore, quo reſident, ſex menſium eis collationem liberam dimiſit, ita ut alternis menſibus cum Summo Pontifice collationem dividant, niſi ea beneficia vacent, quorum collatio ex aliis capitibus ad Summum Pontificem pertineat. Hos autem Epiſcopis menſes reliquit, nempe Februarium, Aprilem, Junium, Auguſtum, Octobrem, & Decembrem: reliquos vero ſibi Pontifex retinuit. Qua alternativa fruitur Epiſcopus, ubi eam acceptaverit, non vero collator inferior, puta Abbas. (*d*) Reſervata item ſunt beneficia Conclaviſtarum: (*e*) his accedunt reſervationes Pii V. qui reſervavit Sedi Apoſtolicæ beneficia vacantia propter erimen hæreſis; (*f*) & beneficia recepta contracta fiducia, vulgo vocant in confidentiam; (*g*) & beneficia vacantia ex reſignatione, in qua obſervatum non fuerit præceptum Gregorii XIII. in Bulla, quam ſupra indicavimus, incipiente, *humano vix judicio*. Vacantium autem beneficiorum fructus Cameræ Apoſtolicæ attribuit Joannes XXII. (*h*) Præterea in conferendis beneficiis Sedes Apoſtolica exigit redditus unius anni, ſi beneficia ſint conſiſtorialia, ſive majora, ut Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & ſimilia; ſi vero ſint minora, cujus redditus excedant ſummam XXIV. Ducatorum aureorum, quos vocant de Camera, exigit dimidium fructuum unius anni a novo beneficiato; (*i*) quæ præſtimonia annatæ, & mediæ annatæ vocantur. Porro Cardinales, qui Epiſcopatum ſuſceperunt, habent ex S. Pontificis venia, quod indultum vocant, facultatem conferenda beneficia etiam in menſibus, qui Papæ vacant, quo uſque ſibi reſervarit, dummodo ea facultate non utantur ad beneficia reſervata, vel affecta duplici reſervationis aut affectionis (*k*) vinculo. Tempus collationibus præfinitum ſunt ſex menſes, qui currunt a die ſcientiæ vacationis: (*l*) quibus elapſis, ſi collatio pertinebat ad Capitulum, devolvitur ad Epiſcopum, ſi pertinebat ad Epiſcopum, devolvitur ad Capitulum,

(*a*) *C. præſente eod. tit. de præb. & dign. in 6.*
(*b*) *Extrav. commemor. execrabilis, de præb. §. quæ omnia.*
(*c*) *Extrav. comm. ad regimen de præb. & dignit.*
(*d*) *Rota apud Coccin. deciſion. 52.*
(*e*) *Rota deciſ. 303. p. 17. recent.*
(*f*) *Conſt. cum Apoſtolatus.*
(*g*) *Vid. Bullam apud Piaſerium prax. Epiſcop. p. 2. cap. 5.*
(*h*) *C. cum nonnulla extrav. comm. de præb.*
(*i*) *Conſt. Pii V. 38.*
(*k*) *Clem. 8. Conſtit.* quamvis *Nicol. de præb. ſub num. 8.*
(*l*) *Cap. quia 5. de conceſſ. præb.*

lum, & utriſque negligentibus, ad Metropolitanum, a Metropolitano ad Patriarcham, a Patriarcha ad Papam. [a] In Epiſcopatibus, & Abbatiis tempus ad conferendum præfinitum eſt trium menſium; [b] quamvis, ſi collatio in virum idoneum ceciderit, etiam poſt tempus toleratur. [c] Parochiæ, atque omnes Eccleſiæ, quibus annexa eſt Animarum cura, conferri non poſſunt, niſi poſt examen peractum, coram tribus ab Epiſcopo electis, eæque conferendæ ſunt alicui ex illis, qui eo in examine comprobati fuerint; ſive de libera Epiſcopi collatione agatur, ſive ad alterius inſtitutionem pertineat: immo etiamſi collatio fuerit ad Sedem Apoſtolicam devoluta. (d) Ne autem ſupra neceſſitatem quis beneficiis Eccleſiaſticis aliorum inopia cumuletur, vetitum eſt plura poſſidere beneficia, (e) adeo ut cogatur quis beneficium petens, enunciare, ſi quod habeat aliud, ut veniam illius novi obtinendi referat a Summo Pontifice; hoc eſt, ut impetret diſpenſationem ſuper pluralitate beneficiorum. (f) Quæ tum ſolum toleratur, cum ex uno beneficio neceſſaria non ſuppetunt. (g) Ceterum ſine Pontificis venia ſi alterum beneficium impetretur, vacat primum: & quidem ipſo jure, ſi ſit de incompatibilibus primi generis; vel per ſententiam, ſi ſit ex incompatibilibus ſecundi generis. Beneficia enim vel compatibilia ſunt, vel incompatibilia: compatibilia ſunt omnia beneficia ſimplicia, quæ reſidentiam non requirunt; ideoque cum pluribus ſui generis, & cum curaris beneficiis cohærent. Incompatibilia vero ſunt, quæ ſimul retineri nequeunt propter reſidentiam; vel exercitium ſingulis annexum; quibus ſimul ſufficere non valet unus, ut ſunt duo Epiſcopatus, duæ Parochiæ; vel Epiſcopatus & Parochia. Dividuntur autem in incompatibilia primi generis, & incompatibilia ſecundi generis. Incompatibilia primi generis, quæ per adeptionem alterius vacant ipſo jure, ſunt duo beneficia curata, duæ dignitates, duo perſonatus, duo officia, juriſdictionem & adminiſtrationem annexam habentia. (h) Item Cathedrale beneficium cum Parochiali: (i) duo uniformia, par officium habentia ſub eodem tecto, ſive ſub eadem Eccleſia, veluti duo Canonicatus, duæ ejuſdem Eccleſiæ Capellaniæ, quæ parem atque eodem tempore functionem ſuam habeant, ut unus utriſque vacare non poſſit. Incompatibilia ſecundi generis ſunt, quæ non vacant ipſo jure, quamvis retineri nequeant ſimul; cum eligere quis debeat alterutrum, alioquin altero per Superiorem privabitur. Tales ſunt duo Canonicatus in diverſis Eccleſiis, & alia beneficia reſidentiam annexam habentia, ſed ſine Animarum cura, vel dignitate, perſonatu, vel officio; neque ſunt uniformia ſub eodem tecto. Beneficia conferri poſſunt Catholicis omnibus, exceptis ſequentibus. Excipiuntur igitur

I. Carentes ordine, ſive prima tonſura. [k]

II. Nati ex injuſtis nuptiis: quibus tamen poſſet Epiſcopus ordinum & ſimplicium beneficiorum aſſequendorum veniam dare.

III. Filii hæreticorum, eiſque faventium ad ſecundum in linea paterna gradum, in materna tantum ad primum ſi parentes in hæreſi deceſſerint. (l)

IV. Conjugati.

V. Bigami.

VI. Excommunicati. (m)

VII. Suſpenſi ab officio.

VIII. Interdicti.

IX. Irregulares.

X. Cæci, qui horas Canonicas recitare nequeunt. (n)

XI. Simoniaci.

XII. Qui legitimam etatem non habent, nempe minores annorum 14. ſi agatur de ſimplicibus; ſi vero de beneficiis, quæ annexum habeant ordinem ſacrum, qui ejus ordinis, vel dignitatis non ſunt capaces, inca-

[a] *Cap. nulla 2. cum Gloſſ. de conceſſ. preb.*
[b] *C. ne pro defectu de elect.*
[c] *Cap. literas de ſuppl. neglig. Prel.*
[d] *Conc. Trident. C. 18 ſeſſ. 24. de reform.*
[e] *Cap. quia nonnulli; ubi Abbas de Cite. non reſid.*
[f] *Cap. ad aures de reſcriptien*
[g] *Conc. Trident. Seſſ. 24 cap. 17.*
[h] *Cap. de multa extravag. execrabilis Joannis XXII. de preb.*
[i] *Conc Trident. ſeſſ. 24. C. 17.*
[k] *Cap. ex literis de tranſact.*
[l] *Cap. quicumque 2. & Cap. ſtatutum 15. de hæreſ. in 6.*
[m] *Caput poſtulatio 7. in princip. de Cleric. excommunic.*
[n] *Cap. dilectus de conſuet. Piaſe. p. 2. cap. 5. art. 3. num. 26.*

paces quoque ſunt adjuncti beneficii. (a)

TITULUS XXVIII.

De Inſtitutionibus, & Jure patronatus.

JUſpatronatus eſt jus, ſive facultas nominandi, ſive offerendi, ac præſentandi Clericum promovendum ad beneficium Eccleſiaſticum vacans cum onere ſimul & honore conjunctum. (b) Eſt autem duplex, Eccleſiaſticum, & Laicale. Juſpatronatus Eccleſiaſticum eſt, quod Eccleſiæ, vel Clerico, non ratione patrimonii competit, ſed ratione dignitatis. (c) Laicale vero eſt, quod ex bonis laicorum fundatum eſt, quodque Clerico non ratione Eccleſiæ competit, ſed ratione patrimonii. His adjicitur & mixtum, quod partim competit ratione patrimonii, partim ratione Eccleſiæ: forte quia ex duobus patronis alter jus ſuum tranſtulerit in Eccleſiam. Eſt item jus patronatus hereditarium, quod ſimul cum hereditate, ſive legitima, ſive teſtamentaria tranſit; & adgnatitium, ſive familiare, quod tranſit ad eos, qui ſunt ex familia, vel adgnatione; item & mixtum ex utroque, quod etiam vocatur ex pacto & providentia, quod in eos tranſit, qui ſunt heredes ſimul & ſucceſſores legitimi, ut, qui illud ſibi afferat, oportet, ſe & heredem & deſcendentem a teſtatore probare. Jura patroni, ſunt, I. præſentare inſtituendum. (d) II. dignior locus ei debetur inter Laicos in Eccleſia, & cum Clerus procedit ſolemniter in Proceſſionibus, III. debentur ei alimenta, ſi fuerit inops. (e) In Prælaturis autem, quæ per electionem conferuntur, patronus jus præſentandi non habet, ſed, ſi velit, poterit electioni adeſſe, atque ei conſentire. (f) IV. Eccleſiæ illius bona poſſidere poteſt, ea tantum cauſa, ut caveat, ne diſſipentur. (g) Adquiritur Juſpatronatus, I. per fundationem, ſi prædium quis præbeat ad Eccleſiam extruendam. (h) II. per conſtructionem, cum quis ſuis ſumtibus Eccleſiam ædificavit, (i) vel dirutam reſtituit. III. per dotationem, ſi congruam dotem, ſive in pecunia, ſive alio modo ad illius conſervationem & miniſtrorum ſumtus attribuerit: Quæ tamen adquiſitiones, ut ſubſiſtant, opus habent Epiſcopi conſenſu, qui etiam poſt factum utiliter accedet (k) IV. adquiritur ex privilegio Summi Pontificis. (l) V. ex multiplicatis præſentationibus tam longi temporis, quod memoriam hominis excedat. (m) Adquirere autem poſſunt Juſpatronatus omnes Catholici, cujuſcumque ſint ſexus, vel ætatis. Tempus ad præſentandum præſtitutum Laicis quidem patronis eſt quatuor menſium, cum poteſtate variandi, offerendique alium; patronis vero Eccleſiaſticis, qui jure variandi carent, præfiniuntur menſes ſex a die cognitæ vacationis (n) Cum autem duo ſunt Patroni, alter Eccleſiaſticus, alter Laicus, Jus Eccleſiaſticum Laicale trahit, patronuſque Laicus ſex etiam menſium tempus ad præſentandum habebit, ut privilegio ſocii fruatur, cum alias privilegium eſſet inutile. (o) Patronus, quamvis non poſſit præſentare ſemetipſum propter turpe ambitionis exemplum, tamen ex Gloſſæ ſententia proprium poteſt præſentare filium. (p) Transfertur Juſpatronatus in alios quatuor modis; nempe per ſucceſſionem; per donationem, per permutationem, per venditionem. Per ſucceſſionem transfertur ſimul cum hereditate, ſive teſtamentaria, ſive ab inteſtato ad heredes in ſolidum; etiamſi hereditas inæqualiter dividatur, quia Juſpatronatus eſt indiviſibile. Item in eo ſucceditur in ſtirpes, non in capita; unde pluribus patronis decedentibus, quorum alter duos heredes reliquiſſet, alter unum, illi duo heredes, pro unius ſuffragio computantur, quia

(a) *Cap. cum 7. §. inferiora de elect. C. 14. & 24. eodem in 6. Conc. Tridens. ſeſſ. 7. cap. 5.*
(b) *Hoſtienſ. in ſumm. hoc tit.*
(c) *Cap. unico de jurepatronatus in 6.*
(d) *Cap. decernimus 16. quæſt. 17.*
(e) *Cap. nobis de jurepatron.*
(f) *Dict. Cap. nobis.*
(g) *Cap. filiis qu. 7.*
(h) *Cap. Abbatem 4. 18. quæſt. 2. Cap. quoniam 3. de jurepatron. ubi Gloſſa.*
(i) *C. Monaſterium cum concordant. 16. q. 7.*
(k) *Cap. nobis de jurepatronatus.*
(l) *Cap. 2. de præb. in 6.*
(m) *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 9. de reform.*
(n) *Cap. eam te 22. C. cum. propter 27. de jurepatron. Cap. unico §. verum vod. in 6.*
(o) *Gloſſ. ultim. in C. unico §. verum de jurepatr. in 6.*
(p) *C. per noſtras 26. Gloſſ. Cap. conſuluit. de jurepatronat.*

quia unicum tantum defunctum ambo repræſentant. (*a*) Per donationem autem aut legatum transfertur quidem conſenſu Epiſcopi in Laicum, aut privatum Clericum, ſine conſenſu vero in Eccleſiam, aut Monaſterium, aut in Eccleſiaſticam dignitatem. (*b*) Permutatione transfertur, dummodo pro Jurepatronatus res alia ſpiritualis tradatur. (*c*) Demum transfertur venditione, non per ſe tamen, ne ſimonia contrahatur; (*d*) ſed ſimul cum univerſitate bonorum, veluti hereditate, aut corpore, cui ſit annexum, puta fundo aliquo. (*e*)

Amittitur Juſpatronatus.

I. Si Patronus Eccleſiæ Rectorem, aut Clericum violenter aggrediatur, aut lædat. (*f*)
II. Si in hæreſim inciderit.
III. Si jura Eccleſiæ ſibi uſurpaverit.
IV. Si illud jus vendiderit ſeparatim.
V. Si illud ceſſerit, aut remiſerit.
VI. Si Eccleſia corruerit.

TITULUS XXIX.

De Clericis non reſidentibus.

ANtequam diſtinctio inveniretur inter ſimplicia beneficia & curata, ſive duplicia, Clerici omnes miniſterio quiſque ſuo veluti milites in caſtris, adeo adſcribebantur ut illinc abire nefarium haberetur; eaque aſſiduitas in munere cujuſque: ſuo reſidentia nuncupatur. Cui nunc obligantur Antiſtites, & Parochi; & quotquot Miniſterium aliquod Eccleſiaſticum gerunt quod ſi deſerant, vel latitent, etiam beneficio exuentur, ſi legitime citati ad beneficium & miniſterium ſuum ſex intra menſes non revertantur. (*g*) Quod ex Sac. Conc. Trid. decreto [*h*] ita obſervatur, ut majores Præſules, & Epiſcopi, qui ſine juſtis cauſis ſex menſes ab Eccleſiis ſuis abfuerint, quarta parte fructuum unius anni, fabricæ ſacræ, aut pauperibus adplicandorum, ipſo jure careant, & alia quarta ſimili ratione poſt ſex aliorum menſium moram; ac ſi pertinacius abſuerint, Suffraganeus quidem a Metropolitano, Metropolitanus a Suffraganeo antiquiori, Eccleſiæ aditu interdicto, intra tres menſes denunciabitur Summo Pontifici, cujus arbitro punietur; qua de re ſeverius cavit idem Concilium alio decreto, (*i*) quo declaravit, Antiſtites, etiamſi Cardinalatus dignitate præfulgeant, adeo incumbere debere ſuis Eccleſiis, ut inde abſcedere eis non liceat, niſi juſtis ex cauſis, nempe ob chriſtianam charitatem, urgentem neceſſitatem, debitam obedientiam, & evidentem Eccleſiæ, vel reipublicæ utilitatem, eaſque cauſas a Superioribus, & a Summo Pontifice eſſe adprobandas. Sine cauſis vero ita probatis non ultra duos, aut ad ſummum tres menſes abeſſe licet ſingulis annis; cavendumque, ne abſentia incidat in Feſtos Dies Eccleſiæ ſolemniores: ſi ſecus fecerint; carebunt fructibus abſentiæ tempore; iique in fabricam, aut pauperum levamen convertentur. De minoribus autem Clericis ratione beneficii ſui ad reſidendum obſtrictis, & ab Ordinario cogendis, eadem Sacra Synodus (*k*) decrevit, ne talis obligatio eis remittatur, niſi ex juſtis cauſis Epiſcopo probandis, qui abſentium loco, alios regimini deputet.

Cauſæ autem, ex quibus obligatio reſidentiæ remittitur, hæ ſunt:

I. Cauſa ſtudiorum in celebri aliqua Univerſitate: (*l*) quæ cauſa non congruit Parochis: nam poſt Concilium Tridentinum ſine idonea doctrina nulli poſſunt ad curam Animarum adſpirare.
II. Cauſa ſunt negotia ejus Eccleſiæ, quam quis colit. (*m*)
III. Servitium Summi Pontificis. (*n*)
IV. Servitium proprii Epiſcopi.
V. Periculum aliquod lethale, ſive morbi, ſive violentiæ. (*o*)

Quamvis autem juſta abſentia non auferat abſentibus fructus, aufert tamen diſtributiones quotidianas, ſive portiones exiſtores

(*a*) *Clem. plures de jurepatronat.*
(*b*) *Cap. unico de jurepatronatus n. 6.*
(*c*) *Cap. ad quæſtiones de rerum permut. Cap. nemini 16 q. 7*
(*d*) *Cap. quia Clerici 6. de jurepatronatus Conc. Trid. ſeſſ. 25 c. 9.*
(*e*) *Cap. ex literis eod.*
(*f*) *Cap. in quibuſdam de pœnis.*
(*g*) *Cap. ex parte 8. Cap. qualiter 9. & Cap. ultimo de Cleric. non reſident. & Caput 1. C. ex tua devotione eodem.*
(*h*) *Seſſ. 6 cap. 1. de reformation.*
(*i*) *Seſſ. 23 cap. 1. de refor.*
(*k*) *Cap. 2. ſeſſ. 6.*
(*l*) *Cap. cum ex eo, ubi Gl. V ſeptennio de elect. in 6.*
(*m*) *Cap. ex parte tua fuit propoſitum de Cleric. non reſident.* (*n*) *Cap. cum dilectus ſil. 14. eod.*
(*o*) *C. ad audientiam eod.*

res diſtinctas a præbendis, ſive fructibus majoribus. Quæ diſtributiones ſubminiſtrantur in dies iis, qui Eccleſias colunt Divinis Officiis perfungendis, & Solemnibus recitandis.

Quæ diſtributiones, ſi aut nullæ ſint in Cathedralibus, & Collegiatis, aut ſint nimis tenues, poſſunt ex decreto Sacri Concilii Tridentini (*a*) Epiſcopi ex tertia parte præbendarum, & quorumcumque proventuum eaſdem diſtributiones præſentibus, excluſis abſentibus, dividendas conſtituere.

Ne tamen denegentur Clerico ægrotanti, (*b*) & ei, quem evidens neceſſitas, vel Eccleſiæ utilitas excuſet, aut ſenium, propter quod ſolet Sacra Congregatio Cardinalium veniam reſidentiæ concedere, non ablatis diſtributionibus quotidianis. (*c*)

TITULUS XXX.

De Regularibus, & Monachis.

HActenus de Clericis, nunc de Monachis, ſive ſolitariam vitam ducentibus, aut ducere debentibus, ut origo nominis, & inſtituti eorum oſtendit. Etenim priſcis temporibus, partim ut pericula declinarent, quæ impendebant ab hoſtibus chriſtiani nominis Eccleſia vexantibus; partim ut curas profanas effugerent, quibus animus a ſacris operibus, & divinis ſtudiis abducitur, non pauci ſe in deſerta loca, & in ſolitudines condebant, recedentes a multitudine, unde & Græco verbo Anachoretæ; cujus inſtituti Principes Paulus, & Antonius Ægyptii Eremitæ, hoc eſt deſertorum locorum incolæ, qui cupidos ejus inſtituti, ſectatoreſque ſuos certis vivendi legibus adſtrinxerunt. Ad quas tam multi confluebant pietate inſignes, ut Divus Baſilius opera eorum, & miniſterio in rebus ſacris uteretur, multaque illis Monaſteria extrueret, traditis regulis, quæ ad Occidentem etiam pervenerunt, exceptaque fuerunt a non paucis, ſed vagis & incompoſitis, quos coegit, & ad rectiorem vivendi normam adduxit Divus Benedictus; adeo ut Monachorum familiæ in Oriente quidem Divum Baſilium; in Occidente vero D. Benedictum auctorem potiſſimum agnoſcant; indeque dicti fuerint Cœnobitæ, tamquam communiter viventes, qui in minores plurimas ſub diverſis nominibus familias, tanquam in ramos diſceſſerunt.

Et quoniam anno centeſimo ſupra milleſimum fœde laxabatur Clericorum diſciplina, redacti fuerunt plures Clerici ad Auguſtini regulam ſeveriorem, iiſque locus tributus in Lateranenſi Baſilica, unde appellati Canonici Lateranenſes, qui ſecundus eſt ab ordine Monachorum.

Ex hoc Ordine proceſſit Divus Dominicus, qui Ordinem inſtituit Prædicatorum ad abigendas Hæreſes Albigenſium, eo tempore gliſcentes, & mores publicis in concionibus corrigendos anno MCCXVI.

Eodem tempore Divus Franciſcus de Aſſiſio mendicitatis profeſſionem ad Chriſti, & Apoſtolorum imitationem invexit; & utrumque Ordinem, tam Dominici ſcilicet, quam Franciſci, Honorius III. Pontifex confirmavit anno MCCXXIII.

His acceſſit Ordo Carmelitarum, quos ad Eliæ imitationem in Monte Carmelo inſtituit, & ad vitæ ſeveritatem aſſueſecit Albertus Patriarcha; qui inde in Europam concedentes, regulæ ſuæ confirmationem impetrarunt.

Eadem ætate Alexander IV. Pontifex plures Eremitas vagos & errones compulit ad Divi Auguſtini regulam, quos Eremitas Auguſtinianos appellavit.

Atque his quatuor Mendicantium familiis tertius poſt Canonicos Lateranenſes Regularium Ordo conſtituitur.

Ad quos, veluti capita minora, fere omnia, quæ poſt proceſſerunt, Monachorum divortia revocantur, præter Clericos, quos vocant regulares, & Ordines Militares, Sacræ ſcilicet Militiæ adverſus Infideles dicatos.

Status Monachorum fundatur in votis, quibus ſolemniter ſe obſtringunt, cum primum edunt Monachiſmi profeſſionem: cui voto, utpote ſolemni, diſpenſare non poteſt niſi Summus Pontifex: cum votum ſimplex regulariter ex cauſa remittere poſſit etiam Epiſcopus. (*d*) Vovendo autem promittunt obedientiam, paupertatem, & caſtitatem: idque, dum ſolemniter profeſſionem edunt, qui eſt aditus interior ad Mona-

(*a*) *Seſſ. 21. Cap. 4. & ſeſſ. 22. C. 3. de reform.*
(*b*) *Cap. 1. de Cler. ægrot.*
(*c*) *Vid. decreta apud Nicol. hoc tit. n. 45.*
(*d*) *Cap. 1. de voto, & voti redemt.*

Monachiſmum; ad quam profeſſionem etiam opus eſt juſta ætas, quam Concilium Tridentinum ſtatuit annorum XVI. expletorum, eamque profeſſionem præcedere debet annus probationis, ſive Novitiatus, cum geſtatione habitus, & vita intra Monaſterii clauſtra. (*a*) Eſt autem profeſſio vel expreſſa, quæ coram Abbate, vel alio legitimo Superiore Monaſterii palam emittitur: vel tacita, quæ inducitur ex actibus, cum ſcilicet quis poſt annum XVI. expletum, & poſt annum probationis (*b*) geſtaverit habitum novitiis & profeſſis communem, aut cum quis poſt profeſſionem, ſive ratione ætatis nondum juſtæ, ſive ratione illati metus invalidam, per quinquennium tacuerit; neque contra eam profeſſionem reclamaverit: nam ratam eam habuiſſe cenſetur; neque illam reſcindere amplius poteſt, niſi ex juſta cauſa conrra illius quinquennii lapſum fuerit a Summo Pontifice reſtitutus. At ſi habitum dimiſiſſet, non antea reclamans audietur, quam ſi ad Monaſterium & ad ſuum habitum redierit. (*c*) Mulieris tamen profeſſio, niſi poſt exploratam illius ab Epiſcopo voluntatem rata non habetur. (*d*) Renunciationes porro & obligationes intra probationis annum, niſi duobus menſibus ante profeſſionem fiant, non ſubſiſtunt, & ſi fiant intra duos illos menſes, nec profeſſio ſequatur, irritabuntur. (*e*)

Profeſſus porro, ſi non renunciaverit, bona ſua transfert ad Monaſterium, ſi capax ſit, in commune, ſin minus, ad proximiores. Ac ſane hodie poſt Concilium Tridentinum non modo Monachi, ſed & Mendicantes omnes bona poſſidere poſſunt in commune, exceptis Capucinis, & Minoribus Obſervantibus. (*f*)

Privatim vero nullus Monachus habere dominium poteſt bonorum, ne quidem cum venia Summi Pontificis: nam idem eſſet facultatem habere eam, atque ſolvi voto, & e Religione abire. Repugnat enim habere dominium rerum cum profeſſione paupertatis: unde quidquid ad Monacum pervenerit, erit in commune conferendum. [*g*] Cum autem Religionem ſemel profeſſus, mutare nequeat ſtatum, neque tranſire ad aliam Religionem, niſi arctiorem; propterea neque ex Monaſterio licet exire ſiue Superioris venia, etiamſi ad majurem ſui Ordinis Præſulatum petatur; nam, ſi ſine literis eam veniam continentibus in via reperiatur, ſui Ordinis deſertor habetur, & fugitivus appellatur, ideoque punitur: (*h*) quibus deteriores ſunt Apoſtatæ, qui prorſus retinendæ Religionis animum abjecerunt: De quibus omnibus pleniſſime cavit Innocentius XII. inter ſuas Conſtitutiones. Monialibus vero ne tantiſper quidem e Monaſterii clauſtris exire licet, niſi ex venia Epiſcopi, cauſſa cognita: puta ſi Abatiſſa præſtatione juramenti agnoſcere debeat directum dominium, a quo Monaſterium ſuum poſſideat feudum, (*i*) vel ſi vis major, quæ a natura immineat, vel ab hominibus, puta incendium, bellum, & ſimilia, quæ neceſſitate ſua ſuperant legum poteſtatem; (*k*) neque fas eſt ulli ad Moniales introire ſine Epiſcopi venia, quam concedet ex juſtis, & neceſſariis cauſis, puta ſervitii communis, vel valetudinis, vel ſalutis Animarum: quarum ratione, præter communem & ordinarium Confeſſarium, obtinere debent Moniales bis, aut ter in anno extraordinarium, cui præcordia ſua liberius pateſaciant. (*l*) Quoniam autem ſexus imbecillitas, & inſidiarum pericula præſentem cuſtodiam poſcunt; ideo Monialium regimen totum permiſſum eſt Epiſcopis, vel ut Ordinariis, vel ut Sedis Apoſtolicæ Delegatis, ſi Monaſteria ſint exemta, & Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta, niſi vel a Capitulis deputatis regantur, vel ab aliis Regularibus. (*m*)

IN-

(*a*) *Conc. Trid. cap.* 15 *ſeſſ.* 25. *de regular.*
(*b*) *Callen. in decret. b. e.*
(*c*) *Concil. Tidene. cap.* 9 *ſeſſ.* 25. *de regular.*
(*d*) *Conc Trid. ſeſſ.* 21 *cap.* 17. *de regular.*
(*e*) *Conc. Trid. ſeſſ.* 21. *c.* 16.
(*f*) *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 3.
(*g*) *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de regular. cap.* 2.
(*h*) *Conc. Trident. ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 4.
(*i*) *Cap. unico §. verum de regular. in* 6.
(*k*) *Cap. periculoſo de ſtatu regular. in* 6.
(*l*) *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 10 *de regular.*
(*m*) *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 9. *di regular.*

INSTITUTIONUM JURIS PONTIFICII LIBER SECUNDUS.

TITULUS I.

De rerum diviſione atque adminiſtratione.

RES Eccleſiaſticæ, ſive Sacræ aut ſpirituales ſunt, aut temporales, quarum illæ ad ſaltem Animarum pertinent, hæ ad Eccleſiæ, ac Miniſtrorum uſum. Spiritualium aliæ corporeæ ſunt, quæ ſenſibus contrectantur, eæque dividuntur in Sacramenta, in Res Sacras, Sanctas, & Religioſas, de quibus proxime diſſeremus. Aliæ ſunt incorporeæ, quæ ſenſibus non ſubjiciuntur, ſed adprehenduntur animo, ut virtutes. De Spiritualibus autem rebus corporeis tractare inſtituentes, primo de Sacramentis diſputabimus, ordine ſuo ad reliquas proceſſuri.

TITULUS II.

De Sacramentis.

SAcramentum eſt rei ſacræ ſignum a Deo inſtitutum ad ſignificandam gratiam præſentem, nempe ſanctitatem, & juſtitiam noſtram ab ipſo Sacramento tributam; paſſionem Chriſti, & vitam æternam: vel eſt inviſibilis gratiæ viſibile ſignum ad noſtram juſtificationem inſtitutum. Conſtat autem quodlibet Sacramentum ex materia, & forma, quæ veteres Patres exprimebant per elementum, & verbum: quorum prius materiæ, poſterius vero formæ rationem habuit. (*a*) Sacramentorum adminiſtrandorum poteſtas condita eſt in Eccleſia, quæ illam per ſuos miniſtros exercet: qui eum inſtrumentorum tantum uſum præbeant in opere, cujus efficacia, & vis tota fluit a Chriſto; ideo mores, vel pietas Miniſtri nihil prorſus conferunt ad efficaciam Sacramentorum: nihil enim refert, bonis ne, an malis hominibus Chriſtus ſuum opus exercendum committat: inſtrumenta enim ab ipſo moventur, cujus totum eſt opus: (*b*) dummodo Miniſter poteſtatem habeat & voluntatem; quam voluntatem habere dicitur, ſi generaliter facere intendat, quod Chriſtus inſtituit, vel quod fecerunt Apoſtoli; vel quod facit Eccleſia Romana: quæ omnia tendunt eo, ut quis facere velit, quod Chriſtus juſſit. Unde ſi quis infidelis, qui neque Chriſto credit, neque Eccleſiæ, cum aliquem baptizat, facere velit, quod in Eccleſia fieri perſpexit, is Baptiſmum utiliter confert. Ex tribus autem voluntatibus, ſive intentionibus, quæ Scholaſticis dicuntur habitualis, virtualis, & actualis; habitualis quidem eſt inutilis, actualis non neceſſaria; unde ad validitatem Sacramenti exigitur ſaltem virtualis, ſive, quæ ita Sacramentum antecedat, ut ex illius vi actus Sacramenti ſequatur. (*c*) Conferunt vero Sacramenta gratiam ſuapte vi, ſive, quatenus Sacramenta ſunt, non quatenus elementa, atque conferunt, ut verbis Theologorum utar, ex opere operato. Damnata eſt enim Lutheri, & Calvini ſententia, qui efficaciam Sacramentorum non a Sacramentis ipſis, ſed a ſuſcipientium fide deducunt. Porro duo ſunt Sacramentorum effectus, quorum prior eſt communis cunctis, nempe gratia, qua juſti reddimur, & character, qui animæ imprimitur a tribus tantum Sacramentis, Baptiſmo ſeil. Confirmatione, & Ordine, quæ notam inſculpunt animis, qua diſtinguamur: unde per Baptiſmi, & Confirmationis characterem ſegregamur ab Infidelibus, per characterem Ordinis ſecernimur a Laicis. Et quia ſemel impreſſus character nunquam deletur, ideo tria hæc Sacramenta nefas eſt iterare. Sunt autem Eccleſiæ Catholicæ Sacramenta ſeptem: Baptiſmus, qui aditum aperit advenientibus; Confirmatio, quæ robur addit dimicaturis; Euchariſtia, quæ alimentum eſt animæ ſaluberrimum; Pœnitentia, quæ reducit aberrantes; Extrema Unctio, quæ reficit ſemianimes; Ordo, quo Miniſtri Sacrorum inſtituuntur; & Matrimonium, quo numerus Fidelium augetur; eaque omnia Eccleſiæ quidem in univerſum ſunt neceſſaria, ratione vero ſingulorum quædam

(*a*) *Catechiſm. part. 2. de Sacram. C. 14.*
(*b*) *Concil. Tridentin. ſeſſ. 7. Cap. 2.*
(*c*) *Concil. Trident. ſeſſ. 7. C. 11. ſect. 4. diſt. 6. q. 6.*

Digitized by Google

neceſſaria dicuntur, quædam voluntaria. Neceſſaria ſunt quinque, Baptiſmus, Confirmatio Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio. Voluntaria duo, Ordo ſacer, & Matrimonium.

TITULUS III.

De Baptiſmo & ejus effectu.

BAptiſmi vocabulum venit e Græco verbo βαπτίζειν, quod eſt mergere, abluere. Baptiſmi enim aqua diluitur originalis culpa, & mergitur originale peccatum, atque ſepelitur, eodemque de fonte novus homo reviviſcit, & emergit ad gratiam. Eſt autem Baptiſmus triplex. Primus eſt proprie ac vere Baptiſmus conſtans ex aqua & verbo, diciturque Baptiſmus fluminis: duo reliqui per ſimilitudinem Baptiſmi nomen acceperunt, ſuntque ſanguinis, & flaminis. (*a*) Baptiſmus ſanguinis eſt, cum quis pro Chriſto ad necem traditur; etenim martyrio Baptiſmi fructus conſequitur. (*b*) Baptiſmus flaminis eſt, cum quis moriens, vehementi Baptiſmi deſiderio corripitur: qui ambo continere debent veri Baptiſmi votum, (*c*) ut, ſi ſalvus ſit, eo initietur. Conficitur Baptiſmus ablutione aquæ, una cum verborum a Chriſto præſcriptorum pronunciatione; non enim aqua ipſa qua utimur, eſt Sacramentum, ſed ipſe uſus aquæ, adjunctis verbis. (*d*) Igitur Baptiſmi materia eſt aqua naturalis, qua nihil communius ad hujus Sacramenti neceſſitatem, nihilque aptius ad ſignificandam interiorem emundationem. Ideo qualibet aqua elementaris, quæ miſtione, aut artificio in aliam naturam non migraverit, apta erit Baptiſmo, veluti aqua pluvia, fluvialis, marina, ciſternina: & ex multorum opinione etiam jurulenta, ſi jus non ſit ita compactum, ut aquæ fluiditatem non abſumſerit. [*e*] Unde grando, & nix, niſi ſolvantur, non ſunt Baptiſmi materia, quia non poſſunt abluendo mundationem ſignificare, neque lutum, niſi aqua ex eo fuerit expreſſa: denique ab uſu Baptiſmi excluditur aqua lactitia, ſtillatitia ex floribus, aliiſque ſpeciebus, & omnes liquores aqua commiſti, qui cum urgente neceſſitate ad Baptiſmum adhiberi poſſunt, ſi ex miſtione corpus aquæ in aliam ſpeciem non tranſierit, aut admiſta ſpecies aquæ potentia vincatur, qualis eſt aqua venarum metallicarum, quam appellant mineralem, aut lixivium; quibus Baptiſmus conferri poteſt, quia naturam retinent elementaris aquæ. [*f*] Forma Baptiſmi ea eſt, quam præſcripſit Chriſtus, (*g*) ubi miſit Apoſtolos in univerſum Orbem terrarum jubens, ut baptizarent omnes gentes *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Unde collecta eſt hæc formula: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quamvis vero quis reticeat pronomen *ego*, tamen utiliter baptizat, quia in verbo *baptizo* tacite ſubeſt: imo, etſi ſupprimatur Miniſtri nomen, etiam verum Baptiſma confertur: veluti ſi quis ita more Græcorum pronunciet: *Baptizetur Servus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. *h*). Imo etſi Grammatices ignarus non dolo, ſed imperitia ſyllabas corrumpat, ut dicat: *Ego te baptizo in nomine Patrua, Filia, Spiritua Sancta*, dum veram notionem perſonarum concipiat, etiam recte baptizabit. (*i*) Nec deſunt, qui probent nunc etiam Baptiſmum, collatum ſcilicet *in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis: ab utroque*, quamvis uſum illius intedicendum cenſeant. (*k*) Licet etiam conferre Baptiſmum omni lingua: dum idem, quod latine, ſignificetur. Conjungenda eſt hujus formulæ pronunciatio cum ablutione, ſine qua nullus eſt Baptiſmus: quamvis nihil referat, an ablutio fiat per unicam, an per trinam merſionem, aut per effuſionem, aut per adſperſionem aquæ in plures baptizandos, (*l*) dummodo ad caput hominis aqua perveniat:

(*a*) *cap. Baptiſmi vicem 4 de Conſecr. diſt. 4.*
(*b*) *C. Catechum. 37 de Conſecrat. diſt. 4.*
(*c*) *cap. debitum de Baptiſm. cap. 2. de Presbyter. non baptiz.*
(*d*) *Catechiſ. part. 2. de Baptiſmo c. 6.*
[*e*] *Silveſter in Summa V. Baptiſmus* 2. *n.* 5.
(*f*) *D. Thomas qu. 66 art. 4 Silveſter V. Baptiſ. qu. 2. Ricc. ad Lancell. hoc tit. in princip. Catech. inſtitut. moſcnib. lib. 5. tit. 2. num. 15.*
(*g*) *Matth. ultim. & Marc. ultim.*
(*h*) *Catechiſ. part. 2. de Baptiſ. c. 14.*
(*i*) *C. retulerunt 86. de conſecration. diſtinct. 4. facit l. qui habeat §. 4. de manumiſſ. teſtam.*
(*k*) *Gloſſ. C. multi de Conſecrat. diſtinct. 4. Riccard. hoc titul. in Lancellot. in princ. Vaſquez diſput. 144. n. 7. tit. 2.*
(*l*) *Catechiſm. p. 2. de Baptiſ. c. 17.*

niat: (*a*) unde ſi non ſit excluſus fœtus ab utero, aut exitus expectandus eſt, aut caput, ſi prodierit abluendum: an enim ſuffecerit ad perfiſſe membrum aliud principale, præter caput, quæſtionis eſt. (*b*) Ne autem hominibus unquam deeſſet remedium hoc, ad recipiendam ſalutem æternam adeo neceſſarium, Dei benignitas voluit, ut, urgente neceſſitate, a qualibet manu licite conferatur. Itaque in repentina, & ſubita re, nempe morte imminente legitimus Baptiſmi miniſter eſt homo quilibet, & parentes ipſi, qui genuerunt, [*c*] excepto ipſo baptizando, [*d*] ſive baptizans Sacerdos ſir, [*e*] ſive Clericus, ſive Laicus, ſive fœmina, ſive Hæreticus, ſive Judæus, aut Paganus, dummodo facere credat, quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, & debita materia formaque utatur. [*f*] Semota vero neceſſitate, jure ordinario miniſter Baptiſmi legitimus, & primarius eſt Epiſcopus, & ſimplex Sacerdos, & ex eorum conſenſu Diaconus. Gradus tamen ſunt conſtituti, quibus ad quemque ordinem, cum opus eſt, baptizandi facultas deveniat: nempe, ut, ſi deſit dignior, deſcendat ad minus dignum Miniſtrum. Præter Miniſtrum operam ſuam in hujuſmodi adminiſtratione Sacramenti præbent Patrini, qui fidem infantium loquela carentium in ſe ſuſcipiunt, ſeque ſponſores ac fidejuſſores pro iis offerunt. Quamobrem eorum eſt erudire pueros Evangelica doctrina, eorumque mores inſtituere, ut ad idoneam ætatem pervenientes, obligatam a ſuis patrinis fidem perſolvant. Hinc idonei tantum ſunt ad hoc munus aſſumendi, nec recipiendi Hæretici, aut Pegani, aut Judæi, nec qui ordini ſuo unice vacare, aliiſque curis abſtinere debent: unde excluduntur regulares. (*g*) Patrinorum præfinitus eſt numerus: non enim licet præter unum admittere, aut ad ſummum duos, marem, & fœminam, ne diſciplinæ ordo magiſtrorum numero perturbetur; neve plures implicentur affinitate ſpirituali, ex hac cauſa oriente, quæ tam valida eſt, ut nuptias contrahendas impediat, & contractas dirimat, [*h*] de qua in Sacramento Matrimonii diſſeremus. Porro Baptiſmi capaces ſunt omnes volentes, aut non repugnantes quales infantes ſunt; qui, etſi aſſentiri nequeant, profitentur tamen per Patrinos, ſive fidejuſſores, & ſponſores: (*i*) & baptizantur in fide totius Eccleſiæ Catholicæ, in quem ſenſum Maldonatus (*k*) explicat vulgatum illud infantes baptizari in fide parentum. Si autem invitis parentibus baptizentur, verum Baptiſmum recipiunt: quamvis per vim ab infidelibus filii non ſint abſtrahendi, ſed chriſtiana perſuaſione, atque charitate leniter inducendi, quæ Catholicorum eſt ſententia. (*l*) Adulti autem etiam in ſomnum, aut in furorem verſi baptizari poſſunt, dummodo ante ſomnum, & furorem Baptiſmi deſiderium oſtenderint: (*m*) & muti etiam & ſurdi, & ægroti; dum pro iis alii profiteantur. (*n*) Item oportet, ut adulti Baptiſmo expreſſe conſentiant, quæ dicitur diſpoſitio ad Baptiſmum, paratique eſſe debent ad recipiendum, quod Chriſtus inſtituit, etſi non habeant rectam fidem: alioquin ab Hæreticis baptizati eſſent rebaptizandi; quod vetuit Eccleſia. (*o*) Ut autem baptiſmus his vere collatus poſſit eſſe ſaluber, in doctrina & vera fide debent inſtitui: unde orta eſt cathechizandi ratio, quæ ſchola eſt, & inſtitutio baptizandorum quorum tres erant gradus; Auditorum nempe, ſive Tyronum, qui nondum ad Baptiſmum erant idonei; ſecundus gradus erat Competitorum, hoc eſt ſimul cum aliis Baptiſmum petentium, quo digni habebantur, qui Chriſtianam doctrinam callebant. Tertius erat eorum, qui cum catechizarentur, lapſi erant in publicum aliquod crimen, qui in pœnitentium numerum rejecti tres annos expectare Baptiſmum cogebantur.

In privatis domibus non licet, niſi magna ex neceſſitate, aut ob ſummam perſonæ dignitatem aliquem baptizari. (*p*) Ba-

ptiſmi

(*a*) *Ibid. c* 18.
(*b*) *Vallenſ. hoc titul.* §. 1. *Silveſter in ſumma de Baptiſm. cap.* 4 §. *primo vero.*
(*c*) *C. ad limina* 17. 30. *q.* 1.
(*d*) *C. debitum* 4. *de Baptiſ.*
(*e*) *cap. Romanus* 23. *de Conſecrat. diſt.* 4.
(*f*) *cap. ſecundum* 8. *diſt.* 19. *c. ſi inter* 25. *cum ſeq. de Conſecr. diſt.* 4.
(*g*) *Catechiſm. part.* 2. *de Baptiſm. cap.* 28. *C. non licet* 103. *de Conſecration. diſt.* 4.
(*h*) *Catechiſm. ibid. c.* 6. *c. ult. de cogn. ſpirit.*
(*i*) *cap. parvuli* 74. & *ſeq. de Conſecrat. diſt.* 4.
(*k*) *De Baptiſmo q.* 6. *part.* 2. *pag.* 120.
(*l*) *Maldonat. ibidem part.* 2. *pag.* 121.
(*m*) *cap. majores* 3. *de Baptiſ.* §. *item quæritur.*
(*n*) *cap. parvuli* 74 & *ſeq diſt.* 4. *de Conſecrat.*
(*o*) *Auguſt. lib.* 3. *contra Donatiſ. c.* 24.
(*p*) *Clement. unica de Baptiſm.*

ptiſmi effectus præcipui ſunt, primo delere peccatum ab origine contractum in infantibus, & in adultis etiam alia peccata, ſi ex animo eos pœnituerit: quamvis ad virtutis exercitationem fomes & concupiſcentia ſuperſit. Secundus effectus eſt remittere pœnas omnes ſpirituales, viamque rectam ad Cœlum aperire: quamvis pœnas judicialis fori non tollat. (*a*) Tertius eſt imprimere characterem animæ, ut propterea iterari non debeat nequidem Baptiſmus Hæreticorum, dum ne formam Hæretici corruperint: ac ſi de veritate Baptiſmi dubitetur, concedendus eſt ſub conditione, *ſi non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* (*b*)

TITULUS IV.

De Sacramento Confirmationis.

ACceptam poſt Baptiſmum fidem Sacramento munimus Confirmationis, quo robuſtiores evadimus ad prælium contra peccatorum ſtimulos ineundum: Sacramenti hujus materia eſt inunctio Sacri Chriſmatis in fronte. Conficitur Chriſma ex Oleo & Balſamo per Conſecrationem ab Epiſcopo ſingulis annis in Cœna Domini. (*c*) Forma Confirmationis his abſolvitur verbis: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, &c.* Miniſter hujus ordinarius eſt Epiſcopus, extraordinarius vero ex delegatione Summi Pontificis ſimplex Sacerdos, nec alius inferioris ordinis. (*d*) Et quia olim ſimul cum Baptiſmo ſuſcipiebatur, ideo etiam ſupereſt, ut & ſuſceptores adhibeantur. Nunc enim ad rationis uſque uſum, nempe ad ſeptennium differtur. Confirmationis effectus præcipui ſunt Gratia, qua & mundamur & ad pugnam armamur; & characteris impreſſio, ex quo conſequitur, ut non ſit iterandum, quamvis ab Hæreticis acceptum.

TITULUS V.

De Pœnitentiis & Remiſſionibus.

LApſi poſt Baptiſmum pœnitentia reſurgunt. Eſt enim Pœnitentia Sacramentum, quo relapſis peccata remittuntur, eaque duplex eſt; interior, qua dolorem præteritorum criminum & perfectioris vitæ propoſitum concipimus; & exterior, in qua conſiſtit Sacramenti ratio, qua per res ſenſibiles exprimuntur ea, quæ interius in animo peraguntur: [*e*] qualis eſt abſolvendi actus reſpondens actui interiori, quo a peccato liberamur. Cæterum communiter ex Concil. Trid. & Florentino, materia parteſque Sacramenti ſunt Contritio, Confeſſio, Satisfactio; etſi etiam peccata Pœnitentiæ materia remota dicantur, cum ab hoc Sacramento, tanquam ab igne ligna conſumantur. [*f*] Forma verbis illis continetur: *Ego te abſolvo*, quæ perſpicua eſſe debent, & expreſſa, oreque pronunciata: unde nequit abſens quis & per Epiſtolam abſolvi: [*g*] Partes ejus integrales, ſive quæ totam Pœnitentiam conficiunt, ſunt tres: Contritio, Confeſſio, Satisfactio. Contritio eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero; adeo ut Contritio, ut ſatis ſit ad Dei gratiam nobis impetrandam debeat eſſe talis, quæ graviſſimum quemcumque dolorem ſuperet rerum caducarum cauſa conceptum. [*h*] Sicut enim noſter erga Deum amor rerum creatarum amorem omnem longiſſimo intervallo antecedere debet, ita & Contritionis dolor, qui ex amiſſo Dei amore naſcitur, omnibus longe doloribus debet anteire; nec refert, quod is dolor minus afficiat ſenſum, quam dolor rerum creatarum, dummodo tum præ cæteris doloribus corripiat voluntatem: adeo ut quamvis ſenſus alicujus acrius filii morte percellatur, quam conſideratione peccati, ſi tamen ei detur optio, filii mortem, quam peccatum malit. Qui dolor appellari poteſt latine dolor æſtimationis, quia non ſenſu corporis, ſed animi æſtimatione metitur damnum. Quamvis raro ac-

(*a*) *Catechiſm. part. 2. de Baptiſm. c. 6.*
(*b*) *cap. 2. de Baptiſm.*
(*c*) *cap. quoniam de ſent. excommun. in 6. c. ſi quis de alio 122. de Conſec. diſt. 4.*
(*d*) *Covarruv. lib. 1. cap. 10. variar.*
(*e*) *Catechiſm. de pœnitent. c. 6. & 13.*
(*f*) *Catechiſm. ibid c. 18.*
(*g*) *Vid. declarat. Clem. 8. in Bulla 87. SS. Dominus noſter.*
(*h*) *Concil. Trident.*

cidat, ut dolorem veritatis dolor ſenſus non comitetur: itaut nulla ſit via tutior ad expendendam Contritionis veritatem, quam ſumma ſenſibilis doloris intentio. Hæc autem dicitur Contritio perfecta, quæ ſi votum Confeſſionis & Satisfactionis includat, remiſſionem peccatorum parit, etſi facultas confitendi & ſatisfaciendi aliquo caſu intercipiatur. Cæterum, ſi Contritio ad eum gradum non perveniat, qui ſit ad impetrandam veniam ſatis, adjuncto tamen Sacramento ſufficiet ad peccatorum remiſſionem: [a] etenim Confeſſione redditur perfecta, quæ Contritio imperfecta peculiari nomine vocatur attritio, atque deteſtatio peccati, & dolor æternarum pœnarum metu conceptus. Hanc autem S. C. Trid. declaravit: *eſſe donum Dei, & impulſum Spiritus Sancti, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat*. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen etiam ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit [b] Confeſſio eſt propriorum peccatorum ad remiſſionem per Eccleſiæ poteſtatem impetrandam apud Sacerdotem expoſitio. [c] Hujus Sacramenti certum tempus præſcripſit Eccleſia, cenſuitque, ſemel ſaltem in anno rite Confeſſionem emittendam a ſingulis, ut Paſchatis tempore quiſque Sacram Euchariſtiam ejuſdem Eccleſiæ juſſu participemus. [d] Quod Communionis præceptum, quia obligat tempore Paſchatis, ideo & ad id tempus dirigitur Confeſſio, ſine qua nemo criminoſus mundatur, ut ſit ad Euchariſtiam percipiendam idoneus. [e] Juſta Confeſſionis ætas eſt, cum quis eſt doli capax, quos annos vocant diſcretionis. [f] Præter tempus autem Paſchatis, hi definiuntur neceſſariæ Confeſſionis caſus. Primo, mortis articulus. Secundo, mortis periculum. Tertio, proxima ſuſceptio alicujus ex Sacramentis, ad quæ nonniſi pure atque caſte accedere debemus. Quarto, ut vitemus peccandi periculum, quod Confeſſione procul nos arcere poſſe cenſeamus. Quinto, cum ipſa conſcientia ad Confeſſionem ſtimulamur. Sexto, ſi metuimus, ne peccatorum obliviſcamur. Septimo, ſi defectura nobis ſit Confeſſariorum copia. [g] Porro Medici mature debent ægrotos ad Confeſſionem impellere. [h] Ad utilitatem Confeſſionis tria præcipuæ ac neceſſario requiruntur. Primo, ut ſit flebilis, & luctuoſa; ſecundo, ut ſit candida, ſine fuco, & mendacio; tertio, ut ſit integra, & e memoria quidquid non defluxerit expromat, poſtquam eam diligenter quis excuſſerit; prolatis non modo criminibus, ſed & modis, ſive quas vocant circumſtantias, quando mutant ſpeciem. [i] Confeſſio Sacerdoti concredita eſt, ab eo alto ſilentio premenda & occultanda, obſignandaque ſigillo Confeſſionis, ut vulgo loquimur; quod ſigillum Sacerdos, qui fregerit, aut violaverit, peccatumve revelaverit, in arctum is & perpetuum carcerem detruditur, poſtquam dejectus fuerit ab ordine. [k] Miniſter Sacramenti hujus eſt Sacerdos, qui cum ordine ſimul habeat & juriſdictionem. Cum enim Pœnitentia ſit actus judicialis, non ſufficit ſimplex ordo, niſi ad ordinem accedat juriſdictio, ſine qua judicium eſt irritum. Univerſam vero juriſdictionem habet quilibet Sacerdos in quemcumque hominem; quando eum viderit in mortis articulo conſtitutum, quo tempore ab omni Sacerdote, & ab omni culpa, & excommunicatione quis poteſt abſolvi. [l] Quod benigniſſime inſtitutum eſt, ne quando deficiente abſolutionis ope, fideles in æternum perirent. Cæterum extra mortis articulum nemo poteſt abſolvere, niſi proprium ſubditum, & ſubditus abſolvi non poteſt, niſi a proprio Sacerdote. Proprius autem Sacerdos omnium eſt Summus Pontifex; Epiſcopus vero eſt proprius Sacerdos totius ſuæ Diœceſeos, & Parochus totius ſuæ Parochiæ:

hique

(a) *Catechiſm. c. 47. de pœnitent.*
(b) *Concil. Trid. ſeſſ 4. c. 4. de pœnit.*
(c) *Concil. Triden. ſeſſ. 14. de pœnit c. 4. & 6*
(d) *cap. omnis utriuſque ſexus de poen & remiſſ.*
(e) *Covarr. in C alma mater n. 6. & 7. Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. de pœnit.*
(f) *cap. omnis utriuſque ſexus hoc titul. Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 5. & can. 8. Catechiſm. de pœnitent. c. 58.*
(g) *Catechiſm. de poenitent. c. 59.*
(h) *cap cum infirmitas 13 de poenitent & remiſſ. Pius V. Conſt. ſupra Gregem. 11 Martii 1566.*
(i) *C conſideret. de poenit. diſt. 5. c. 5. ſeſſ. 14. Conc. Trid de poenit.*
(k) *cap omnis utriuſque ſexus de poenitent. & remiſſ*
(l) *Catechiſm. de poenit. cap. 72. Concil. Trid. Seſſ. 14. c. 7. de poenit.*

hique habere dicuntur juriſdictionem ordinariam, quæ iis defertur ex ipſo munere, quod ſuſceperunt; præter quos alii extraordinariam juriſdictionem habent jure delegato, quales ſunt regulares, quibus Pontificiis Conſtitutionibus facultas conceſſa invenitur: quamvis poſt Concil. Trid. nequeat regularis ullus, qui non ſit Parochus, eam facultatem exercere, atque Confeſſiones audire, niſi ab Epiſcopo, cui ſe examinandum debet offerre, fuerit adprobatus. (a) Non tamen quilibet ordinariam, aut delegatam poteſtatem habens, de culpis omnibus poteſt abſolvere: ſunt enim peccata, quæ ſibi excepit, ac reſervavit abſolvenda vel Summus Pontifex, vel Epiſcopus quibus remittendis generalis juriſdictionis conceſſio minime ſufficit. Ac ſane Summo Pontifici reſervati ſunt caſus expreſſi in Jure Canonico, & in Bullario, veluti primo violenta manus injectio in Clericum; (b) ſecundo, violatio clauſuræ Monialium; tertio, manus conferentes in ſingulari certamine, ſive duello; eoque provocantes, & reſpondentes; (c) quarto, ſimonia realis, vel fiduciaria, quam vocant confidentialem. Plura vide apud Interpretes. Epiſcopo vero alii caſus reſervantur ex jure, alii ex conſuetudine. Reſervantur ex jure primo peccatum, ex quo quis Clericus incurriſſet irregularitatem; ſecundo, incendium dolo conflatum, tertio, publica blaſphemia, criminaque alia, quibus publica pœnitentia imponitur; quarto, excommunicatio major, cujus abſolutionem Canonis conditor Epiſcopo reſervaverit; alioquin reſervata intelligitur Summo Pontifici. (d) Caſus vero reſervati a conſuetudine ſunt, quos quiſque Epiſcopus pro arbitrio ſuo reſervare ſibi conſueverit; ut diſtingui & comprehendi regula nequeat. Nunc ad tertiam Pœnitentiæ partem, nempe ad ſatisfactionem procedamus. Satisfactio in univerſum eſt compenſatio, aut redditio rei, vel juris ablati; quia igitur peccando detraximus Deo, quod debebamus, eum læſimus, cum ei res creatas prætulimus: propterea in ſatisfactionem injuriæ rependere Deo debemus mœrorem noſtrum ex laborioſis affectibus concipiendum, quo culpas a nobis admiſſas ſimul ulciſcamur; & Deum erga nos placatum, benignumque reddamus: quæ Pœnitentiæ pars ſatisfactio appellatur. Quamvis autem homo, qui eſt finitus, nullis operibus queat Infinitati Divinæ ſatisfacere; tamen Deus pro ſua benignitate gratam acceptamque habet, quam præſtare poſſumus; etſi majorem debeamus. Satisfactionem autem vetus Eccleſia exigere ſolebat, antequam remiſſionem largiretur pœnitentibus, qui per plures gradus ad abſolutionem perducebantur; ſi publice peccantes, publice quoque ad tollendam populi offenſionem puniri oportebat. Erant igitur quinque pœnitentiæ ordines. Primus flentium ad fores Eccleſiæ, ſeque introeuntibus commendantium, ut ſibi veniam impetrarent. Secundus eorum, qui admittebantur in Eccleſiam ad concionem audiendam, poſt eam autem ſtatim ejiciebantur. Tertius eorum, qui admittebantur ad preces pubblicas, ſed excludebantur a Sacrificio. Quartus eorum, qui Sacrificii precibus intererant, ſed Communione Corporis Chriſti arcebantur. Quintus eorum, qui omni Pœnitentiæ parte perfuncti, tantum Communionem Corporis Chriſti expectabant. Nunc autem mutata temporum ratione remiſſius agitur, & rei ante peractam Pœnitentiam, dummodo eam candide promiſerint, abſolvuntur. Satisfactio autem omnis in his tribus potiſſimum generibus verſatur; nempe oratione, eleemoſyna, jejunio: ad orationem revocantur non ſolum preces ore pronunciatæ, ſed etiam tacite recogitatæ, & quodlibet ſacrum aut docendi, aut prædicandi, aut juſte, ſancteque judicandi ſtudium. Ad eleemoſynas trahuntur cuncta opera benefica, quæ a miſericordia procedunt. Ad jejunium vero redigitur & cilicium, & peregrinatio, & fames, & flagella, & quælibet vexatio corporis. Jejunia porro vel ſponte ſuſcipiuntur, vel indicuntur ab Eccleſia, qualia ſunt vigiliæ, quatuor tempora, quadrageſima. Nunc ad alteram tituli hujus partem accedamus, hoc eſt ad remiſſiones, nempe ad indulgentias, de quibus hæc Epiſcopus Meldenſis in ſua expoſitione fidei §. 8. -- *Cum (Eccleſia aſpera peccatoribus, & laborioſa opera injungit, iique illa ſubmiſſo animo ſubeunt, ea dicitur ſatis-*

[a] *Conc. Trid. ſeſſ. 23 de reform. C. 15.*
[b] *Cap. ſi quis ſuadente 17. q. 4.*
[c] *Concil. Trid. ſeſſ. 25. C. 19. dereform & Conſtit. Gregorii XIII quæ incipit* ad tollendam.
[d] *Silveſter in ſumma, verbo caſus.*

ſatisfactio: cum autem propter eximiam pœnitentiam, pietatem, aliaque bona opera, quæ ipſa præſcripſerit, e debita aliquid ipſis pœna remittit, ea dicitur indulgentia: Et infra: *Quicumque ex hac vita in Chriſti gratia & charitate decedunt, nondum tamen perſolutis his pœnis, quas juſtis reſervavit Deus, in altera vita luunt. Earum Theſaurus congeſtus eſt ex meritis Chriſti neceſſariam ſatisfactionem exſuperantibus, & ex perpeſſionibus, cruciatibuſque Sanctorum, ſupra quam peccatorum expiatio flagitabat: quæ cum illis ſuperſint, adhibentur ad noſtras pœnas allevandas, ſicuti & veteres pœnitentes remiſſionem pœnarum aſſequebantur per preces Martyrum, & Confeſſorum, qui toleratorum abs ſe dolorum meritis veniam pœnitentibus impetrabant: quæ pœnæ cum prorſus remittebantur, indulgentia plenaria & remiſſio dicebatur*. Indulgentiarum valor expenditur primo ex affectu, & animo recipientis; debet enim peccato mortali vacare: [a] ſecundo ex voluntate dantis; tertio, ex poteſtate verborum; quarto, ex poteſtate concedentis; quinto, ex cauſa concedendi.

TITULUS VI.

De Euchariſtia.

EUchariſtia Græce ſignificat gratiarum actionem, quam, quoniam in Miſſæ ſacrificio complectimur, propterea Sacramentum Corporis Chriſti, quod in Miſſa continetur, Euchariſtia nuncupatur. Per hoc Sacramentum Chriſtum Deum habemus præſentem: ſubſtantia enim panis & vini non manet in Sacramento, ſed convertitur in Corpus Chriſti & in Sanguinem converſione mirabili, quam tranſubſtantiationem appellamus, hoc eſt actionem, qua tota & integra ſubſtantia unius rei tranſfunditur in totam & integram ſubſtantiam alterius. Unde Sacramentum hoc ſignum eſt, & res ſignificata. Signum eſt ſpecies panis & vini, res ſignificata eſt ipſe Chriſtus, qui eſt in qualibet ſpecie, ſive panis, ſive vini ſeparatim, & in qualibet parte Sacramenti. [b] Euchariſtiæ duplex eſt materia: panis, & vinum, quamvis ipſum Sacramentum ſit unum, cum ad rem unam ſignificandam fuerit inſtitutum, nempe cibum ſpiritualem Corporis, & Sanguinis Chriſti. [c] Oportet autem, panem eſſe triticeum, nec refert, azymus ne ſit, quo utitur Eccleſia Latina, an fermentatus, quo, Latina tolerante, utitur Eccleſia Græca. Panis autem ex farre, oryza, fabis, milio, caſtaneis, & leguminibus, aliiſque id genus, non eſt vera hujus materia Sacramenti: [d] quia communi loquendi uſu panis nomine triticeum intelligimus, & quidem aqua elementari confectum, non roſacea, melle, lacte, oleo, per quæ panis tranſit in aliam ſpeciem. [e] Vinum vero debet eſſe ex uvis, quo utimur ad potum, quoque uſus eſt Chriſtus; (f) unde rejicitur omphacium, ſive ſuccus immaturarum uvarum, & acetum, quod vini naturam aceſcendo depoſuit, & vinum congelatum, niſi poſtquam fuerit ſolutum. Ex muſto tamen conficitur Sacramentum. [g] Vino admiſcendum eſt aliquantulum aquæ, tum quia id credibile eſt feciſſe Chriſtum de more in menſa; tum propter aquam, quæ de latere ipſius una cum ſanguine fluxit. Forma Conſecrationis Euchariſtiæ alia eſt in pane, alia in vino, utræque ex Chriſti ore ſumtæ, qui panem his verbis in Cœna conſecravit: *Hoc eſt corpus meum*; idemque præſcripſit faciendum Eccleſiæ pro Conſecrationis forma. Alia forma, nempe conſecrandi Sanguinis eſt illa: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*: quæ exponitur, hic eſt Sanguis meus, qui hoc Calice continetur. (h) Sacramenti hujus Miniſter eſt ſolus Præsbyter, ſive Sacerdos: Sacerdotibus enim Chriſtus dixit, *hoc facite in meam commemorationem*. Cum autem omnes mortali peccato involuti ab hoc Sacramento arceantur; etiam Presbyter a conficiendo eodem Sacramento Miſſaque celebranda debet abſtinere, niſi copia Confeſſarii deſit, apud quem culpam emendet: tunc enim ſi neceſſitas urgeat, ei celebrare licebit; dummodo, quamprimum poterit: poſt cele-

[a] *Navarr. de indulg. not. 19.*
[b] *Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 3.*
[c] *Catechiſm. de Sacram. cap. 10.*
[d] *Can. in Sacram. d. 2 de Conſecrat. Catechiſm. p. 2. de Euchariſt. cap. 12.*
[e] *Silveſter de Euchariſt. §. 1. quæritur.*
[f] *Luc. 22. can. in Sacram. d. 2 de Conſ. Catech. p. 2. de Sacram. Euch. C. 17.*
[g] *C. cum omne C. didicimus diſt. 2. de Conſ. Vallenſ. cit. de celebrat. Miſſæ §. 1.*
[h] *Catechiſm. cap. 23. de Euchariſt.*

celebrationem confiteatur: (*a*) nec tamen licet, niſi jejunis, & ſemel in die Miſſam celebrare, præterquam in Chriſti natali die, vel urgente neceſſitate; (*b*) teneturque Sacerdos Hoſtiam abs ſe conſecratam ſumere, ſive communicare, ni velit ab Eccleſiæ liminibus arceri, & per annum a celebratione ſuſpendi. (*c*) Tripliciter autem Euchariſtia ſumitur: ſacramentaliter; ſpiritualiter; & ſacramentaliter & ſpiritualiter ſimul. Sacramentaliter ſumunt omnes, etiam crimininoſi, qui dentibus tantum hoc Sacramentu premunt, non animo attingunt. Spiritualiter ſumunt vere pœnitentes, & puri, quibus deeſt copia illius, cujus gratiam deſiderio & voto aſſequuntur: ſpiritualiter vero & ſacramentaliter ſumunt, qui pio corde os ad illud admovent: nam & ipſam Chriſti carnem ore attingunt, & Sacramenti gratiam ſpiritu comprehendunt. (*d*) Ad Euchariſtiam admittuntur omnes, qui ad annos diſcretionis pervenerunt, & ſemel in anno ſaltem obligamur tempore Paſchatis Reſurrectionis: quamvis antea ter ſaltem obligaremur, ut patet ex Concil. Eliberit. a quo uxorati jubentur tres, quatuor, aut octo ſaltem dies ab uxore ante Euchariſtiam abſtinere: quod priſcæ ſeveritati relinquitur. (*e*) Sacramentum hoc tria ſignificat: primo Paſſionem, Chriſti: cum Paulus ſcribat, nos mortem Domini annunciare, quotieſcumque Panem hunc manducamus, & Sanguinem bibimus. Secundo cœleſtem gratiam ex hoc ſpirituali alimento. Tertio cœleſtem gloriam, & fructum æternæ felicitatis. (*f*)

TITULUS VII.

De extrema Unctione.

Extrema Unctio Sacramentum eſt, quod datur exeuntibus ab hac vita; eſtque Sacramentum, quo graviter ægrotans certis in partibus corporis ad peccatorum remiſſionem, & virium robur oleo ſolemniter inungitur; per quam Unctionem exteriorem corporis interior in anima cœleſtis gratiæ Unctio ſignificatur. (*g*) Hujus Sacramenti materia proxima eſt ipſa Unctio, remota vero, quam vocant, eſt oleum: non illud balſamo miſtum, quod Chriſma appellatur, cujuſmodi eſt in Confirmatione, atque in Unctione Regum, & Sacerdotum; ſed oleum purum ab Epiſcopo etiam in die Cœnæ Dominicæ conſecratum, quod & oleum dicitur Catechumenorum cum eo liniantur & Catechumeni in pectore & in ſcapulis. (*h*) Forma Sacramenti hujus concepta non eſt verbis directis, utpote *ego te baptizo*, ſed obliquis & precariis, nempe his: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid oculorum, ſive narium, ſive tactus vitio deliquiſti*. Liniuntur enim oleo ſenſus, per quos vitia contraximus, oculi nempe, aures, nares, os, & renes, tamquam luxuriæ ſedes, exceptis fœminis, quibus ob ſexus pudorem renes non unguntur. Miniſter Unctionis eſt Epiſcopus, & Sacerdos, qui juriſdictionem habeat, nempe Parochus, niſi urgeat neceſſitas, quo caſu quilibet Sacerdos recte adminiſtrat, etiam regularis. (*i*) Solis autem ægrotis hoc Sacramentum præbetur, non vero capite damnatis, niſi ex morbo brevi morituris, neque ex præſenti conſuetudine infantibus & pueris, neque amentibus, qui antequam in furorem inciderent, deſiderium illius non oſtenderint, cum ægrotarent. (*k*) neque iis, qui Euchariſtiam nondum ſumſerint. Sed in quo morbi gradu ſit hoc Sacramentum ſuſcipiendum quæritur, & rectius meo judicio putant, qui negant, ad extremum expectandum, ac tempus cenſent idoneum, ſi grave aliquod periculum impendeat, quod valde conſonat uſui veteris Eccleſiæ, ubi ante Euchariſtiam; & poſt cum Euchariſtia ſeptem dies totos ægrotus ungebatur.

TITULUS VIII.

De Sacramento Ordinis.

Cum libri primi variis titulis plura de Ordinibus ſpecialiter retulerimus; pauca

[*a*] *Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap 7.*
[*b*] *Cap. conſuluiſti de celeb Miſſæ, ubi Gloſſ.*
[*c*] *Can peracta 10. d. 2. de Conſecrat. can. relatum 11. ead. d.*
[*d*] *Conc. Trid. ſeſſ. 13. de Euch. cap. 8.*
[*e*] *C. omnis homo d. 2. de Conſ.*
[*f*] *Catech. cap. 20. de Euchariſt.*
[*g*] *Catechiſm. cap. 5. & 7. p. 2. de Sacramento Unct. C unic. de Sacra Unctione.*
[*h*] *Cap. unic. de Sacra Unctione.*
[*i*] *Clem. 1. in princ. junct. cap. ult. de privileg.*
[*k*] *Catechiſm. cap. 19.*

ca nunc in univerſum dicenda ſuperſunt. Ordo latine ſignificat gradum quendam, ſive ſtatum perſonarum, aut dignitatem, unde Ordo Senatorius, Ordo Equeſtris, qui diſtinguebantur a reliquo populo, nempe a plebe. Qua ratione, qui e Chriſtianis ad divina munera, & ſacra miniſteria ſuſcipiuntur, Ordinem diſtinctum a cæteris conſtituunt, diciturque Ordo Clericorum, tanquam ſortientium partem Dei, ſive illius miniſterii. Sed de materia & forma hujus Sacramenti quærentes, animadvertere debemus, duplicem poteſtatem Preſbytero in Ordinatione tribui, quæ duplici, diſtinctaque cæremonia exprimitur; conficiendi ſcilicet Euchariſtiam, quæ tribuitur per traditionem Calicis & Hoſtiæ, & ligandi atque ſolvendi, quæ confertur per manus impoſitionem verbis illis adjectis, nempe *accipe Spiritum Sanctum*; quæ manuum impoſitio plurium ſententia pro materia habetur, verba vero pro forma, ſicuti & pro materia ducitur Calicis traditio, qua ſemper in Eccleſia Presbyteri conficiendæ Euchariſtiæ poteſtatem acceperunt. Forma vero ſunt verba, quæ huic traditioni Calicis adjiciuntur. De quibus tamen variæ ac diſcrepantes Theologorum ſententiæ referuntur. Legitimus hujus Sacramenti Miniſter eſt Epiſcopus, quem juriſdictione atque poteſtate ſemper præcelluiſſe Presbyteris, perpetuo Eccleſiæ teſtimonio confirmatur: cum Ordinatio, & Confirmatio ſemper Epiſcoporum fuerint munus, excluſis Presbyteris, etſi non ſemper nominibus diſtinguerentur.

TITULUS IX.

De Sacramento Matrimonii.

Matrimonium eſt viri & mulieris maritalis conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens: ita dictum, quod eo conſilio mulier nubere debeat, ut mater fiat: (*a*) per conjunctionem autem viri cum muliere Chriſti cum Eccleſia copulatio ſignificatur. Materiam Sacramenti hujus varii variam ſtatuerunt: alii enim eam in ipſo conſenſu ponunt, hoc eſt in contractu civili, quem Chriſtus in inſtitutione Sacramenti minime mutavit, ſed quod invenerat retinuit; alii in ipſis contrahentium corporibus: formam autem in expreſſione verborum; alii verba ipſa conjugum pro materia ponunt, & pro forma conſenſum animorum. Quoniam autem Matrimonium a ſponſione inchoatur, conſenſu conſtituitur, & copula conſummatur; ideo de ſingulis, ac primo de Sponſione diſſeramus.

TITULUS X.

De Sponſalibus.

Sponſalia ſunt mutua viri & mulieris in matrimonium ſponſio, ſive futurarum nuptiarum mentio, ac remiſſio, quæ a ſpondendo Sponſalia dicuntur: vel proprie, vel minus proprie: proprie Sponſalia nuncupantur illa, quibus futuri Matrimonii promiſſio includitur, quæque ſponſalia de futuro nuncupantur. (*b*) Minus proprie dicuntur, quæ Matrimonium inducunt præſens, utriuſque conſenſu jam abſolutum, cui non deeſt niſi conjunctio corporum, quod appellatur Matrimonium ratum, ſive ſponſalia de præſenti. Cum vero de ſponſalibus loquimur ſimpliciter, ſponſalia de futuro intelliguntur, ad quæ contrahenda requiritur futurorum conjugum conſenſus: ideo, niſi ætatem habeant rationis capacem & idoneam ad id quod agunt intelligendum, ſponſalia valida non contrahunt. Eam autem ætatem definitam invenimus ſeptennium abſolutum. (*c*) Conſenſus autem, dummodo ſit certus, nihil refert, expreſſus ne ſit, an tacitus, nempe re, traditis arrhis, an verbis, ſive pronunciatis, ſive ſcriptis, hoc eſt per epiſtolam; nec refert, nutu ne quis aſſentiatur, an ſilentio, puta parentibus pro filio reſpondentibus; non tandem refert, per ſe quis contrahat, an per procuratorem; per mandatum antecedens, an per ratihabitionem: omnibus enim modis certum conſenſum exprimentibus recte contracta ſponſalia reputantur. (*d*) Contrahi ſponſalia poſſunt pure,

---

[*a*] *Auguſt. lib. 13. contra Fauſtum c. 26.*

[*b*] *cap. præterea cap. 15, qui 30 & cap. ult. de ſponſal. cap. qui deſponſaverit 12. 27 q. 2. C. 1 C. tuæ fraternitatis 25. & cap. inter virum 31. de ſponſal.*

(*c*) *cap. litteras 4. cum ſeq. cap. ad diſſolvendum 13. de deſponſ. impub. l. in ſponſal. 14. in fin ff de ſponſ.*

[*d*] *L. ſufficiat. 4. cum ſeq. C. unico de deſponſation. impub. in 6. C. qui tacet de reg. juris in 6. & C. ratihabit. ibid.*

pure, ſub conditione, & in diem; pure, his verbis: *ego te accipiam uxorem ego te in maritum:* itaut nulla conditio exprimatur; nam ſi conditio aliqua tacita inſit ſponſalibus, dummodo non exprimatur, ea non ſuſpendit. (*a*) Conditionalia ſunt, quæ conferuntur in eventum aliquem incertum, a quo ſuſpenduntur: ut, niſi ea conditio extiterit, irritentur, ut, *ego te in uxorem accipiam, ſi tantum dotis nomine dederis*: tum enim non ſunt firma ſponſalia, niſi poſt conditionem impletam: (*b*) niſi acceſſerit conſenſus de præſenti, aut carnalis copula, aut conditio ſit turpis, vel impoſſibilis: quæ conditiones duæ rejiciuntur firmis manentibus ſponſalibus: quæ tamen ſponſalia infirmantur, ſi conditio naturæ Matrimonii adverſetur. (*c*) In diem contrahuntur, cum quis ſpondet, ſe accepturum aliquam in uxorem intra certum tempus. (*d*) Contracta ſponſalia obligationem contrahendi Matrimonii pariunt, ut ſi alteruter a voluntate receſſerit, auctoritate judicis, & metu pœnarum poſſit induci: non continuo tamen per cenſuras Eccleſiaſticas, ſed aliis pœnis, nempe carceris: (*e*) niſi periculum aliquod ex hujuſmodi conjunctionibus invitis, & luctuoſis timeatur: tum enim coercitionibus abſtinendum. [*f*] Secundum quam expoſitionem tollitur celebris oppoſitio, quæ notatur inter Cap. *ex literis*, & Cap. *requiſivit* de ſponſalibus. Olim ſponſalia iſta de futuro per ſubſequentem copulam, ſine alia ſolemnitate, tranſibant in verum juſtumque Matrimonium; hodie tamen ſublatis per Concil. Trid. clandeſtinis Matrimoniis, (*g*) ſponſalia iſta de futuro, quibus acceſſit copula, non migrant in conjugium, quia rediguntur ad Matrimonia clandeſtina jam vetita. Variis tamen ex cauſis ſponſalia de futuro diſſolvuntur: nam præter mortem naturalem, diſſolvuntur primo, communi diſſenſu utriuſque, licet ſponſalia, ſint jurejurando vallata: etenim quiſque poteſt remittere jusjurandum ſui gratia præſtitum. (*h*) Impuberes vero diſſentire poſſunt puberes facti, dummodo conjunctione corporum abſtinuerint. (*i*) Si vero, dum ſponſalia contrahebantur, alter erat pubes, alter vero impubes, & iſte impubes poſtea pubes factus, diſcedere velit a contractu, ſponſalia diſſolventur, etiam eo diſſentiente, qui tempore contrahendorum ſponſalium pubes erat. [*k*] Secundo, diſſolvuntur ſponſalia tam de futuro, quam de præſenti, ſi alter conjugum, etiam altero invito, Religionem ingrediatur, dummodo copula non acceſſerit: nam poterit alter alias ſibi nuptias quærere. (*l*) Tertio diſſolvuntur per ſuſceptionem Sacri Ordinis. (*m*) Quarto, per longinquas peregrinationes, quæ alterius animum a conjugio evagantem declarant. (*n*) Quinto, per lapſum temporis ad celebrandas nuptias præfiniti; nam id tempus ideo adjectum cenſetur, ut eo exacto ad libertatem redeat quiſque ſuam. Sexto, ſi conditio nuptiis adjecta evanuerit. [*o*] Septimo, ſi contrahantur ſponſalia de præſenti: cum enim ſit fortius vinculum, ſponſalia de futuro diſſolvuntur. (*p*). Octavo, per fornicationem alterius conjugum, vel præcedentem ſponſalia, vel ſubſequentem, ſi quidem fornicatio præcedens ſponſo fuiſſet occulta; nam ſi ſponſo innotuiſſet, & adhuc contraxiſſet, eam remiſiſſe cenſetur. Diſſolvit autem ſponſalia, etiam fornicatio ſpiritualis, puta hæreſis, vel apoſtaſia: & quoniam nemo ex crimine ſuo libertatem agendi, quod ſummum eſt beneficium, debet adipiſci, propterea is, qui ex futuris conjugibus non peccavit, ad priſtinam libertatem redit: qui vero peccavit, alterius conjugis arbitrio manet obnoxius. (*q*) Nono, per inſignem aliquem turpitu-

[*a*] *C. quemadmodum 25. de jurejurando, ubi Gloſſa V. conditio.*
[*b*] *cap. de illis 3. C. ſuper eo 5. de condit. app. & ibi Abbas.*
[*c*] *cap. ult. de cond. appoſ.*
[*d*] *cap. ficut ex literis de ſponſal.*
[*e*] *cap. requiſivit de ſponſalibus.*
[*f*] *cap. de illis de deſponſ. impub. C. ex literis 10. de ſponſal.*
[*g*] *Seſſ. 24. C. 1. de reform. matrim.*
[*h*] *cap. 2. de ſponſal. l. actione 66. §. 3. ff. pro ſocio & C. 9. de jurejurando.*
[*i*] *cap. a nobis de deſponſ. impub.*
[*k*] *cap. de illis de deſponſ. impub.*
[*l*] *cap. 2. de converſ. conjug.*
[*m*] *cap 1. & 2 ne Cleric. vel voventes.*
[*n*] *C. de illis 5. deſponſ.*
[*o*] *C. 3 de condit. appoſ.*
[*p*] *cap. duobus 1. de ſponſ. duorum. cap. ſi inter 31. de ſponſ.*
[*q*] *C. quemadmodum 25. de jurejur. C. 2. de diverſis C. non ſolum C. jam nunc, & ſeq. 28. q. 1. Piring. tit. de ſponſ. 2. §. 3. & 62.*

dinem poſt ſponſalia ſuperv enientem alterutri conjugum (*a*). Decimo, per ſupervenientem furorem. (*b*) Undecimo, per ſupervenientem affinitatem, aut per cognationem ſpiritualem. [*c*] Duodecimo per votum caſtitatis ante ſponſalia ſuſceptum. (*d*) Abſolutis ſponſalibus, ſive initiis nuptiarum ad ipſas nuptias tranſeamus.

TITULUS XI.

De Nuptiis.

Matrimonium in juſta ætate, & legitimo conſenſu fundatur. Juſta ætas, quamvis Jure Civili præfiniatur XII. annorum in fœminis, XIV. in maſculis utrimque completorum, [*e*] tamen Jus Canonicum, quo potentia potius coeundi, quam annorum numerus ſpectatur, amplexa eſt ſententiam Sabinianorum, qui ex habitu corporis, non ex ætate nuptias permittebant. (*f*) Ideoque hoc jure is, eave, cujus malitia ſuppleat ætatem, quamvis minor ſupra numeratis annis, tamen ſi ad venerem fuerit idoneus, jus habet matrimonii contrahendi, ſi quidem acceſſerit etiam maturum animi conſilium. (*g*) Legitimus conſenſus præſtandus eſt ab iis contrahentibus, qui voluntate ſua in matrimonium conveniant. Et quamvis antea diſputaretur, an præterea conſenſus parentum accedere deberet, tamen Sacrum Conc. Trid. decreto definitum eſt, non eſſe neceſſarium. Contrahentium autem conſenſus exprimendus eſt aliquo exteriori ſigno ſive verbis, ſive nutu, adeo ut mutus quoque recte matrimonium contrahat, & (*h*) dummodo conſenſus iſte ſit certus, præſtari etiam per procuratorem poteſt, ſi quidem id mandetur alicui nominatim; quod quotidiæ uſurpari videmus. Oportet autem, conſenſum hunc liberum eſſe ab omni metu, & errore. Metus enim vitiabit matrimonium, ſi gravis ſit, qualis cadere poſſit etiam in conſtantem virum, hoc eſt, qui conſtantem virum flectere poſſit ad matrimonium, tamquam minus malum. Cap. *veniens* 15. de ſponſalibus.

Nec refert, quod propria culpa ſe conjecerit in periculum, velut is, qui ſtupro puellam affecerit: nam ne cum ea quidem is valide contrahet, ſi gravi metu compellatur. (*i*) Si tamen is, qui violenter contraxerat cum conjuge ſponte habitaverit, ſecumque corpus libere commiſcuerit, ratihabitione voluntaria matrimonium ſuſtinebitur. (*k*) Error quoque perſonæ matrimonium vitiabit, ut latius infra.

TITULUS XII.

Quæ Matrimonium impedire poſsint.

Impedimentorum duo ſunt genera: unum eorum, quæ contrahendum impediunt, & contractum dirimunt; aliud eorum, quæ non dirimunt quidem contractum, ſed impediunt contrahendum. Primi generis impedimenta hiſce clauduntur verſibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Si Parochi & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc facienda vetant connubia, facta relaxant.

Alterius generis impedimenta his aliis verſibus continentur:

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum
Atque Catechiſmus, ſponſalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Quæ vero impedimenta oriuntur ex crimine ſeorſum hiſce ſequentibus verſibus deſcribuntur.

Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris.
Suſceptus propriæ ſobolis, mors presbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium ſociandum.

Sed

(*a*) Cap. ult. de conjug. leproſ.
(*b*) Cap. dilectus 24. & cap. 2. de ſponſ.
(*c*) Cap. veniens de cognat. ſpirit. cap. 2. de conſang. & affin. cap. ſi quis ſponſam 17. q. 2
(*d*) Cap. rurſus, qui Cleric. vel vov.
(*e*) Cap. ult. de deſponſ. impub.
(*f*) Ulpianus in fragm. tit. de tut. in fin.
(*g*) Cap. 3. 8. 9. ult. de deſponſ. impub.
(*h*) C. cum apud ſedem 33. C. tuæ fraternitatis 25. de ſponſ.
(*i*) Cap. veniens 15. eod.
(*k*) Cap. ad id 21. de ſponſ.

Sed jam ſingula exponamus, exordientes a dirimentibus, & primo ab errore.

Error vertitur vel in perſona, vel in ſtatu, vel in qualitate alterius conjugis. Error perſonæ, cum ſcilicet quis ducere putans Corneliam, ducit Titiam, prorſus Matrimonium irritat: (*a*) idque jure naturæ, cum nemo conſentire queat in id, quod ignorat. Error in ſtatu perſonarum; veluti, ſi quis putans cum libera contraxiſſe, poſt ſervam eam comperiat, nuptiæ vitiantur. (*b*) Error vero qualitatis, puta, ſi divitem putabat, quam pa perem invenit, aut quam cenſebat virginem, detexerit corruptam, & impudicam, nuptias non dirimit. (*c*)

Conditio, ſi honeſta ſit, neque a jure improbata, ſuſpendit Matrimonium, quoad impleatur, ut dictum eſt in titulo de ſponſalibus, niſi conſenſus de præſenti acceſſerit, vel corporum conjunctio, cum ex ea videatur a conditione receſſum. (*d*)

Votum caſtitatis, vel in ſacris Ordinibus emiſſum, vel in profeſſione Monachiſmi, quod utrumque votum ſolemne vocatur, quo dirimuntur Matrimonia poſtea contracta, ſive conſummata fuerint, ſive non, ſi quidem nuptias hoc ſolemne votum anteceſſerit. (*e*) At ſi fuerit poſt nuptias, ſive poſt Matrimonium ratum emiſſum, plurimum intererit, emiſſum ne fuerit in profeſſione Monachiſmi, an in ſuſceptione Ordinis ſacri. Nam priori, quamvis conſummata Matrimonia non dirimuntur, (*f*) dirimuntur tamen rata, & nondum conſummata; (*g*) poſteriori vero neque conſummata, neque non conſummata Matrimonia dirimuntur. (*h*) Alia vero vota dicuntur ſimplicia, quæ contrahendum quidem impediunt, ſed contractum Matrimonium non ſolvunt: (*i*) cujus diſcriminis ratio hæc eſt, quod votum ſimplex tantum ſit promiſſio tradendi ſui Deo facta: votum vero ſolemne traditionem ipſam, atque adeo contractus perfectionem inducat: quaſi exordium illud voti ſit, hoc vero conſummatio. (*k*)

Cognatio quartum eſt impedimentum, & de ea ſeorſim in titulo ſequenti diſſeremus.

Crimen quintum eſt impedimentum, ut primo, ſi ii, qui contrahendi animum habeant, conſilium injerint in perniciem alterius conjugis, atque in illius necem ſtruxerint inſidias: inſidiatores enim, ſoluto per mortem talis conjugis Matrimonio, nuptias contrahere prohibentur, etiamſi ex novo illo Matrimonio novus conjux ad fidem Chriſti pertrahatur. (*l*) Secundo, ſi non utriuſque machinatio intervenerit, ſed unius tantum, & cum inſidiatore, occiſique conjuge adulterium fuerit commiſſum, propter duplex crimen, adulterii ſcilicet & homicidii nuptiæ dirimuntur. Tertio, ſi non homicidium adulterio acceſſerit, ſed duo adulteri fidem ſibi mutuo dederint de contrahendis nuptiis poſt alterius conjugis mortem, aut re ipſa Matrimonium contraxerint: cum diſſolutis prioribus nuptiis, poſteriores jungi nequeunt, & junctæ ſolvuntur; (*m*) niſi alter ex novis conjugibus priores nuptias ignoraverit. (*n*) Quarto, Jure quidem Civili raptus crimen dirimit nuptias inter raptorem & raptam, (*o*) non vero Jure Canonico, dummodo rapta procul a raptore tutum in locum abducta, ſponte ac libere in Matrimonium conſentiat ex præſcripto Conc. Trident. (*p*) quo neglecto nuptiæ irritantur.

Cultus diſparitas A primis enim Eccleſiæ ſæculis interdictæ ſemper nuptiæ cum Judæis, & Infidelibus fuerunt, ne membra Chriſti Satanæ proſternerentur; (*q*) ægre tamen interdicto huic obtemperabant; cum ex Veterum locis, ſive id narrantium, ſive de corruptela iſta querentium, talium nuptia-

(*a*) *Cap. unica 29. q. 1. & C. tua nos de ſponſ.*
(*b*) *Cap. ad noſtram de conjug. ſerv.*
(*c*) *Cauſ. 29 q 1. per tot.*
(*d*) *Cap. de illis C. per tuas de condit. appoſita.*
(*e*) *Cap. unico de voto in 6. Conc. Trid. Cap. 9. ſeſſ. 24. de Matrim.*
(*f*) *C. commiſſum de ſponſ.*
(*g*) *Conc. Trid. ſeſſ 24. cap. 6. de Matrim. Cap. verum de converſ. conjug.*
(*h*) *Extrav. antiquæ Joan. XXII. de voto.*
(*i*) *C. rurſus, qui Clerici vel vov. vel matrim.*
(*k*) *Dorsiſ. in Grot. 24. q. 2.*
(*l*) *Cap. ſi quis vivente 31. quæſt. 1. C. laudabile de conv. infid. C. ſuper hoc & Cap. ſignificaſti de eo, qui duxit in Matrim. eam &c.*
(*m*) *C. ult. C. 5. de eo, qui duxit in Matrim.*
(*n*) *C. 1. C. veniens cit. loco.*
(*o*) *Leg. unica de raptu virg. Nov 143. de raptu mulieris, & Nov. 150. de eo, quæ raptori nupſit.*
(*p*) *Seſſ. 24. cap. 6. de reform. Matrim.*
(*q*) *1. Corinth. 6. Cyprian de lapſu ambig. lib. 9. Epiſt. 6. cap. 15. cap. 17. 28. q. 1.*

ptiarum occurrant exempla celeberrima. Unde colligunt cum Magiſtro ſententiarum Paludanus, Soto, aliique, (*a*) prohibitionem hanc, quatenus quidem contrahendum impedit, eſſe de Jure Divino, quatenus vero contractum ſolvit, eſſe de Jure Eccleſiaſtico: præcipue cum Divus Paulus ſcribat: *Si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc conſentit habitare cum eo, non dimittat illam.* Quamobrem neque cum Catechumenis licet inire conjugium: cum enim Matrimonium ſit Catholicorum Sacramentum, ejus particeps eſſe non poteſt, qui per Baptiſmum in Eccleſiam non intravit. (*b*) Inter ipſos vero infideles Matrimonium naturale ac civile conſiſtit; etenim, etſi communionem non habeant Sacramentorum, commercium tamen habent Juris Civilis, cujus vinculo Matrimonia continentur. Unde, ſi utrique ad fidem noſtram convertantur, manebit conjugium, etiamſi contractum fuerit intra gradus a Canonibus vetitos. (*c*) Non enim ſuberant Eccleſiæ conjuges, tempore, quo contraxerunt: & publice intereſt minuere difficultates adſpirantibus ad fidem, ne diſſolvendarum nuptiarum formidine retardentur: unde, etſi alter veram Religionem receperit, alter in ſua perſtiterit: tamen manebit Matrimonium propter ſpem converſionis per fidelis conjugis charitatem & perſuaſionem. (*d*) Si vero alteruter convertatur, & qui ſupereſt infidelis, vel abſcedere prorſus, vel retinere conjugium velit, ut eam a vera pietate diſtrahat, aut alio modo in peccatum inducat: licebit fideli, novis contractis nuptiis, infidelis viri commercium evitare. (*e*) At ſi, ut mos eſt Infidelium, vir unus plures duxerit uxores, quoniam plures per Evangelii legem retinere nefas eſt, adhærebit illi, cum qua primo contraxit. (*f*) Nuptiæ vero inter Catholicos & Hæreticos, ut ſi Hæreticus Catholicam ducat, quamvis crimine non careant, ideoque pœnis ſubjiciantur, (*g*) tamen minime dirimuntur. (*h*) Imo Sacra Congregatio Propagandæ fidei anno 1638. cenſuit in locis, ubi hæreſis invaluerit, hujuſmodi Matrimonia diſſuaſione potius, quam pœnis interdicenda. (*i*)

Septimum impedimentum eſt vis.

Octavum, Ordo Sacer; de quibus jam dictum in hoc ipſo titulo, ut videri poteſt; unde accedamus ad nonum impedimentum, nempe ad ligamen, ſive Matrimonium jam contractum, quo durante, nullum eſt Matrimonium ſequens, etiamſi prius fuerit tantum ratum, poſterius vero fuerit etiam conſummatum. (*k*)

Decimum impedimentum vocatur publicæ honeſtatis, quod oritur ex ſponſalibus puris, non ex conditionalibus, niſi conditio jam extiterit; exemplo illius impedimenti, quod emanat ex affinitate, atque cognatione per ratum, aut conſummatum Matrimonium inducta: itaut hoc impedimentum etiam Jure Civili cognitum, imago quædam ſit & umbra illius. Pudor nimirum ſuadet, ut a nuptiis abſtineamus propinquorum ejus, quæ nobis deſponſata fuit. Quod impedimentum S. Conc. Trid. (*l*) reſtrinxit ad primum gradum in veris & legitimis ſponſalibus de futuro: quibus diſſolutis non poſſumus contrahere cum eo, eave, qui, quæve ſponſo, ſponſæve illi eſt in primo gradu conjunctus. Nam in ſponſalibus de præſenti, ſive in Matrimonio rato, etiam poſtea diſſoluto, impedimentum hoc, jure antiquo manente, ad quartum uſque porrigitur gradum. (*m*)

Undecimum impedimentum eſt affinitas, de qua titulo ſequenti.

Duodecimum eſt impotentia coeundi: cum ſcilicet adultus (nam in pueris matura expectatur ætas) vel natura, vel triſti aliquo eventu, vel pharmaci alicujus violentia, facultate caret ad venerem exercendam; aut cum mulier obſtructam adeo habeat viam, ut virilem conatum excludat; quod impedimentum, ſi ante nuptias non innotuerit, eo patefacto, nuptiæ diſſolventur, & quidem ſtatim: ſi aſpectu ipſo dijudi-

(*a*) *Apud Cucch. inſtit. major. lib. 5. tit. 12. numero 93.*
(*b*) *Can. non oportet 28. qu. 1. & C. cave ead.*
(*c*) *C. gaudemus, qui filii ſint legitimi.*
(*d*) *1. Corinth. 7. Silveſtr. verbo Matrimonium 8. num. 10.*
(*e*) *Cap. gaudemus de divortiis. & C. quanto.*
(*f*) *Dict. C. gaudemus. Sylveſter V. Matr. 8. n. 10 §. 7.*
(*g*) *C. decrevit 14. de hæret. in 6.*
(*h*) *Cucch. inſtit. major. lib. 5. tit. 12. num. 90. Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 72. num. 2.*
(*i*) *Apud Nicol. tit. inſt. civil. de nuptiis inſpect. 6.*
(*k*) *C. 3. & ultim. de ſponſ. duor.*
(*l*) *Seſſ. 24. cap. 3. de reformat. Matrimon.*
(*m*) *Pius V. Conſtit. ad Romanum.*

judicari nequeat, perpetuum ne ſit, an temporarium impedimentum, mora, vel medicaminibus tollendum, tum ad triennii experimentum eſt excurrendum, jungendique conjuges, ut per id tempus computandum a contractis nuptiis, eorum nixu ad venerem periculum faciant virium ſuarum: ut ſi per id tempus nullo ſucceſſu ad venerem nitantur, poſt triennium Matrimonium diſſolvatur: ſi quidem de ea impotentia conſtet ex juramento conjugum ipſorum, & ſeptem propinquorum, quam Pontifex ſeptimam manum appellat: (*a*) quod ſi alteruter conjugum falſus deprehendatur, propterea, quod aliud Matrimonium contraxerit, redintegratis prioribus nuptiis, ad innocentem conjugem redire compellitur. (*b*)

Decimum tertium impedimentum eſt clandeſtina deſponſatio, de qua in diſtincto titulo.

Unde ad ea progrediemur, quæ impediunt quidem contrahendum, contractum vero non dirimunt; ea vero ſunt:

Primo. Interdictum Judicis Eccleſiaſtici, qui forte diſtulerit nuptias, quoad ſuſpicio latentis alicujus mali, aut impedimenti tollatur. Cujus cauſæ cognitio dum durat, ſeparandi ſunt conjuges. (*c*)

Secundo. Interdictum ipſius Eccleſiæ, quæ cultus divini cauſa certis anni temporibus nuptias celebrare vetat; quæ tempora per S. Conc. Trident. (*d*) conſtituta ſunt ab Adventus Dominico die uſque ad Epiphaniam, & a feria quarta Cinerum uſque ad octavam Paſchatis incluſive.

Tertio. Impedimentum erat olim Catechiſmus, ſive Inſtitutio ad Religionem Chriſtianam, quod noſtris temporibus evanuiſſe cenſetur. (*e*)

Quarto. Sponſalia de futuro, quibus impediuntur, non autem dirimuntur ſponſalia, cum alia perſona de præſenti contracta; cum hæc tranſeant in Matrimonium ratum, quod eſt fortius vinculum. (*f*)

Quinto. Votum ſimplex, quo ſe quis a Matrimonio temperaturum obligavit, non ſolemni ulla Religionis profeſſione; aut ſuſceptione Sacri Ordinis; nam ſi ille nuptias contraxerit, peccabit quidem, ſed nuptiæ ſubſiſtent.

Erant & quædam crimina, quibus impediebatur Matrimonium contrahendum, ſaltem donec pœnitentia perageretur, non tamen ſolvebatur contractus, quæ tamen præſentibus moribus minime impedimentum præbent. (*g*)

TITULUS XIII.
De triplici Cognatione.

Cognatio eſt neceſſitudo & conjunctio perſonarum, aut e ſuſceptione alicujus a Baptiſmi fonte, atque ex oblatione ad confirmationem, aut ex adoptione, aut ex corporis commiſtione procedens. Quapropter triplex eſt illa, ſpiritualis, legalis, naturalis. Spiritualis cognatio naſcitur ex ea Sacramentorum adminiſtratione, quæ regenerationis vi naturalem generationem imitatur: & propterea naturalis nexus imaginem inducit; ideoque parit impedimentum dirimens nuptiarum inter ſuſcipientes & baptizatum, patremque ac matrem illius, & inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, uno tantum aut altero ſuſceptore adhibito, præter quas perſonas enumeratas hodie prohibitio non extenditur ex Concil. Trid. (*h*) De confirmatione quoque idem Conc. Trid. eodem loco adjecit, ne cognatio inde orta ultra confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem & matrem, ac tenentem extendatur. Non contrahitur vero cognatio hæc a procuratore ſuſcipientis, ſi ſuſcipiens hunc actum alteri mandaverit. (*i*) Legalis cognatio eſt triplex; prima, in linea recta tam adſcendenti, quam deſcendenti, adoptantis & adoptati; quas inter perſonas durat prohibitio nuptiarum dirimens etiam adoptione ſoluta, ſaltem, ut aliqui volunt, ad quartum uſque gradum, (*k*) propter pudorem imaginariæ conjunctionis. Secunda in linea tranſverſali inter adoptatum & filias

(a) C. laudabilem 5. de frigidis, & maleficiatis.

(b) Eod. Cap. & C. 1. eod.

(c) Cap. 2. & 3. de Matrimon. contract. contra interdict. Eccleſ.

(d) Seſſ. 24. C. 10. de reform Matrim.

(e) Sanchez de Matrimon. lib. 7. diſt. 10. Bonac. qu. 3. p. 14. num. 6.

(f) C. veniens 13. C. ſicut 22. de ſponſal.

(g) Sanchez lib. 7. de Matrim. diſput. 17. n. 8.

(h) Ex Conc. Tridens. ſeſſ. 21. C. 2. de reform.

(i) Sacra Congregatio apud Nicolaum titul. inſtitut. de nuptiis de cognat. Cap. 4. ſub n. 37.

(k) Nicol. inſt. de nuptiis C. 4. n. 38.

lias legitimas, & naturales adoptantis ſub patria poteſtate manentes; quod impedimentum tollitur vel adoptione diſſoluta, vel filio legitimo & naturali e patria poteſtate dimiſſo: his enim modis ſolvitur legale vinculum, unde impedimentum oriebatur (*a*) Tertio affinitatis quoque ſimilitudine oritur impedimentum nuptiarum inter adoptantem & uxorem adoptantis. (*b*) Tertia ſpecies Cognationis eſt naturalis, quam carnalem appellant, quæ de corporum conjunctione procedit, quæque duplex impedimentum parit, conſanguinitatis, & affinitatis. Conſanguinitas, ſive cognatio eſt nexus perſonarum ex eodem ſtipite deſcendentium. Diſtribuitur autem Cognatio in lineas: lineæ in gradus: linea eſt ordinata ſeries perſonarum ſanguine conjunctarum; gradus vero ſunt perſonarum generationes, quibus tamquam punctis linea componitur, & dicuntur gradus, quia illorum ordinatio ſcalas quodammodo exhibet. Liuea eſt duplex, recta, & tranſverſa. Recta ſimiliter eſt duplex, adſcendentium ſcilicet una, & alia iis oppoſita deſcendentium ab adſcendentibus generatorum. In linea tranſverſa collocantur ii, qui eodem a ſtipite pendent, eorumque deſcendentes, qui eodem ab ſtipite venientes inter ſe collocati gradibus, tranſverſales appellantur: uti ſunt inter ſe fratres & ſorores, qui patrem eundem habent communem, & fratrum ao ſororum filii, qui communem habent avum, & ſic deinceps. Eſtque linea tranſverſa item duplex, æqualis, & inæqualis: æqualis eorum, qui a communi ſtipite diſtant paribus intervallis, ut fratres, & ſorores, qui æqualiter diſtant a patre; item horum filii, qui ab avo æqualiter diſtant: inæqualis vero eſt eorum, qui inter ſe intervallis diſtant inæqualibus, quorumque unus ſurſum fertur, alter deorſum, ut fratris filius, & patruus, nempe frater patris, qui ſunt inter ſe conſanguinei, quia communem habent ſtipitem, Sempronium puta, a quo natus eſt Sejus pater Caji, & Cornelius, qui Caji eſt patruus. Igitur Cajus uno gradu inferius, quam Cornelius deſcendit a Sempronio communi ſtipite: cui Cornelius eſt filius, Cajus eſt nepos: ideoque ſunt in linea tranſverſa inæquali, quæ ratio per ceteros ducitur gradus; quoniam autem inrer cognatos & conſanguineos ob naturalem honeſtatem uſque ad certos gradus tam Jure Civili, quam Pontificio nuptiæ ſunt prohibitæ; ideo graduum computandorum ratio cognoſcenda eſt, ut diſcernere poſſimus, quouſque nuptiæ permittantur; atque in linea quidem recta tam adſcendentium, quam deſcendentium quælibet perſona gradum conſtituit: unde filius patri eſt in primo gradu, quia inter eos nulla alia perſona intercedit. Nepos vero eſt avo in ſecundo gradu, quia inter eos intercedit pater, & ſic in infinitum, tam ſurſum, quam deorſum: tum ex computatione Juris Civilis, tum ex computatione Juris Canonici, quibus juribus tot numerantur in linea recta gradus, quot ſunt perſonæ, una demta; unde, quia, demto patre, ſupereſt filius, demtove filio, ſupereſt pater, propterea hi primo ſunt inter ſe gradu: nepos vero cum avo eſt in ſecundo, quia ſunt tres perſonæ, avus nempe pater, & filius, ex quibus uno demto, ſuperſunt duo: unde duo exiſtunt gradus, atque in hac linea ex utroque Jure prohibentur nuptiæ in infinitum, quotcumque, vel remotiſſimo gradu perſonæ inrer ſe diſtent. [*c*] In gradibus vero lineæ tranverſæ, nempe in collateralibus, magnum eſt diſcrimen inter Jus Civile ac Pontificium: nam Jus Civile non inducit primum gradum in tranſverſalibus, cum quot gradus prodeant, tot ſint generationes: unde frater & ſoror, qui duo ſunt generationes, inter ſe ſecundo conjunguntur. Aſt in tranſverſalibus Jure Canonico diverſa regula traditur, nempe talis; quoto gradu perſonæ diſtant a communi ſtipite, eodem diſtant inter ſe; unde quia duo filii diſtant inter ſe a communi patre uno gradu; ideo duo fratres, aut frater & ſoror inter ſe uno gradu diſtabunt: & quia nepotes, hoc eſt filii duorum fratrum, diſtant ſinguli ab avo duobus gradibus, duobus item gradibus diſtabunt inter ſe. [*d*] In linea vero tranſverſa inæquali hæc eodem ex jure regula traditur. Quoto gradu remotior diſtat a communi ſtipite, eodem diſtant inter ſe; ducitur enim ratio a remotiore, ut latior facultas Matrimoniis præbeatur; itaque fratris-

(*a*) *Cap. per adoptionem 30. q. 3 l. 17. de rit. nupt.*

(*b*) *Sanchez lib. 7. de Matrim. diſput. 73. n. 17.*

(*c*) *Leg. nuptiæ 33. ff. de ritu nupt §. ergo omnes inſt. de nupt.*

(*d*) *C. ad ſedem Cap. parentela 35. q 5.*

fratris filius diſtat a patruo in ſecundo gradu, quia diſtat duobus gradibus ab avo, nempe a patre patrui ſui, quamvis patruus a communi ſtipite, nempe a ſuo patre uno tantum gradu diſtet. (*a*) In linea autem tranſverſa nuptiæ Jure Canonico prohibentur uſque ad quartum gradum incluſive. (*b*) Præter Cognationem, & conſanguinitatem eſt alia nuptiarum prohibitio inducta ab affinitate, quæ oritur ex conjunctione duarum conſanguinitatum per connubium, ſive illigitimum ex Jure Canonico: (*c*) unde neque vir conſanguineam poteſt uxoris ducere, neque mulier conſanguineam viri: nam per ambatum copulam, etiam eorum diviſæ Cognationes inter ſe coaluerunt, ut altera videatur alterius eſſe cognatio ratione ipſius viri, ac mulieris, non ratione perſonarum, ejuſque cognationis inter ſe: quæ perſonæ rite conjungi poſſunt, cum nullo vinculo inter ſe nectantur: ideo filia uxoris ex alio marito poteſt duci a filio mariti ex alia uxore. [*d*] Contra vero filia uxoris ex alio marito ſuſcepta, ſive manente, ſive diſſoluto conjugio, duci non poterit a matris viro, quia conjuncta eſt ei viro in primo affinitatis gradu, ſicuti eſt in primo conſanguinitatis gradu mulieri conjuncta, nam per copulam efficitur, ut quo gradu conſanguinitatis ſimul ſunt conjunctæ, eodem conjungantur gradu affinitatis cum altero: unde conſanguinea mulieris in ſecundo gradu, erit affinis viri etiam in ſecundo, & ſic deinceps, ac ſicuti Canones prohibent nuptias inter conſanguineos, uſque ad quartum gradum incluſive; ita & inter affines nuptias ad eundem uſque gradu incluſive prohibent. Si tamen affinitas ex illicito concubitu oriatur, prohibitio nuptiarum ex S. Conc. Trid. (*e*) decreto non excedit ſecundum affinitatis gradum. Quibus ſuper impedimentis diſpenſare poteſt S. Pontifex in linea tantum tranſverſa, excepto primo conſanguinitatis, & affinitatis gradu.

TITULUS XIV.

De Clandeſtina Deſponſatione.

Clandeſtina Matrimonia prohibuit Eccleſia etiam ante Conc. Trid. Semper enim exegit Parochi præſentiam, & teſtium, ſed ea pœnis tantum ſubjiciebat, non irritabat. Conc. vero Trid. (*f*) irrita eſſe voluit, niſi præſens Parochus, aut alius ejus mandatu Sacerdos, & duo, aut tres teſtes adhibeantur, quando conjuges in Matrimonium conſentiunt: rum enim in faciem Eccleſiæ contrahere dicuntur. Illicitum eſt tantum, pœniſque obnoxium, ſed non irritum, ſi omittantur ſine Epiſcopi venia publicationes, quas etiam idem Concil. injunxit, præcipiens, ut antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuncietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum.

TITULUS XV.

Qui Matrimonium accuſare poſſint, vel contra illud teſtificari.

Ideo denunciationes Matrimonio præmittuntur, ut qui norint aliquod juſtum impedimentum, facultatem habeant ad illud coram judice deferendum: nam, ſi denunciationum tempus exierit, nemo ad dicendum contra Matrimonium admittetur, niſi jurejurando comprobet ſuam denunciationum aut impedimentorum per earum tempus ignorantiam. (*g*) Præterea ad accuſandum admittuntur vel ipſi conjuges tantum, ſi alterius non intereſt, & impedimentum a delicto non proficiſcatur: qualis eſt impotentia coeundi, & error ſtatus, & alterius conjugis adulterium: quibus ex cauſis accuſatio ad alios non pertinet, quam ad conjuges; (*h*) vel admittuntur parentes, & conſanguinei, ſervata gradus prærogativa, & poſt eos extranei, ſi impedimentum oriatur a delicto, puta, quod in prohibito gradu contraxerint.

(*a*) *C. ult. de conſanguin. & affinit.*
(*b*) *C. non debet de conſang., & affinit.*
(*c*) *C. 6. & 10. de eo, qui cognov. conſanguin.*
(*d*) *C. quod ſuper his de conſang. & affin.*
(*e*) *Seſſ. 24. C. 4. de reform. Matrimon.*

(*f*) *Seſſ. 24. C. 1. de reformat. Matrimon*
(*g*) *Cap. ultim. qui Matrimon. accuſar poſſint.*
(*h*) *Cap. conſultationi 4. de frigid. & maleſic. C. proponit de conjug. ſervor. C. quemadmodum 28. de jurejur.*

rint. (*a*) Accuſatio autem conſtare debet viva voce, duobus, vel tribus honeſtis perſonis vel ex cognatione adhibitis, vel ex vicinia, jurejurando addito ſuper veritate, atque alienatione animi ab omni gratia, vel odio, vel lucro, vel metu: quod juramentum eſt a teſtibus etiam ſubeundum: (*b*) In quo numero teſtium eſſe poſſunt proximi conſanguinei, & parentes; quibus etiam accuſantibus creditur. (*c*) Si tamen alter conjugum dignitate, ac divitiis præcellat, parens inferioris conjugis propter ſuſpicionem fidei ad teſtimonium non admittitur. (*d*)

TITULUS XVI.

De Divortiis.

DIvortium dicitur tamquam in diverſa diſceſſio: (*e*) diſſolutis enim nuptiis, conjuges abs ſe alio diſcedunt. Nuptiis, autem nondum contractis, ſed tantum ſponſalibus, dimiſſio ſponſæ non divortium, ſed repudium Veteribus dicebatur. (*f*) Nunc autem ab Interpretibus Juris Pontificii repudium appellatur ſolutio ipſius vinculi conjugalis, cum ſcilicet juſta ex cauſa Matrimonium adeo dirimitur, ut liceat conjugibus alias quærere ſibi nuptias, quæ vulgo dicitur diſſolutio quoad vinculum. Divortium vero intelligitur ſeparatio cohabitationis, & concubitus abſque novarum nuptiarum libertate, quæ vulgo dicitur ſeparatio quoad torum; cum vis ipſa conjugii adhuc vigeat, & uſu tantum intermittatur, aut abjiciatur illius. Lege tamen Evangelica Matrimonium ratum & conſummatum inter fideles eſt prorſus inſolubile quantum ad vinculum, propter illa verba Jeſu Chriſti: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. (*g*) Cauſæ vero ſeparationis tori ſunt hæ. Prima, ſi caſtitatem utrique conjuges voveant; aut Religionem regularem profiteantur. (*h*) Secunda, ſi alter conjugum in gentiliſmum, vel in hæreſim prolabatur. (*i*) Tertia, ſi ea conjunctio peccatum parere, aut disjunctio emendationem afferre poſſet. (*k*) Quarta, nimia ſævitia, niſi maritus caverit de uxore non vexanda, (*l*) Quinta votum longinquæ peregrinationis in Terram ſanctam, quod etiam renuente uxore impleri poteſt, (*m*) Sexta, ſi alter conjugum adulterium, aut infandæ veneris ſcelus commiſerit. (*n*) Quo judicio ſuper adulterio pendente, ſeparandi non ſunt conjuges: imo, ſi adulterium probetur, licebit viro penitentem mulierem, & ad bonam frugem redeuntem ſibique reconciliatam retinere. Quod ſi nolit, conjicienda mulier eſt pœnitentiæ cauſa in clauſuram aliarum mulierum perpetuam. (*o*) Non permittitur vero propter adulterium ſeparatio, ſi mulier invita fuerit compreſſa, (*p*) aut decepta, quod adulter ſe maritum ſimulaverit; vel ſi eodem delicto utrique conjuges involvantur, (*q*) vel ſi vir ipſe adulterium ſuaſerit uxori, (*r*) vel ſi culpam remiſerit uxori, cum qua poſt adulterium concubuerit; (*s*) vel tandem, ſi maritus ante Baptiſmum uxorem repudiaverit, & deinde ambo ad fidem convertantur: nam tum uxor, etiamſi ſecundas inierit nuptias, ad primum tamen virum redire compelletur, & vir cogetur dimittere ſecundam, quam forte duxiſſet. (*t*)

TITULUS XVII.

De Rebus Sacris & Religioſis.

RES Sacræ ſunt eæ, quæ rite per Pontificem, ſive Epiſcopum, aut Epiſcopalis

(*a*) *Cap. videtur 3. qui Matrim. accuſ. poſſ. C. 1. 35. qu. 6.*
(*b*) *C. 5. & cap. 8. 3. & 4. 35. qu. 6.*
(*c*) *Cap. videtur, & ſeq. 34 qu. 6.*
(*d*) *C. ſuper eo 22 de teſtib.*
(*e*) *L. 2. ff. de divortiis.*
(*f*) *L. inter ſtuprum 1. inter divortia 191. ff. de V. S*
(*g*) *Conc. Trid. ſeſſ. 24 C. 6.*
(*h*) *Cap. 1. & 2. de converſ. conjug.*
(*i*) *C. 2. de divor. Conc. Trid. ſeſſ. 24. C. 5. de Matrim.*
(*k*) *Cap. 2. de divort. & cap. 3. de adult.*
(*l*) *Cap. 1. ut lite non conteſtat. C. literas in fin. de reſtit. ſpoliat.*
(*m*) *Cap. ex multa §. in tanta de voto, & voti redemtione.*
(*n*) *Cap. intelleximus de adulteriis Cap. quemadmodum de jurejur.*
(*o*) *Cap. 2. ut lite non conteſt. Cap. gaudemus 19. de converſ. conjug.*
(*p*) *Cap. ita ne 32. qu. 5.*
(*q*) *Cap. intelleximus, cap. ult. de adult.*
(*r*) *Cap. diſcretionem, de eo qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ*
(*s*) *C. ſi quis uxorem 32. q. 1. Vallenſ. in decret. de divortio §. 2. n. 2.*
(*t*) *C. gaudemus de divor.*

palis Poteſtatis compotem Deo conſecrantur. Quales ſunt: Primo, Eccleſia, vel locus in ea conſecratus. Secundo, Reliquiæ Sanctorum Tertio, Repoſitaria illorum. Quarto, Vaſa ſacra, & quæ ad ædificandum adhibentur; item & Indumenta Sacerdotum in Sacrificio, & Altaris ornamenta. Quinto, Imagines Dei, B. Virginis, & Sanctorum, & ſigna, quibus illi repræſentantur. Res ſanctæ ſunt, quæ ſanctione, ſive legis prohibitione de profano commercio eximuntur: (*a*) quo ſenſu ſancta etiam dicuntur, quæ ſupra enumeravimus, & exterior ambitus Eccleſiæ ſanctus dicitur. (*b*) Religioſa vero ſunt loca, quo illatus eſt mortuus: quæ Religio ante Chriſtianos privata auctoritate inducebatur; nunc autem ſine juſſu Epiſcopi, & juſtis perſolutis, Religio non inducitur: propterea Religioſa dici poſſunt Monaſteria, & alia Loca pia.

In libro ſecundo Juſtiniani Inſtitutionum titulo primo, & §§. 7. 8. 9. & 10. de Rebus Sacris, Sanctis, & Religioſis, more ſcilicet Ethnicorum agitur.

TITULUS XVIII.

De conſtituendis, conſecrandis, & reparandis Eccleſiis & Altaribus.

ECcleſia, ſive Concio apud nos ſignificat locum, ubi conciones, & cœtus Fidelium celebrandorum cauſa Sacrorum habentur. Antequam autem Eccleſia ædificetur, debet Epiſcopus, aut ejus mandatu alius Crucem humi defigere, atrium publice deſignare, primum lapidem jacere, aqua luſtrali adſpergere. (*c*) Eccleſiæ autem ædificatæ congrua portio ex antiquæ proventibus eſt attribuenda; proptereaque veteri Eccleſiæ ſuper nova quæritur juſpatronatus, propter honorem, quem debemus eis, a quibus alimur. (*d*) Porro Eccleſia collabente, opes præbere ad illius reparationem debent, quicumque occaſionem ruinæ dedere: qua de cauſa bona eorum ſunt ad eos ſumtus tacite obligata; (*e*) deinde ii, quos enumerat Sac. Concil. Trident. ſeſſ. 21. Cap. 7. de reformat. quo præcipitur quod reparentur ex ipſius Eccleſiæ fructibus: quibus deficientibus, ex bonis patroni, aliorumque fructus percipientium; vel, ſi ii deſint, ex ſubſtantiis Parochianorum, qui ea Eccleſia utuntur. Tertio, ſi non ſit Parochialis, reparari debet ex fructibus eorum, qui beneficia ibi poſſident pro rata beneficiorum & fructuum, & ex fructibus pro fabrica deſtinatis. (*f*) Quamvis autem liceat cuique Oratoria domi privatim habere ad pietatis actus exercendos; venerabile tamen Miſſæ ſacrificium celebrare non licet, præterquam publice in Eccleſia. Etſi vero licuiſſet olim Epiſcopis concedere veniam in privatis Oratoriis celebrandi; tamen poſt Concil. Trid. Sac. illius Congregationis decreto ea facultas Epiſcopis eſt erepta, ut a ſolo Summo Pontifice venia hæc impetrata ſuffragetur, qui Pontifex ſolet eam concedere, exceptis diebus feſtis ſolemnioribus, quorum nomine veniunt dies Natalis Domini, Epiphania, Paſcha, Pentecoſtes, Annunciatio & Aſſumptio B. Mariæ, Feſtum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum: neque venia hæc eximit a præcepto audiendi Sacrum in Eccleſia diebus Feſtis, niſi ipſum Dominum cum ſua familia; (*g*) nec poteſt ibi, niſi una Miſſa in die celebrari. Oratoria vero privata Cardinalium loco publicarum Eccleſiarum habentur; unde ſuperioribus exceptionibus non ſubjiciuntur. In ædificatis Eccleſiis ante peragenda ſacra non ſunt, quam fuerint per Epiſcopum ipſum Diœceſanum, aut alium Epiſcopum, illius mandatu conſecratæ: neque enim poteſt Epiſcopus alteri ſe inferiori mandare munus iſtud, cum ſit ordinis, non juriſdictionis. (*h*) Conſecratio fit delibatione ſuperficiei interioris parietum, impreſſis Crucibus, adhibitis Sanctorum Reliquiis, inter Miſſarum ſolemnia, diebus feſtis: quamvis aliis diebus & ſine Miſſæ Solemniis facta, minime fit irrita. (*i*) Semelque facta nunquam repetitur, niſi tota pene collapſa, aut exuſta inſtauretur Eccleſia; vel niſi de illius Conſecratione ambigatur. (*a*)

(*a*) *Iſidor. lib 53 orig. c 4.*
(*b*) *l. 4. Cod. Theodoſ. de his, qui ad Eccl confug*
(*c*) *C. Nemo Eccleſiam diſt. 1. de Conſecration. nov. 131. c. 7.*
(*d*) *cap. ad audientiam de Eccleſiis ædific. cap. præcipimus 16. q. 1.*
(*e*) *Vallenſ. in decr. de Eccleſ. ædific. 52.*
(*f*) *cap. 1. de his 4. de Eccl ædific Can ſi Monach. 16 quæſt. 2. C. decernimus 10 quæſt. 2*
(*g*) *Vid. hæc decreta apud Nicol. Canon. lib 5. decret. tit. 33 n. 7.*
(*h*) *cap penult. de Conſecrat. Eccl. vel Altar.*
(*i*) *Abbas cap. propoſuiſti 4. n. 7. de Conſecrat. Eccleſ.*

Si vero Eccleſia publice polluatur per ſanguinis, aut ſeminis humani effuſionem, aut per ſepulturam pagani, vel excommunicati; tum non conſecranda iterum eſt, ſed expianda, ſive reconcilianda, effoſſo cadavere, cum adſperſione aquæ benedictæ. (*b*) Conſecratur etiam Altare lapideum, ſive mobile, ſive fixum a ſolo Epiſcopo, (*c*) & iteranda eſt ei Conſecratio, ſi frangatur graviter, vel ſi e baſi, ubi Altare fuerat affixum, evellatur. (*d*)

TITULUS XIX.

De Unionibus Eccleſiarum.

PLures Eccleſiæ in unam vel neceſſariis, vel utilibus ex cauſis conjunguntur. (*e*) Neceſſariæ ſunt paupertas Eccleſiæ, quæ alteri opulentiori unitur, ut facilius ſuſtentetur. (*f*) Item ſolitudo Eccleſiæ, atque vaſtatio, propter quas indigeat, ut potentiori Eccleſiæ adjuncta muniatur. Utiles cauſæ ſunt, (*g*) ſi unus Sacerdos commode pluribus vacare nequeat Eccleſiis: aut ſi una Eccleſia ſufficiat omni populo ad minorem numerum redacto. Et quoniam hæ cauſæ aliæ perpetuæ manent, aliæ ad tempus; ideo vel perpetua unio erit, ſi cauſa ſit perpetuo duratura, vel temporaria, ſi non ſemper unionis cauſa ſit permanſura. Rurſus unio tripliciter fieri poteſt, vel ut una Eccleſia ita ſubjiciatur alteri, ut altera manente, nomen & dignitas Eccleſiæ ſubjectæ prorſus extinguatur: (*h*) quo caſu iſta, cujus nomen extinguitur, tranſit in alterius naturam, dignitatem, privilegia, & jura, ut filia illius; vel ita unientur, ut ex duabus dignitatibus una dignitas coaleſcat, atque unius Eccleſiæ Canonici, & Prælati alterius etiam Eccleſiæ Canonici, & Prælati evadant: quo caſu non modo ſua quæque jura & privilegia, quæ habuit, retinebit, ſed altera alterius optima quæque privilegia nanciſcetur; (*i*) vel denique ita unientur, ut non modo ſua cuique jura Eccleſiæ maneant, ſed etiam dignitates inter ſe ſeparentur, uni tamen, eidemque Prælato conferuntur, quo caſu duæ habentur Eccleſiæ ſeparatæ, quæ tantum in Præſulis perſona, retentis propriis cujuſque juribus, conjunguntur. (*k*) Cumque olim licuiſſet beneficia diverſarum Diœceſum ita conjungere; ut ſua cuique Epiſcopo jura ſalva eſſent: poſtea Conc. Trid. ut confuſionem omnem, unde oriuntur diſcordiæ, prorſus tolleret, interdixit, ne diverſarum Diœceſum beneficia unirentur. (*l*) Uniones vero fiunt vel Cathedralium, vel minorum Eccleſiarum. Cathedrales unire poteſt Romanus tantum Pontifex: (*m*) Archiepiſcopus vero, aut Primas, aut Patriarcha ſuffraganei ſui Eccleſias unire non poteſt ſine illius conſenſu: minores autem Eccleſias, etiam Parochiales, aliaque beneficia propriæ Diœceſeos quilibet Epiſcopus, etiam non conſecratus, dummodo confirmatus, imo etiam Sede vacante Capitulum, dummodo nihil juribus detrahat Epiſcopalibus. (*n*) Poteſt autem Epiſcopus ex juſtis cauſſis unire etiam beneficia generaliter, vel ſpecialiter reſervata ex decreto Sac. Conc. Trident. (*o*) debetque in unionibus Capituli ſui conſenſum adhibere ex receptiore ſententia. (*p*) Menſæ tamen propriæ unire beneficia non poteſt Epiſcopus, etiam adſentiente Capitulo propter proprii lucri ſuſpicionem, qua vacare debet hic actus. (*q*) Beneficia vero exemta, & Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta (*r*) unire non licet Epiſcopo, neque diverſorum ordinum & profeſſionum Eccleſias. In unione autem Eccleſiæ patronatæ requiritur patroni conſenſus, aut aliorum, quorum jura lædi poſſunt. (*s*)

Diſſolvuntur uniones, & Eccleſiæ ad primæ-

(*a*) *C. Eccleſia 18. quæſt. 1. de Conſecrat.*

(*b*) *C. aqua penult. cum concord. de Conſecration. Eccleſ. vel Altar.*

(*c*) *C. quod in dubiis 3. de Conſecr. Eccleſ.*

(*d*) *Eod. C. & C. ligneis de Conſecr. Eccleſ.*

(*e*) *C. expoſuiſti 33. §. 1. evidens de præb. & dign.*

(*f*) *Cap. unio 3. in fine quæſt 3. cap. poſtquam 49 16 quæſt 1.*

(*g*) *C & temporis 16. qu. 1.*

(*h*) *Cap. recolentes de ſtatu Monach. C. ſicut unire de exceſſ. Prælat. C. & temporis 16. quæſt. 1.*

(*i*) *DD. C. novit ne ſede vac.*

(*k*) *Cucch inſt lib. 2. num. 6*

(*l*) *Concil. Trid c. 9 ſeſſ 14. de reform.*

(*m*) *Cap. quod tranſlationem de offic delegat.*

(*n*) *DD. in Clem. 1. §. ad hæc de ſtatu Monach. Caccia, ſup. tractat. de union. art 3. n. 19.*

(*o*) *Seſſ. 21. cap. 5. de reform.*

(*p*) *DD. in Clem. ſi una de reb. Eccleſ. non alien.*

(*q*) *Clem. ſi una de reb. Eccleſ. non alien.*

(*r*) *Clem. ne in agro § ad hæc de ſtatu Monach.*

(*s*) *Cap. rationis, cap. Monaſterium 16. q. 7.*

mævum ſtatum reducuntur lapſu temporis præfiniti, ſi unio facta ſit ad tempus; ſed, ſi fuerit perpetua, diſſolvitur ceſſantibus cauſis, ab eo, qui uniendi habet auctoritatem: etſi unio Eccleſiarum vacantium diſſolvi nequeat, ne ſtatus Eccleſiarum Sede vacante mutetur. (*a*)

TITULUS XX.

De Immunitate Eccleſiarum.

IMmunitas eſt libertas locorum, rerum, vel perſonarum ſacrarum a pœnis muneribus & oneribus profanis. Unde eſt vel localis, qua gaudent Eccleſiæ, & alia loca Eccleſiaſtica; vel realis, quæ rebus & bonis Eccleſiaſticis competit; vel perſonalis, quæ perſonis Eccleſiaſticis tribuitur. Nunc de locali, quæ verſatur in Eccleſiis ſive conſecratis, ſive non conſecratis, (*b*) ſive interdictis, uſque ad 40. paſſus ejus ambitus, ſi Eccleſia ſit Baptiſmalis, ſi vero ſit Eccleſia minor, uſque ad 30. [*c*] & Cæmeterium etiam immunitate gaudet, ſive continens Eccleſiæ ſit, ſive disjunctum; (*d*) item & atrium: (*e*) item & Palatium Epiſcopi, (*f*) & Monaſteria, & Sacella, & Oratoria perpetua, & publica extructa Epiſcopi auctoritate ſunt immunia. Idem & Hoſpitalia, & Seminarium Clericorum, & Clauſtrum Religioſorum, & alia loca ſacra, & religioſa. Item & domus Canonicorum ſitæ intra 30. vel 40. paſſus ambitus Eccleſiæ ex ſuperiori diſtinctione: non autem domus laicorum; ne immunitas porrigatur ubique. Unde in Civitatibus propter frequentiam Eccleſiarum, & domorum vicinitatem hæc paſſuum exemtio locum habere non poteſt. (*g*) Neque ex Sac. Congregat. decreto Oratoria in privatis domibus fundata ſunt immunia, neque Sacella publicorum carcerum. (*h*) Extenditur vero immunitas etiam ad Palatium Cardinalium, unde non licet reum extrahere: (*i*) ſicuti non licet eum avellere a corpore Sacerdotis Euchariſtiam deferentis, ad quem confugerit. Caput autem localis immunitatis eſt, ut aſyli jure ſacra, & religioſa loca fruantur, ideoque tutum ſit eo perfugium, neque inde quiſquam extrahi debeat per vim, aut per dolum, puta blandis verbis: dumque in Eccleſia manet, non poteſt privari neceſſario victu, neque in vincula conjici, (*k*) & ſi extrahatur, is qui extrahit, excommunicationis pœnam incurrit, Summo Pontifici reſervatam, ut remitti nequeat ab alia poteſtate, niſi a Summo Pontifice, articulo mortis excepto, quod & veteribus Canonibus definitum eſt, [*l*] & noviſſime per Conſtitutionem Gregorii XIV. quæ incipit, *cum alias nonnulli conſtitutum*; qua bulla totum hoc immunitatis argumentum plenius tractatur atque explicatur. Præterea idem extrahens ſacrilegus reputatur, cogiturque ad rerum reſtitutionem, refectionemque damnorum, quæ ob extractionem reus accepit: eritque irritum quidquid contra reum talem fuerit in judicio geſtum. Id etiam immunitas præſtat, ut omnis profanus actus, omnis contractus, omne mercimonium, omnis judicii ſpecies, aliudve quid cultui divino minime conveniens a ſacris locis procul arceatur. Ne tamen confugii ſpes impunitatem, & licentiam; atque frequentiam pariat gravium delictorum, certa ſunt crimina veteribus Canonibus excepta, & in eadem Bulla nominatim expreſſa, quæ propter eorum enormitatem Eccleſiaſticæ immunitatis commodum adimunt. Unde immunitate locali non gaudent primo, publici Latrones. Secundo, Graſſatores viarum. Tertio, Depopulatores agrorum. Quarto, Hæreticus, niſi confugerit ad Eccleſiam ob aliud crimen, quam hæreſeos, [*m*] tum enim Hæreticus gaudet, ſicut & Judæus, & Paganus. Quinto, Reus leſæ Majeſtatis. Sexto, Delinquens in Eccleſia ſub fiducia immunitatis, Septimo qui proditorie, ſive per amicitiæ ſimulationem occiderit. Octavo, qui occiderunt, mandatu alterius, ſive quos vocant aſſaſſinos: non tamen in his caſibus

[*a*] *Cap. 1. ne Sede vacante.*
[*b*] *Cap. Eccleſiæ 9. & cap. inter alia de immunit. Eccleſ.*
[*c*] *Cap. ſicut antiquitus 17. quæſt. 4.*
[*d*] *Cap. ult. de immunit. Eccleſ.*
[*e*] *Caput ſi quis in atrio 17. quæſt. 4.*
[*f*] *C. id conſtituimus eod.*
[*g*] *C. definivit 17. q. 4.*

[*h*] *Vid. Nicol. ad tit. de his, qui fug. de immun. n. 23.*
[*i*] *Tuſch. V. Eccl. concl. 9.*
[*k*] *Cap. definivit 33. 17. quæſt. 4. C. inter alia 6. hoc titul. C. præſenti C. de his, qui ad Eccleſ. confug.*
[*l*] *C. ſicut antiquitus, & C. Frater 17. q. 4.*
[*m*] *Sac. Congr. Conc. apud Barboſam de jure Eccleſ. lib. 2. cap. 3. n. 44.*

permittitur extractio auctoritate judicis, niſi petita ab Epiſcopo venia, vel a Vicario, ut continentur in eadem Bulla Gregorii XIV. incip. *Cum alias nonnulli*. Sequitur immunitas realis rerum ſacrarum, nempe vaſorum, & veſtium, & ſimilium, ſed & bonorum Eccleſiæ, quæ immunia ſunt a vectigalibus, tributis, oneribuſque aliis laicalibus, ſi ipſi ex antiqua fundatione competant, [a] niſi onera ſint fixa, & invariabilia, quæ permanent in rebus, quamvis ad Eccleſiam tranſierint. (b) Ab oneribus vero perſonalibus, quæ corpore geruntur, Clerici ſunt immunes. (c) Habent etiam Clerici privilegium; quod vocant Canonis: nempe Can. *ſi quis ſuadente*, quo violentas manus in Clericum injiciens excommunicatur, a ſolo Pontifice abſolvendus. Habent & aliud, quod vocant Fori, quo eximuntur a poteſtate & juriſdictione tribunalis laici, niſi actores ſint ob rem profanam contra laicum, aut habitum & tonſuram Clericalem dimiſerint. (d) Habent hoc etiam privilegium Clerici ex celebri Cap. *Odoardus de ſolut.* ut ſi Clericus ad inopiam adeo ſit redactus, ut ſolvendo non ſit, neque excommunicari debeat, neque vexari, ſed ſufficiet, ut is jurejurando promittat ſe ſoluturum, ubi ad meliorem fortunam pervenerit.

TITULUS XXI.

De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus.

Cenſus eſt certa pecunia, quæ de redditibus Eccleſiæ penditur, (e) iis, qui præſunt, vel aliquando etiam Clericis, aliquando etiam patronis. Quod cum generale nomen ſit, dividitur ſuas in ſpecies, vel enim penditur a ſingulis Eccleſiis in ſignum ſubjectionis, præfinita ſumma duorum ſolidorum pro ſingulis Eccleſiis, aut pro quantitate inducta a conſuetudine, & id Cathedraticum, vel Synodaticum appellatur, quia perſolvitur in honorem Cathedralis Eccleſiæ ab Eccleſiis minoribus in Synodo Diœceſana, (f) vel certis, & repentinis ex cauſis certum ad tempus collectæ, vel tributa exigua imponuntur ab Epiſcopis ad periculum aliquod depellendum, gravemque neceſſitatem evitandam, & charitativum ſubſidium appellatur. Charitatis enim nomine illud exigit Epiſcopus, non jure ſuo, cum extra neceſſitatis graviſſimæ cauſas vetentur Præſules imponere tributa, & collectas; [g] vel viſitantibus Epiſcopis alimentorum nomine aliquid perſolvitur, & id Procuratio appellatur. Etenim atine procurare ſignificat etiam alere. Viſitare namque debent Eccleſiam Epiſcopi vel per ſe, vel per alios ſingulis annis; [h] aut ita, ut biennio viſitatio abſolvatur toties quoties opus fuerit. Viſitationi autem Epiſcopi ſubjiciuntur Eccleſiæ omnes, etiam exemtæ, [i] etiam regulares, ſi ſit eis annexa cura Animarum; itemque commendata Monaſteria, etiam Abbatiæ. Prioratus, & Præpoſituræ nuncupatæ, ubi non viget obſervantia regularis: nec non beneficia tam curata, quam non curata, ſecularia, & regularia, qualitercumque commendata, etiam exemta. [k] Et præterea ſubſunt viſitationi Epiſcopi viciniores Eccleſiæ etiam quæ ſunt nullius Diœceſis, [l] necnon Hoſpitalia, & quæcumque loca pia, niſi ſub Regum immediata protectione ſint, alioquin viſitationi, & correptioni ſubſunt etiam ſi eorum locorum cura pertineat ad laicos; & Parochiales annexæ Ordini Heroſolymitano ex Pii V. Conſtitut. CXXXVI. Nam quæ non poteſt Epiſcopus viſitare jure ordinario, qualia ſunt loca exemta; ea ex nova Concilii conceſſione jure delegato viſitabit. Porro, quæ in viſitatione ad morum correctionem decrevit Epiſcopus, nulla appellatione ſuſpenduntur. [m] Exigere autem poteſt Epiſcopus, dum viſitat, alimenta neceſſaria a Clero Eccleſiarum, quas viſitat, & ex beneficiis etiam

[a] *C. ſancimus 1. de cenſib.*

[b] *Cap. ex literis de pign. Gloſſ. & DD. C. tributum V. de exterioribus 23. quæſt. 8. vid. decr. Sacra Congreg. apud Nicol. titul. de ſeno. excommunum. 125.*

[c] *Leg. 1. cum ſeq. Cod. de Epiſc. & Cler. C. pervenit de immun. Eccl.*

[d] *C. ſi Clericus 5. & C. cum ſit generale foro competente. Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. de reforma.*

[e] *C. conſtitutus 6. de relig. dom. C. recepimus 8. de privil. C. querelam 24. de elect.*

[f] *C. conquerente 16. de off. jud. ordin. C. placuit 10. q. 3. C. paſtoralis 7. de de iat.*

[g] *Cap. omnis de cenſibus cap. cum Apoſtolus §. prohibemus eod.*

[h] *Conc. Trid. ſeſſ. 7. cap 8. de reform.*

[i] *Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. de reform. & ſeſſ. 24. cap. 9. eod.*

[k] *Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 8. de reform.*

[l] *Conc. Trid. ſeſſ. 24 cap. 9. de reform.*

[m] *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 10. de reform.*

Digitized by Google

etiam a Cardinalibus poſſeſſis, dum ne modum frugalis victus excedat.

TITULUS XXII.

De Capellis Monachorum.

CApellæ, ſive Sacella hoc titulo dicuntur Parochiales Eccleſiæ unitæ, ſive incorporatæ regularibus, quæ olim adminiſtrandæ per Sacerdotem ſecularem erant, quam Epiſcopo Monachi præſentare debebant. (*a*) Recentioribus vero temporibus Vicarius etiam regularis ad earum adminiſtrationem conſtituitur ab Epiſcopo examinandus, & adprobandus, cujus Epiſcopi juriſdictioni, correctioni, & viſitationi ſubjiciuntur in iis, quæ ad adminiſtrationem ſpectant Sacramentorum, exceptis iis, quæ ſunt e Monaſteriorum familia.

TITULUS XXIII.

De Religioſis Domibus.

REligioſas Domos non ſolum appellamus Eccleſias, & Monaſteria, ſed alia quælibet loca pios ad uſus deſtinata, e quibus ſunt Hoſpitalia, hoſpitibus accipiendis inventa, quæ græce Xenodochia; Orphanotrophia, orphanis educandis; Gerontocomia, ſenibus alendis; Brephotrophia, nutriendis infantibus; Noſocomia, curandis ægrotis; Ptochotrophia, ſuſtentandis pauperibus comparata. (*c*) Præter Eccleſias autem, quæ illius Epiſcopi juriſdictioni ſubjacent, in cujus Diœceſi fundatæ inveniuntur, exceptis Eccleſiis Regularium, quæ nunc privilegiis eximuntur; loca pia omnia ſupra enumerata ſuæ cujuſque Diœceſeos Epiſcopo ſubjiciuntur, niſi exemta probentur, aut aliter ſit in earum fundatione cautum. Quæ tamen etiam exemta poterit Epiſcopus, ubi opus fuerit, viſitare, atque corrigere: (*d*) exceptis Hoſpitalibus militarium ordinum, aut religioſorum, quibus antiqua inſtitutionis earum decreta ſervanda; (*e*) quamobrem Sacr. Conc. Trid. expreſſe ſtatuit, ut Adminiſtratores tam Eccleſiaſtici, quam Laici fabricæ cujuſvis hoſpitalis, Confraternitatis, & quorumcumque piorum locorum ſingulis annis reddere teneantur rationem adminiſtrationis, niſi aliter ſit in fundatione cautum; nam tum, ſi aliis ratio reddenda eſſet, tamen eum iis etiam Ordinarius erit adhibendus, (*f*) niſi ſub Regum immediata protectione ſint. Extat præterea de Confraternitatibus Conſtitutio Clementis VIII. qua ſtatuitur, ut auctoritate Ordinarii erigantur: qui Ordinarius ſtatuta Confraternitatis erigendæ cognoſcere, atque examinare debet. (*g*)

TITULUS XXIV.

De Sepulturis.

CErtum Sepulturæ locum vel juris ordinatio, vel propria electio tribuit. Cuilibet enim licet eligere Sepulturam ubi velit dummodo ſit ibi jus funerandi; quales ſunt ex Jure Canonico Eccleſiæ Parochiales omnes; (*h*) & ex privilegio Sedis Apoſtolicæ Ordinis Prædicatorum, & Fratrum Minorum. (*i*) Verum quando quis mortuus deferendus eſt ad Eccleſias mendicantium, debet eum iis etiam proprius intervenire Parochus, ſervato Sac. Congregationis præſcripto. (*k*) Unde uxor invito marito, & filius pubes, etiamſi ſit in poteſtate patris, liberam habent Sepulturæ optionem; (*l*) non vero impubes, cui ob inopiam conſilii poteſt pater eligere Sepulturam, (*m*) ſi id conſuetudo loci patiatur; alioquin humandus in Parochia, vel in Sepulcro majorum. Neque poſſunt eligere Religioſi, qui ſuo arbitrio carent; niſi longius abſint a ſuis Monaſteriis, ut eo commode transferri nequeant: neque capitis damnati, neque furioſi; & qui aliquem indebite ſepelierit, jubetur cadaver illud reddere Eccleſiæ, ad quam ſpectat, ſimul cum emolumentis, quæ ob eam cauſam illi obvenerunt. (*n*) Si quis autem Sepulturam non elegerit, ſepeliendus eſt ad Canonum præ-

[*a*] *C. 1. de Capellis Monac.*
[*b*] *Conc. Trid. ſeſſ. 25 de regular.*
[*c*] *C. in qualibet 23. q. 8. l. illud 17. l. ſancimus 28. de ſacroſanct. Eccl.*
[*d*] *Clem 2 de relig. domib.*
[*e*] *Dict. Clem. 2. §. Præmiſſa.*
[*f*] *Conc. Trid. ſeſſ. 22. C. de ref.*
[*g*] *Clem. 8. in Conſt. quæ incipit* quæcumque 115.

[*h*] *C. ubicumque 13. quæſt. 3. Abbas in Cap. certificati de ſepult. n. 8*
[*i*] *Clem. dudum §. hujuſmodi de ſepulturis.*
[*k*] *Apud Nicol. tit. Civ. inſtit. lib. 4. tit. 15. n. 25.*
[*l*] *C. de uxore h. tit. C. penul. eod. in 6.*
[*m*] *C. penult. de ſepult. in 6.*
[*n*] *C. ex parte C. cum liberum 6. de ſepult.*

præſcriptum, quod eſt tale. Regulariter ſepeliendum cadaver eſt in Sepulcro majorum ſuorum; vel ſi eo careat, in Eccleſia Parochiali, ubi Sacramenta vivens accepit; (*a*) ac ſi duabus in Parochiis Divina participaverit, aut utrobique domicilium habuerit, locus eſt præventioni, & diviſioni quartæ funeralis; aut Epiſcopali ſententiæ, ſi ſecum convenire nequeant. (*b*) Ac ſi ſe rus brevis temporis cauſa contulerit, transferendus eſt ad urbanam ſuam Parochiam, ſi id ſine periculo fieri poſſit. (*c*) Uxor mariti Sepulturam ſequitur, quando non elegerit: & ſi plures maritos habuerit, humanda eſt in Sepulcro poſtremi, cujus domicilium retinet, & honorem. (*d*) Peregrini, ſi Sepulcris majorum careant, aut eo commode deferri nequeant, ſepeliendi ſunt in Eccleſia Parochiali, ſi Sacramenta ibi perceperint; alioquin locus erit præventioni Parochialem inter & Cathedralem. (*e*) Prælati vero regulares ſepeliendi ſunt in Eccleſiis, quibus præſunt. (*f*) Excluduntur ab Eccleſiaſtica Sepultura, primo, ii, qui conſulto ſibi manus attulerunt. (*g*) Secundo, decedentes in ſingulari certamine, aut in ludis gladiatoriis, aut in pugna cum beſtiis. (*h*) Tertio, Blaſphemi impœnitentes. (*i*) Quarto, Raptores, qui non ſatisfecerint. (*k*) Quinto, Fures, & latrones in flagranti crimine occiſi, abſque Sacramento Pœnitentiæ occumbentes. Sexto, Monachi mortui cum peculio. Septimo, nominatim interdicti, & excommunicati. (*l*) Octavo, Impœnitentes omnes, quos tales deceſſiſſe conſtiterit. Nono, qui in Paſchate Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentum omiſerunt. Decimo, Uſurarii. Pro Sepultura vero vetitum eſt quidquam exigere, niſi quantum moderati ſumtus inductum ab aliqua conſuetudine fuerit, ſi Parochiani gratis ſolvere cœperint, & ſponte, ac ſine pactione; taliſque præſtatio Parochianorum arbitrio præfiniatur, accedente ad eam conſuetudinem totius populi voluntate. (*m*)

TITULUS XXV.

De Canonica Portione.

CUm quis aut Sepulturam majorum ſuorum habet extra Parochiam, aut extra eamdem alibi elegerit, ex relictis Eccleſiæ, ubi ſepelitur, detrahenda eſt quarta pro Eccleſia Parochiali, quæ quarta Parochialis appellatur. (*n*) Item ex relictis Eccleſiæ in Diœceſi exiſtenti detrahitur quarta pro Epiſcopo, quæ quarta dicitur Epiſcopalis; (*o*) & utræque Canonicæ portionis nomine continentur. Ac ſane quarta Parochialis ea ratione detrahitur, quod ea Eccleſia, quæ miniſterium præbuit Sacramentorum, digna ſit, quæ lucri partem pro levamine laborum conſequatur; eademque ratio induxit quartam Epiſcopalem ob ſuſceptam ab Epiſcopo Animarum curam. (*p*) Eſt autem Parochialis quarta, varie definita pro conſuetudine, ſcilicet Regionis, aut Eccleſiæ; modo ſcilicet dimidia, modo tertia, modo quarta pars integra. (*q*) Amittitur autem jus quartæ Parochialis, ſi 40. annis cum titulo, aut ſine titulo ab immemorabili tempore præſcribatur. (*r*) Detrahitur quarta hæc ex candelis, aliiſque lucris funerum, & de relictis ei Eccleſiæ, ubi quis ſepelitur: (*s*) & iis, quæ in mortis extremo relinquuntur; non ex donationibus inter vivos, neque ex legatis pro ornamentis, fabrica, luminaribus, anniverſario ſeptimo, viceſimo, aut trigeſimo die, aliiſque in divinum cultum perpetuo relictis, dummodo talis color non ſit quæſitus, ut ſuo jure Parochus privetur. (*t*) Item dummodo hæc relicta non ſint Fratribus Minoribus, & Prædica-

[*a*] *C. 1. & C. in noſtra de ſep. C. 15. qui eod. in 6.*
[*b*] *Gloſſ. C. cum quis 3. not. de ſepultur. 6. argument. Cap. duobus de reſcriptis in 6.*
[*c*] *Cap. is, qui de ſepultur. in 6.*
[*d*] *C. 3. §. mulier eod. in 6.*
[*e*] *Ricc. in praxi dec. 659.*
[*f*] *Archidiac. C. cum quis de ſepult. in 6.*
[*g*] *Cap. Placuit 25. qu. 5. Cap. quibus 13. q. 2.*
[*h*] *Conc. Trident. ſeſſ. 25. C. 19. & Cap. 1. in fine de Torneam.*
[*i*] *C. Cap. ſtatuimus infra de maled.*
[*k*] *C. 2. infra de rap.*
[*l*] *Clem. 1. de ſepult.*
[*m*] *Vallenſ. in decret. tit. de ſepult §. 8.*
[*n*] *C. cum ſuper, & C. 1. & C. certificati de ſepult.*
[*o*] *Cap. requiſiſti in princip. de teſtam.*
[*p*] *Innoc. C. cum ſuper 8. C. in noſtra 10. de ſepult. Cap. cum quis eod. in 7. C. requiſiſti 15. de teſtam.*
[*q*] *C. 1. & 2. de ſepult. & Cap. certificati 9. ubi DD. eod.*
[*r*] *Abbas C. certificati de ſepult.*
[*s*] *Gloſſ. & Abbas eod.*
[*t*] *C. ult. de teſtam. C. in noſtra 10. de ſepult.*

dicatoribus, qui & in his, uti & in cæteris legatis, detractionem patiuntur. (a) Neque detrahitur de relictis pro male ablatis, aut pro equis, & armis militum Hieroſolymitanorum in præſidium Terræ Sanctæ. (b) Et debetur quarta illa funeralis illi etiam Parochiali, cui aliquid fuerit legatum, cum quo hæc minime compenſatur: eam enim quartam non debet defunctus, ſed Eccleſia, ubi ſepelitur ex ejus electione. (c) Epiſcopalem vero quartam detrahit Epiſcopus de iis, quæ relinquuntur quibuslibet ſuæ Diœceſeos Eccleſiis, etiam exemtis: (d) quamvis teſtator Eccleſiæ, non Epiſcopo velle relictum expreſſerit. (e) Neque aliter ab ea Epiſcopus excluditur, niſi per quadragenariam præſcriptionem [f] ejuſque quantitas, uti Parochialis, etiam varie pro loci conſuetudine definitur. Et ſicuti Epiſcopus deducit ex relictis Eccleſiæ, ita & Eccleſia Cathedralis deducit ex relictis Epiſcopo, niſi relinquatur a propinquo, aut expreſſe a teſtatore excludatur. (g) Et ſi relictum ſit aliquid Epiſcopo, & Eccleſiæ Cathedrali conjunctim, ſit inter eos Canonica diviſio, etiamſi partes teſtator fecerit, niſi velint ſtare voluntati teſtatoris. Quamvis autem Epiſcopus etiam ex relictis in favorem Capellarum, & Monaſteriorum partem detrahat; eæ tamen non detrahunt ex relictis Epiſcopo, in quo diſtinguuntur a Cathedralibus quibus cum Epiſcopo conjunctio eſt arctior.

TITULUS XXVI.

De Decimis.

Decima eſt quota mobilium bonorum Sacris Miniſtris debita, pro quibus ex omnibus fructibus rerum ſive immobilium, ſive mobilium, tum viventium, tum non viventium, & ex quacumque honeſta negotiatione decima pars eſt detrahenda, (h) quæ pars pactionibus, vel conſuetudinibus redigi poteſt ad minorem quantitatem. Sunt autem decimæ vel prædiales, ex fructibus nempe prædiorum, aut ædium; vel perſonales, ex honeſtæ artis, aut profeſſionis, aut venationis, aut piſcationis, aut laboris lucro; (i) vel miſtæ, de fructibus ſcilicet, quos ex gregibus, & armentis induſtria noſtra percipimus. (k) Hoc autem præcipue differunt perſonales, & miſtæ a prædialibus, quod prædiales debentur ſine impenſarum, aut tributorum deductione; nam ſine illa deductione ſunt etiam fructus, (l) & debentur Parochiis, quarum in finibus prædia ſunt ſita; (m) aliæ vero ſolvuntur Parochiis, in quibus Sacramenta percipiuntur, & ſolvendæ ſunt, deductis expenſis: id enim intelligitur in negotiatione lucrum, quod ſuper eſt, ſumptibus deductis; (n) ſolvuntur vero decimæ Parochis, qui debent ex exactis decimis detrahere pro Epiſcopo quartam, quæ appellatur quarta Decimarum. (o) Ad ſolutionem prædialium Decimarum non modo Chriſtiani omnes tenentur, ſed etiam Judæi, & Pagani, ſi prædia poſſideant; propterea quod onus Decimarum ineſt prædiis ipſis, cum quo onere prædia tranſeunt ad quoſcumque: (p) adeout ex prædiis locatis Decimas conductor, qui fructus colligit, ſolvere cogatur, cum Decima ſit pars fructuum, non prædii. (q) Neque ab obligatione præſtandarum Decimarum quis eximitur, niſi primo, ex privilegio Summi Pontificis. (r) Secundo, præſcriptione immemorabili, ſi ſit ſine titulo, cum titulo vero præſcriptione quadraginta annorum. [s] Tertio, conventione, ſive pactis. Quarto, voluntaria remiſſio-

[a] *C. 2. § hujuſmodi Clem. de ſepult.*
[b] *Cap. in noſtra de ſepult.*
[c] *Clem. C. dudum de ſepultur. Vallenſ. hoc tit.*
[d] *Cap. eſſ. de teſtam. & can. conſtitutum, ubi Gloſſ. V. tertium 15 q. 1.*
[e] *C. requiſiſti verſ. ſi quis autem de teſtam.*
[f] *C. de quarta de præſcrip.*
[g] *C. requiſiſti §. ab extraneo de teſtam.*
[h] *Cap. ex multiplici 3. Cap. non eſt 22. de Decimis cap. pervenit 5. & C. ex tranſmiſſa 23. eodem, & cap. ex parte, cap. a nobis 24. eodem.*
[i] *Cap ad Apoſtolic. 20. Cap. tua nobis 26. C. non eſt, C. ex parte, & ſeq. de decimis.*
[k] *C. pervenit cum ſeq. de decimis.*
[l] *C. cum homines 7 & cap non eſt 22. de decimis.*
[m] *C. quoniam 13 eod.*
[n] *C. ad Apoſtolicæ, C. 20. de decimis.*
[o] *C. de quarta de præſcr.*
[p] *C p. commiſſum 4 C nuncios 5. Cap. ex tranſmiſſa 23. de decimis, C. [illegible] §. cæterum eodem in 6 cap. tertis, cap. ſi quis ſecus cum ſim. 16. quæſt. 1. cap. cum ſit 33. hoc titul cap. paſtoralis eodem.*
[q] *C. dilecti C. a nobis de decimis.*
[r] *C. paſtoralis de decimis.*
[s] *Cap. 1. de præſcrip. in 6. cap. 4 6. & cap. 8 de præſcrip.*

miſſione. (*a*) Ex prædiis vero, quæ recenter ad culturam rediguntur, cum antea frugifera non eſſent, quæ appellantur novalia, Decimæ debentur Parochiali Eccleſiæ, cujus in finibus novalia exſurgunt, vel ſi exſurgant intra diverſarum Parochiarum limites, debentur iis Parochiis, in quarum ſunt limitibus, pro modo limitum, quibus agri continentur. [*b*] Si vero ex limitibus portio prædiorum definiri non poſſit, ſtandum eſt Epiſcopi ſententiæ, utri velit plus, aut minus attribuere. (*c*) Porro ſi concedatur perceptio Decimarum, conceſſæ non cenſentur Decimæ novalium: quia hæ novam habent cauſam: (*d*) nec ſi alicubi Decimas præſcripſerit, præſcripſiſſe cenſetur novalium Decimas, quia hæc poſtea prodierunt. Decimas vero non ſolvens eſt excommunicandus, & Eccleſiaſtica Sepultura privandus. (*e*)

TITULUS XXVII.

De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.

NOn ſolum Eccleſiaſticis, ſed & Civilibus Legibus rerum Eccleſiaſticarum alienatio prohibetur, ſi neceſſitas non urgeat, (*f*) & latiſſime accipitur alienationis vox, ut etiam hypotecham, & locationem ultra triennium, nempe ad longum tempus comprehendat. Permiſſa tantum eſt alienatio rerum, quæ retentæ corrumperentur, (*g*) aut proventu carent, quales ſunt terrulæ, vineolæ, aliæque res immobiles exigui pretii: (*h*) quibus exceptis, ſi quid alienetur, incurritur pœna Extravagantis Ambitioſæ, cum irritatione contractus, ut ex decreto Sacræ Congregationis ab Urbano VIII. confirmato. (*i*) Suſtinebitur vero alienatio, ſi proceſſerit ex urgenti neceſſitate, puta æris alieni diſſolvendi; (*k*) vel ſi pietas ſuadeat ad redimendos captivos, aut alendos pauperes, (*l*) quorum cauſa bona in Eccleſia conſervantur, vel utilitas manifeſta Eccleſiæ id flagitet. (*m*) Accedere tamen oportet ad permiſſam hanc alienationem etiam ſolemnitates; nempe communicandus contractus cum Clero, ejuſque conſenſus, atque ſubſcriptio, & Prælati auctoritas ſunt adjungenda. (*n*) Præſcriptio vero prævalet contra Eccleſiam quadragenaria: contra Eccleſiam vero Romanam tantum centenaria. (*o*) Eſt & quædam alienatio non prohibita, deſcendens ex contractu Jure Canonum celebrato, (*p*) cujus habemus etiam in Juſtinianeo jure veſtigium, (*q*) quæ precaria vocatur ob id quod ſimilitudinem habeat cum precario, quo res noſtras rogati, concedimus aliis fruendas, noſtroque arbitrio repetendas, a quo precaria hæc differt, quod hæc revocari nequeat, niſi præter rationem contracta fuerit, ſed ad longum tempus, vel ad vitam data, quinto quoque anno renovanda. [*r*] Eſt & conceſſio uſusfructus rei Eccleſiaſticæ, vel in retributionem donationis Eccleſiæ factæ, vel in remunerationem obſequiorum, & Miniſteriorum, quæ quis Eccleſiæ præſtiterit. Quo contractu traduntur tantum res immobiles, cum contractu precarii tam mobiles, quam immobiles concedantur.

TITULUS XXVIII.

De Peculio Clericorum.

PEculium dicitur quaſi parva pecunia, (*s*) quod Jure civili eſt vel caſtrenſe, vel profectitium, vel adventitium. Adventitium eſt, quod ex donationibus vel ex hereditatibus ſive extraneorum, ſive conſanguineorum deſcendit; profectitium, quod ex bonis paternis; caſtrenſe, quod

(*a*) *C. quia circa de privil. C. ult. 16. q. 1.*

(*b*) *Cap. cum contingat de decimis Cap. quoniam 13. eodem.*

(*c*) *DD. Cap. pervenit de decimis.*

[*d*] *Cap. cum contingat de decimis.*

(*e*) *Cap. omnes decim. 16. q. 7. Conc. Trid. C. 12. ſeſſ. 25. de reform.*

(*f*) *Novel. 120. & 7.*

(*g*) *Extravag. ambitioſa hoc tit. Conc. Trid. ſeſſ. 25. C. 11. de reform. Sacr. Congr. apud Quarantam in Summa bull. V. alienatio.*

(*h*) *C. terrulas 12. q. 2.*

(*i*) *Vid. Nicol. Inſt. civil. lib. 2. tit. 1. n. 29.*

(*k*) *Clem. p. h. tit. C. 1. de pign.*

(*l*) *Cap. aurum Cap. Gloria 7. 12. q. 2.*

(*m*) *C. ut ſupra h. tit. d. Clem. 1.*

(*n*) *Cap. 1. de rebus Eccl. non alien. ſine except. C. alienas. 12. q. 2.*

(*o*) *C. illud, C. ad audientiam de præſcript.*

(*p*) *Tot. tit. de precar.*

(*q*) *Nov. 120. de alienat. & emphit.*

(*r*) *Cap. 1. de precar.*

(*s*) *L. depoſiti §. 2. ff. de pecul.*

quod in militia ex belli occaſione comparatum eſt, quaſi caſtrenſe vero, quod ex literarum & artium profeſſione fuit adquiſitum. Ad caſtrenſe autem peculium rediguntur bona Clericorum, quæ in Eccleſiæ miniſterio comparaverunt; cum hæc ſacra militia merito appelletur. Clericus enim aut patrimonialia poſſidet, & eorum diſtractio, atque conſumptio ipſius arbitrio relinquitur; aut poſſidet ea, quæ de bonis Eccleſiaſticis ſibi adſignatis ad eum pervenerunt, veluti fructus beneficii ſibi attributi, & hi etiam ipſius arbitrio permittuntur, cum in illius dominium tranſeant ex receptiore ſententia; ſed certo modo eos debet adminiſtrare, ut ſcilicet, quod ei ſupereſt ad vitæ neceſſaria in pios uſus conferat. (*a*) Morienti vero Clerico in rebus patrimonialibus ſuccedunt, vel proximi ab inteſtato, vel ex teſtamento ii, quos heredes inſtituit, aut Eccleſia, ſi neque legitimos, neque teſtamentarios heredes reliquerit. (*b*) De rebus autem propria induſtria quæſitis, & de fructibus beneficiorum, quos quotidiano victui parcendo ſibi reſervavit, liberum habet ſtatuendi arbitrium. (*c*) Alios vero beneficiorum fructus, etſi viventes Clerici valde donent, morientes tamen teſtamento relinquere vetantur veteribus Canonibus. (*d*)

Meliorationum porro a Clerico in beneficiis factarum tum poſſunt heredes illius æſtimationem repoſcere, ſi conſtet, factas fuiſſe patimoniali pecunia.

Quod ſi Clericus ante ſuſceptum ordinem, bonaque Eccleſiaſtica adquiſita, nulla bona, vel exigua tantum poſſediſſet: quidquid reliquit, e beneficiorum fructibus collegiſſe præſumitur; ideoque ad Eccleſiam pertinebit, etiamſi ſit alieno emtum nomine. (*e*)

Ad quam etiam Eccleſiam pertinebit quidquid illius cauſa in Clericum translatum fuiſſet.

Verum præſens temporum conſuetudo remiſſior eſt in Clericorum bonis inquirendis; permittirque iis de perceptis fructibus teſtari. Qui vero Religioſo alicui Ordini adſcribitur, is qualibet de re teſtandi facultatem amittit, ſi tria, quæ vocant ſubſtantialia, vota ediderit, nempe paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ.

INSTITUTIONUM
JURIS PONTIFICII
LIBER TERTIUS.

TITULUS I.

De Judiciis.

Judicium eſt cauſæ diſcuſſio in foro coram Judice, quæ diſcuſſio ex juriſdictione procedit. Eſt autem juriſdictio poteſtas de cauſa ſive civili, ſive criminali judicandi, & judicata exequendi. Dividitur vero in ſæcularem, & Eccleſiaſticam. Eccleſiaſtica vero diſtinguitur in ſpiritualem, qua Eccleſia utitur ad condemnandos errores, & doctrinam emendandam; atque in temporalem ad reos coercendos, & ſententias exequendas. Judicium conſtat ex actore, reo, judice, & cauſa, de qua agitur, C. *forum* §. *conſtat de V. S.* ac dividitur primo in ſpirituale, in quo de re, aut jure ſpirituali agitur; & temporale, in quo agitur de re temporali; & mixtum, quod ex utroque trahit; rurſus aliud eſt judicium delegatum, aliud ordinarium; ordinarium eſt, quod coram judice ordinario exercetur. Eſt autem ordinarius judex, qui univerſalem juriſdictionem habet, ſive jure ſuo, ſive ſuperioris beneficio, quales ſunt Epiſcopus, Archiepiſcopus, Legatus, qui & juriſdictionem ſuam alteri delegare poſſunt, quales Legati Sedis Apoſtolicæ, qui habent & ipſi jus delegandi, cum ſint inſtar ordinariorum. (*g*) Judicium delegatum eſt id, quod coram judice delegato exercetur: Judex autem delegatus eſt is, qui non habet juriſdictionem jure ſuo, ſive jure Magiſtratus, ſed mandatam ſibi ab alio, nempe a judice ordinario, quapropter non poteſt eam juriſdictionem alteri mandare, (*b*) niſi delegatus ſit a Prin-

(*a*) *Div. Thom* 2.2. *quæſt.* 185. *art.* 7.
(*b*) *C. ubi Gloſſ. de ſucceſſ. ab inteſtato.*
(*c*) *C quia nos de teſtam.*
(*d*) *Cap.* 1. & 2. *C. cum ineff Cap. quia nos. Cap relatum* 12. *de teſtam. C. Epiſc.* 12 *quæſt.* 1.
(*e*) *Cap. inquirendum de pecul. Cleric. cap. inveſtigand.* 1. *eodem.* (*f*) *cap.* 1. *de teſtam.*
(*g*) *cap.* 2. *de off. leg. in* 6. *Clem. unica eod.*
(*h*) *Leg. a Divo Pio in princ. ff. de re judic. c.* 4. *ubi DD. de foro compet.*

a Principe, tum enim ſubdelegare alium poterit. (*a*) Eſt etiam judicium vel civile, ubi de bonis, & juribus agitur, vel criminale ubi agitur de delictis. Dividitur præterea judicium in petitorium, & poſſeſſorium. Petitorium eſt, in quo de proprietate agitur, vel de alio jure ſeorſum a poſſeſſione, vel quaſi: poſſeſſio eſt rerum corporalium, puta prædiorum; quaſi poſſeſſio eſt incorporalium, uti uſusfructus, ſervitutis. (*b*) Dicimur autem agere petitorio, ſi petamus hereditatem, vindicemus ſervitutem, vel quocumque de jure, puta eligendi, aut de dominio diſceptamus. Judicium poſſeſſorium eſt, in quo de ſola poſſeſſione quæritur, nempe poſſideat ne quis, an non, & de adipiſcenda, retinenda, & recuperanda poſſeſſione, reſervata quæſtione dominii ad maturius examen. Etenim nihil habet commune poſſeſſio cum proprietate, (*c*) licet poſſit utrumque judicium cumulari. Seperata vero quæſtio de poſſeſſione præſtat, ut poſſeſſione probata, adverſario incumbat probare jus ſuum in petitorio, quo non probato, res manebit apud poſſeſſorem. (*d*) Tandem judicium dividitur in extraordinarium, & ordinarium. Extraordinarium, quod & ſummarium dicitur, eſt, in quo negliguntur ſolemnia, & ſubtilia judiciorum, ſervatis tantummodo ſubſtantialibus, nempe iis, ſine quibus veritas non cognoſcitur, & alia ſunt judicia poſſeſſoria, cauſæ electionum, hæreſeos, in quibus ſufficit adducere probationes neceſſarias, citare, jurare de calumnia, & ſententiam proferre in ſcriptis, judice ſtante, vel ſedente. (*e*) Ordinarium vero eſt, ubi ſolemniter proceditur, ſervatis omnibus judicialibus actis.

TITULUS II.

De Procuratoribus.

Procurator ex Ulpiani definitione is eſt, qui aliena negotia mandatu domini adminiſtrat. Sunt autem Procuratores vel extrajudiciales, ad nogotia extra judicium gerenda, vel judiciales ad ſuſcipiendas, & agitandas in judicio cauſas nomine alieno. Conſtitui in Procuratores in judiciis poſſunt, quicumque non prohibentur. Prohibetur vero primo minor XXV. annis ex jure communi, ut plures exiſtimant: (*f*) in Urbe vero minor XX. Secundo, Mulier propter ſexus pudorem. (*g*) Tertio, Miles. (*h*) Quarto, Redemtores litium. (*i*) Quinto, Excommunicatus. Sexto, Fiſcus, Univerſitas, & Civitas, ne publica potentia privatum adverſarium opprimant. (*k*) Septimo, qui reipublicæ gratia eſt abfuturus. Octavo, Epiſcopus, univerſi Sacerdotes, & Monachi, exceptis Monaſterii cauſis, ne a Divino Miniſterio abſtrahantur. (*l*) Nono, regulariter Clerici prohibentur apud judicem ſæcularem poſtulare, niſi pro Eccleſiæ ſuæ cauſa, vel neceſſitate coacti pro conjunctis, aut miſerabilibus perſonis. (*m*) Non tamen in omnibus cauſis dari Procurator poteſt, nam in criminalibus non licet conſtituere Procuratorem, ſive ad accuſandum, ſive ad defendendum. (*n*) Expirat autem procurationis mandatum pluribus modis: primo, morte mandantis, re integra, (*o*) re autem non integra, ſive lite conteſtata, poteſt mandatum expirare, ſi Prælatus, vel alius pro Eccleſia, vel beneficio Procuratorem conſtituerit. Nam Prælato, vel alio decedente, Sedeque vacante, lis non progreditur. (*p*) Secundo, morte ipſius Procuratoris, mandatum enim non tranſit ad heredem. Tertio, mutuo diſſenſu conſtituentis & conſtituti. (*q*) Quarto, per revocationem a domi-

(*a*) *Cap. ult. §. penult. & Cap. ſignificaſti de offic. deleg.*

(*b*) *L. 4. in princ. ubi Gloſſ. de acquir. vel amit. poſſ. l. ſi quis diurno in princ. ff. ſi ſervitus vindic.*

(*c*) *Cap. 3. 4. 6. de cauſ. poſſ. & prop. l. naturaliter §. nihil commune ff. de acquirenda poſſeſſ.*

(*d*) *§ commodum poſſeſſionis inſtitut. de interdictis lib. ultim. Cod ſi ſervitus vindicetur.*

(*e*) *L. pax de moment. poſſ. l. momentanea Cod. unde vi C. novit de judic. Clem. ſæpe de V. S.*

(*f*) *L. exigendi Cod. de procurator. ubi Jaſon. nu. 19. & l. neque n. 3. Cod. eod. Panormit. in C. non juſte eodem.*

(*g*) *L. neque fœminas ff. eod.*

(*h*) *L. qui ſtipendia Cod. eod.*

(*i*) *C. intelleximus de judic.*

(*k*) *L. 3. & tot. tit. Cod. ne fiſcus, vel reſp. & Cod. ne liceat potentior.*

(*l*) *C. Monachus 16. quæſt. 1. Clem. 3. de Cleric. vel Monach. tot. tit. in decr.*

(*m*) *C. ult. de poſtul.*

(*n*) *C. veniens de accuſ. l. penult. §. ad crimen ff. de publicis judiciis.*

(*o*) *L. nulla Cod. de procur. l. ſi defunctus ff. eod.*

(*p*) *Clem. ultim. de procurat. cap. 1. & ultim. ne Sede vacante.*

(*q*) *L. unica §. ubi autem C. de caduc. toll.*

domino factam, lite nondum conteſtata, nam lite conteſtata, Procurator dominus litis efficitur, nonniſi ex juſta cauſa revocandus, veluti ſi ſuſpectus ſit, vel affinis detegatur adverſarii, vel morbo affectus. Quinto, ſi dominus litem per ſe agere velit.

TITULUS III.

De Arbitris.

ARbiter eſt in jure, qui conſenſu partium, ſine juriſdictione, ſine judiciali forma de controverſia, judicioque cognoſcit. Eſt autem vel Arbiter juris, quando alicujus arbitrium eligitur jure, vel ſtatuto aliquo, aut conſuetudine ita jubente; ut evenit inter conjunctos invicem litigaturos, qui etiam dicitur Arbiter neceſſarius: vel eſt Arbiter voluntarius, qui ſuſcipitur ſponte a partibus, ut ſine ulla judiciali figura, apud eum diſceptetur, & appellatur etiam arbitrator, & amicabilis compoſitor: cujus arbitrium, quia prorſus in eo negligitur omnis forma juris, non appellatione, ſed boni viri arbitratu corrigitur. (*a*) Vel Arbiter ſuſcipitur etiam voluntate partium & in eum compromittitur, ut ſervetur forma juris, & is quidem ſimpliciter Arbiter dicitur, cujus arbitria ſunt inſtar judiciorum. Dicitur autem Arbiter receptus, quia in eum fuit compromiſſum, & is cauſam ex compromiſſo recepit, adjecta pœna contra eum, qui ſententiæ non paruerit. Jure tamen Codicis, etiamſi nulla pœna intervenerit, ut Arbitri ſententia obliget, ſatis erit fuiſſe homologatam, ſive adprobatam, aut expreſſe, puta per ſubſcriptionem partium, aut tacite per decem dierum lapſum, quo ſpatio, ſi partes tacuerint, ſententia tenentur. (*b*) Verum Jure Canonico ſi pœna ſit adjecta, poterit adverſus diſſentientem agi ad pœnæ ſolutionem; ſin minus, contra non parentem agendum erit, ad id, quod intereſt, refectis ſumtibus litis. (*c*) Cæterum ſi arbitrium, vel laudatum tacite, vel expreſſe adprobatum fuerit, vel jurejurando firmatum, parendum ei erit ab utraque parte, veluti ſententiæ judicis. (*d*)

TITULUS IV.

De in Jus vocando.

IN Jus vocare idem eſt, quod citare; citatio autem eſt actus judicialis, quo juſſu Judicis quis in judicium ſui juris experiundi cauſa vocatur, atque ab ea quodlibet judicium eſt inchoandum. Eſt autem vel realis, qualis erat apud Veteres, per manus injectionem in eum, qui vocatus in Jus ire nollet; vel verbalis, quæ procedit ab auctoritate Judicis, cujus juſſu verbis, vel literis quis in judicium vocatur; ſive per ſatellitem vocetur, aut nuntium, aut apparitorem; ſive per præconem, tubam, aut campanam; ſive propoſitis edictis, quæ dicitur vocatio, & citatio edictalis, eaque tum admittitur, cum quis nequit alio modo citari, ſive ob loci periculum, aut diſtantiam, ſive ob rei latitantis fugam. (*e*) Hinc edictalis citatio, ut ad notitiam citati perveniat, proponi debet in locis vicinis, nam ex locis remotioribus non cogit. (*f*) Item citatio eſt vel juris, cum ipſa lex terminum, aut diem ad aliquid faciendum ſtatuit, quo elapſo, quis damnum incurrit, (*g*) vel hominis, cum quis mandato Judicis, ut diximus, in Jus vocatur. Rurſus citatio eſt vel ſimplex, vel peremtoria. Simplex eſt, quæ citato non ante contumaciam adſcribit, quam poſt tres terminos certis dierum intervallis præfinitos, quæ intervalla decem dies ſingula continebant jure veteri, at jure novo continent triginta; (*h*) quæ tamen arbitrio Judicis pro loci ac rei qualitate reſtringuntur, aut laxantur. (*i*) Peremtoria citatio eſt, quæ inſtar eſt omnium ſimul ſimplicium, quarum ſpatium reſtringit, eaſque ita perimit, ut ſi ad conſtitutum diem citatus non comparuerit, contumax habeatur. (*k*) Ut autem citatio recte procedat, hæc ſunt obſervanda. Primo, fieri debet inſtante

parte,

(*a*) *L. ſocietatem* §. *arbitrorum ff. pro ſocio.*
(*b*) *L. cum antea Cod. de receptis arbitris.*
(*c*) *C. per tuas de arbitris.*
(*d*) *C. 2. & C. per tuas de arbitris. C. 2. de pactis in 6. & tot. tit. de jurejur.*
(*e*) *cap. cauſam de dolo, & contum. Clem. 1. de jud. C. ſtatuimus, ut ii de off. deleg.*
(*f*) *Clem. unica, & cap. ubi periculum* § *porro de electión. in 6.* (*g*) *c. 1. de appell. in 6.*
(*h*) *Aut. qui ſemel, & l. tres denunciationes C. quomodo & quando judex l. & tertium ff. de judic.*
(*i*) *Leg. nonnumquam in fin. ff. de judic. cap. conſuluit de offic. deleg. & C. 1. de feriis.*
(*k*) *DD. l. 1. ff. de judiciis. Innoc. C. 22. ad petitionem de accuſ.*

Digitized by Google

parte, exceptis publicis cauſis, ubi Judex ex officio procedit. [a] Secundo, continere debet mandatum Judicis competentis, ſive ordinarii, ſive delegati, ne alioquin ſit inefficax, [b] & delegatus inſe ere debet ſuæ delegationis literas, & tenorem. [c] Tertio, exprimendum eſt nomen, & cognomen citati, ne in ancipiti perſona quis decipiatur. Quarto, indicanda ſaltem eſt lis, & cauſa, propter quam reus citatur, ut ſe poſſit ad judicium comparare. [d] Quinto, notandus eſt judicii locus, ut reus ſecum de fori competentia, & ſecuritate acceſſus deliberare queat. [e] Sextò, inſerendus eſt dies judicio dictus, ne reus ad diem comparere cogatur, in quo venire ad Judicem non tenetur. Ubi autem Nuncius citandi mandatum acceperit, debet citationem exequi, ſive mandatum implere, ipſo reo citato; ac ſi ejus conveniendi facultas non fiat, citato prius procuratore, vel relicto in domo rei citationis exemplo, quam copiam vocant, aut in vicinia, ut citatio innoteſcat. [f] Quod ubi fuerit executus, debet id in acta referre, ſive relationem citationis executæ apud acta publica facere, [g] cui relationi creditur propter ipſius fidem publice electam. Effectus autem citationis ſunt. Primo, ut qui citatus non comparuerit, doloſus reputetur, & contumax, ideoque certis pœnis in eum animadvertatur. (h) Secundo perpetuat Judicis delegati juriſdictionem, (i) unde, ſi poſt citationem quis alterius Judicis forum ſortiatur, in ea cauſa jus revocandi demum non habeat, ſive non poteſt actorem trahere ad novum forum, cui ſubeſſe cœpit. [k] Tertio, interrumpit præſcriptionem. [l] Quarto, litis pendentiam inducit, ita ut nihil inter ea poſſit innovari. Citari vero quis debet apud ſuum & competentem Judicem, non vero apud eum, cujus juriſdictioni non ſubeſt. Hinc oportet attingere aliquid de foro competenti. Forum autem quis nanciſcitur pluribus modis. Primo, ratione domicilii, ac ſi quis opes pluribus in locis habeat, & ibi alternis temporibus, æquis temporum ſpatiis moretur, iiſdem omnibus in locis domicilium habere cenſetur. (m) Secundo, ratione rei quæſitæ, unde reus conventus actione reali, vel mixta, ibi reſpondere tenetur, ubi ſita res eſt, de qua agitur, ſive immobilis ſit, ſive mobilis, quæ ibi ſit permanſura. [n] Tertio, ratione contractus: in cujus Territorio enim contractus eſt initus, apud eum Judicem contrahentes diſceptare coguntur; ibi autem quis contraxiſſe dicitur, quo ſolutionem deſtinavit. [o] Quarto, ratione delicti: in cujus enim Judicis loco quis delictum commiſit, illius animadverſioni ſubjicitur. [p] Quinto, ratione conſenſus: ſi qui enim in Judicis non ſui juriſdictionem conſenſerit, tum ibi conventus non poteſt litigantem alio trahere; [q] excepto Clerico, qui non poteſt in Judicem laicum cum ordinis injuria conſentire, non enim in poteſtate ſingulorum eſt publico juri derogare. Sexto, ratione continentiæ cauſarum, cum ſcilicet cauſæ ita connexæ ſunt, ut quaſi eadem linea continuatæ, non poſſint in plura tribunalia ſcindi, ne contrariis ſententiis eadem ſecum res pugnare videatur. [r] Septimo, ratione privilegii, quales ſunt Clerici; qui in forum ſæculare propter dignitatem ordinis, ne volentes quidem, conveniri poſſunt: [s] niſi Clericus fuerit Vaſſallus, & de cauſa feudali agatur. [t]

TI-

(a) *C. qualiter 34. de accuſ.*
(b) *Leg. neminem Codic. de exhib. reis.*
(c) *L. cum in jur. de offic. deleg.*
(d) *C. preterea de dilationibus, ubi Gloſſ. cap. cum dilecti de dolo, & contum. Clem. 2. ubi Gloſſ. in V. plene ut lite pend.*
(e) *cap. ſtatutum §. in nulla de reſcript. in 6. C. pen. de off. Vicarii Clem. paſtoralis §. notorium de ſent. & re judic.*
(f) *cap. cauſam de dolo, & contum. Gloſſ. in cap. cum a nobis de ſeſt.*
(g) *cap. cum dilecti de dolo, & contum. C. venerabilis de off. deleg.*
(h) *C. propoſuit de foro competenti.*
(i) *cap. 10. & ultim. de offic. delegat.*
(K) *C. propoſ uiſti, ubi Gloſſ. de foro compet. C. gratum de off. deleg.* (l) *L. ultim. Cod. de annal. except.*
(m) *cap. dilecti de foro compet. l. Labeo cum ſequ. §. penultim. ff. ad municipalem.*
(n) *cap. ſane C. ult. de foro competenti l. ult. Cod. ubi in rem act.*
(o) *Dict. cap. ult. & c. 1. de foro competenti in 6. leg contraxiſſe de obligat. & action l. 1. Cod. de juriſd. omn. jud.*
(p) *cap. poſtulaſti, & C. ult. de foro competenti.*
(q) *Dict. cap. ſignificaſti, & cap. 1. ubi Gloſſ. de off. deleg. l. ſi convenerit ff. de jud.*
(r) *cap. penult. de in integr. reſtit.*
(s) *cap. ex tranſmiſſa cum ſeq. tit.*
(t) *cap. cum contingat, & cap. poſtulaſti, & cap. ſi diligenti de foro competenti.*

TITULUS V.

De Dolo, & Contumacia.

Contumax eſt, qui Judici, vel Magiſtratui non obtemperat, qualis eſt is, qui tribus edictis, aut uno pro tribus, quod peremtorium dicitur, ad judicium vocatus venire neglexerit, ſive ſui copiam non fecerit, cum nulla juſta cauſa impediretur, [a] vel cum venerit, Judici obtemperare recuſaverit, [b] aut ſine Judicis venia ſuſceptum judicium deſeruerit. [c] Pluribus autem pœnis Judicis arbitrio ſubjiciuntur contumaces, ac primo, litis damno. [d] Secundo, multa per Judicem dicta. [e] Tertio, condemnatione in ſumtus litis. [f] Quarto tandem, ubi alia ratione coerceri quis nequeat, habet locum excommunicatio. [g] Sed celebrior pœna contumacium eſt miſſio in poſſeſſionem bonorum petitorum non tamquam dominus, ſed tamquam cuſtos rei ſervandæ cauſa. (b) Ac ſi per annum reus in ea contumacia perduraverit, neque dederit cautionem de ſtando juri, ſive non promiſerit ſe judicio adfuturum anno elapſo, actor in vera poſſeſſione bonorum conſtituitur, reſervata abſenti quæſtione ſuper proprietate. [i] Quarum poſſeſſionum prima inducit pignus prætorium, traduntur enim res loco pignoris, & dicitur poſſeſſio ex primo decreto. Secunda vero conſtituit veram poſſeſſionem, in quam actor immittitur, tamquam dominus, & immitti dicitur ex ſecundo decreto.

TITULUS VI.

De Libelli conceptione & oblatione.

Reo vocato, eidemque judicem adeunti ſignificanda eſt cauſa, cur vocatus fuerit, quod fit oblato Libello, ex quo petitionem actoris intelligat, & ſecum reputet, cedendum ne ſit actoris petitioni, an potius reſiſtendum. Eſt enim Libellus compendioſa ſcriptura, ex qua colligitur actoris petitio contra reum. (k) Quamobrem XX. dies reo dantur ex jure communi ad deliberandum ſuper Libello, judicione contendere velit, an cedere; quæ judiciales induciæ vocantur. (l) Dividitur autem Libellus in accuſatorium, ſive querimonialem, qui in cauſis criminalibus porrigitur, & in conventionalem, ſive poſtulatorium, qui datur in cauſis civilibus. (m) Uterque libellus debet eſſe clarus, & eadem fere debet continere. Accuſatorius quidem contineat oportet primo nomen accuſatoris. Secundo rei accuſati. Tertio, nomen Judicis, coram quo accuſatio inſtituitur. Quarto locum criminis. Quinto tempus ejuſdem. Conventionalis vero continebit primo nomen actoris. Secundo nomen rei. Tertio nomen Judicis. Quarto rem petitam. Quinto, cauſam petendi: (n) ſunt autem omnes Libelli partes hoc diſticho comprehenſæ.

Quis, quid, coram quo, quo jure petatur,
& a quo:
Recte conſectus quiſque libellus erit.

Oblato Libello, ſi actor mutare eum velit, inſpiciendum eſt, conteſtata ne fuerit lis, an non: & ſubſtantiam ne mutare actor velit, an aliquid vel addendo, vel detrahendo, corrigere, ſubſtantia minime mutata; atque ante litem conteſtatam non modo emendari Libellus poteſt, verum etiam ipſius mutari ſubſtantia. Poſt litem vero conteſtatam, quia reus, & actor, hic proponendo, ille vero excipiendo, quaſi contraxiſſe videntur, mutari quidem ſubſtantia non poteſt, ſed alia cauſa in diverſo Libello proponenda eſt; emendare vero illum, aut declarare uſque ad concluſionem cauſæ licebit. (o) In cauſis tamen ſummariis,

(a) *L. contumacia ff. de re judic.*
(b) *L. unica ſi quis juſdicenti non obtemperaverit*
(c) *cap. cauſam de dolo, & contumacia.*
(d) *Leg. contumacia ff. de re judic.*
(e) *L. 2. ff. ſi quis in jus vocatus.*
(f) *C. cum dilecti h. tit.*
(g) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. C. 3. de reformat. C. tuæ fraternitatis, ut lite non conteſtata.*
(b) *C. ultim. §. in alia, ut lite non conteſt.*
(i) *cap. prout nobis, & contingat de dolo. & contum. cap 1. de eo, qui mittitur in poſſeſſ. ubi ſervand cauſa*
(k) *C ult. de libell. oblation.*
(l) *Auth. offeratur Cod. de lit. conteſt. relata a Gratiano can. inducia q. 3. §. offeratur.*
(m) *C. 1. & ult. de libell. oblat. & can. præſcripta § libellorum 2. q. 8. & can. leg. 2. q. 1.*
(n) *Leg. libellorum ff. de accuſat.*
(o) *C. examinata de jud. l. ſi quis intentione, ubi DD. ff de jud. & leg. edita Cod. de edendo l quidam ff. ſi certum pet.*

Digitized by Google

mariis, ubi ſine ſtrepitu, & figura judicii procedítur, non eſt neceſſaria Libelli ſolemnitas. (*a*)

TITULUS VII.

De Exceptionibus, & Replicationibus.

PErtractus in forum reus armis & ipſe munitur, quibus adverſarium ſuum, nempe actorem pellat & excludat. Eæ ſunt exceptiones. Definitur autem exceptio, actionis, vel intentionis excluſio. Replicatio vero eſt iterata exceptio, excludens reſponſionem rei. Dividuntur autem exceptiones in dilatorias, & peremtorias. Dilatoriæ ſunt, quæ principalem cauſam non perimunt, ſed differunt ad tempus, quæque, ut Cajus inquit, evitari poſſunt. (*b*) Ut ſi mecum conveneris, ne intra quinquennium peteres, ſi intra quinquennium petieris, ego conventione illa per totum quinquennium tibi ſilentium imponam; te tamen haudquaquam perpetuo evitabo, nam elapſo quinquennio convenire me poteris. Harum vero exceptionum quædam cauſam ipſam reſpiciunt, & actorem, ut in ſuperiori exemplo, quædam vero perſonam Judicis, quia videlicet ſit incompetens; hoc eſt juriſdictionem in reum non habeat, cum ſit alterius fori, aut quod ſit ſuſpectus, & cum adverſario aut utilitate, aut affinitate; aut gratia conjungatur, ob eaſque cauſas ipſius juſſa declinamus, ideoque has exceptiones declinatorias appellamus.

Reſpiciunt vero actorem exceptiones illæ, quæ agenti alienam cauſam opponuntur de judicato ſolvendo, ut caveatur, vel ut reus ab actore, a quo ſpoliatus fuit, reſtituatur ante judicii progreſſum. Tandem reſpiciunt cauſam exceptiones illæ, quæ opponuntur contra libellum, quod ſit vel obſcurus, vel ineptus; vel quod dies non ceſſerit ſolutionis, vel ſi opponitur pendentia litis: atque cum commune ſit omnibus dilatoriis exceptionibus, ut ante litem conteſtatam opponantur; [*c*] hoc tamen eſt inter declinatorias & alias dilatorias diſcrimen, quod cum declinatoriæ perſonam Judicis reſpiciant, opponendæ ſunt ante omnes alias exceptiones, ne, ſi quis, omiſſis iis, ad alios pergat actus, videatur in Judicem conſenſiſſe. Sed & poſt litem conteſtatam aliquando dilatoriæ utiliter opponuntur: ſi ſcilicet vel exceptiones ipſæ, vel earum notitia poſt cœptam litem ſuboriatur. Excommunicationis vero majoris exceptio, per quam actor utpote a commercio fidelium excluſus, ab acceſſu judicii repellitur, id habet præcipuum, ut quamvis dilatoria ſit, poſſit tamen etiam poſt litem conteſtatam opponi, ne reus cum excommunicato communicare compellatur. [*e*] Verum ſi progreſſum fuerit ad appellationem, non poteſt amplius appellatio per exceptionem excommunicationis retardari. [*f*] Reus autem excommunicatus, quamvis reconvenire nequeat, a legitimis tamen defenſionibus opponendis nequaquam excludetur. [*g*] Exceptiones peremtoriæ ſunt, quarum vis perennis, quæque perimunt jus actoris, ita ut perpetuo excludatur: [*h*] quales ſunt exceptio doli mali, metus, pacti conventi, ſolutionis, jurisjurandi, tranſactionis, præſcriptionis, rei judicatæ, & exceptiones deſcendentes ex S. C. Macedoniano, aut Vellejano, aliiſque legibus. Quarum exceptionum id eſt commune, ut poſt litem conteſtatam ante ſententiam proponi debeant, exceptis aliquibus, quæ appellantur litis finitæ, hoc eſt, quæ vetant, ne fruſtra novum judicium reſumatur, cum litem jam compoſitam, atque peremtam oſtendunt, ideoque licet eas opponere omni tempore, atque in omnibus judicii partibus, quales ſunt exceptiones tranſactionis, jurisjurandi, & rei judicatæ. (*i*)

TITULUS VIII.

De reſtitutione Spoliatorum.

TRipliciter poſſeſſio rei noſtræ in controverſiam venit, quia tripliciter ea carere poſſumus, vel ſcilicet, quod eam, nondum habuimus, vel quod alius eam quam habemus auferre nititur, vel quod, cum eam haberemus, alius eripuerit; quamobrem

(*a*) *C. ſæpe de V. S.*
(*b*) *L. 3. ff. de excepr.*
(*c*) *Cap. inter Monaſterium de ſent. & re jud.*
(*d*) *Cap. paſtoralis de except.*
(*e*) *cap. 1. de except.*
(*f*) *Cap. ſignificavit de except.*
[*g*] *Cap. cum inter de except.*
[*h*] *cap. 1. de lit. conteſt. in 6.*
(*i*) *ibid.*

obrem tribus modis Jus Civile damno huic occurrit, nempe interdictis proditis tribus, in quibus de poſſeſſione diſceptatur. Primum appellatur interdictum adquirendæ, quo petimus, poſſeſſionem rei nobis tradi. Secundum retinendæ, quo poſſeſſionem rei, quam habemus, nobis adſerimus. Tertium recuperandæ, quo poſſeſſionem rei nobis oblatæ repetimus, quod Jure Canonum appellatur ſpoliatorum reſtitutio; de qua hic ſubjicitur titulus, qui eſt ſuper re immobili, nam poſſeſſio rei mobilis repetitur actione furti, vel vi bonorum raptorum. [a] Dejectus igitur poſſeſſione rei immobilis dicitur ſpoliatus, & virtute hujus interdicti propter odium violentiæ, quæ in turbanda poſſeſſione intervenit, ea celeritate reſtituendus eſt, ut nulli exceptioni, antequam poſſeſſionem recuperet, reſpondere cogatur, etiamſi is, qui dejecit, dominium ſibi afferat, aut crimen objiciat ſpoliato, vel arguat, illum vitio poſſediſſe. Nulla enim harum exceptionum auditur, antequam dejectus in poſſeſſionem reſtituatur. [b] In quam reſtitutionem veniunt omnia damna inde orta, & fructus a dejectore percepti, vel qui a ſpoliato percipi potuiſſent, [c] licet ad ſpoliatorem non pervenerint. [d]

TITULUS IX.

De litis conteſtatione.

TRes iudicii ſunt partes, quarum prima progreditur a citatione uſque ad litis conteſtationem. Secunda a litis conteſtatione uſque ad concluſionem in cauſa, ſive ad ſententiam definitivam. Tertia eſt a ſententia definitiva uſque ad illius executionem. Pars, quæ a citatione ad conteſtationem litis extenditur, non eſt judicii ſubſtantialis, ſed præparatoria, taleſque ſunt omnes actus, qui citationi & litis conteſtationi interponuntur; unde arx, & fundamentum ipſius judicii eſt litis conteſtatio, quæ eſt veluti ad pugnam congreſſio, cum ſuperiora ſint quaſi provocatio quædam, atque vellicatio. Conteſtatur autem lis per petitionem in jure, ac reſponſionem conſequentem, cui cohæreat contendendi animus: [e] qui animus adeſſe præſumitur, niſi præſumtio hæc declaratione contraria excludatur. Plures autem litis conteſtatio parit effectus. Primo enim inducit vitium litigioſi ſuper re in judicium deducta, itaut alienari non poſſit. [f] Secundo, excludit deinceps exceptiones dilatorias, quibus reus conteſtando litem renunciaſſe cenſetur. [g] Tertio, inducit quaſi contractum inter litigantes, ut neuter, altero invito, a judicio diſcedere poſſit. [h] Quarto, interrumpit inchoatam a reo præſcriptionem. Quinto, actiones omnes tempore perituras & morte perpetuat ad 40. annos. [i] Sexto, inducit malam fidem in poſſeſſore, alioſque producit effectus, quos collectos habebis apud Speculatorem de litis conteſtatione §. penult. & ult. Ad impediendum vero, ne quid innovetur in lite ſufficit ſola citatio adducta in rei notitiam. [k]

TITULUS X.

De Juramento Calumniæ.

UT judicia expeditiori via progrediantur, & retia calumniarum evitentur, viſum eſt, religione adſtringere litigantium fidem, ut ſi fefellerint, Deum habeant acriorem judicem, & Divinæ ultionis metu litigatores a calumnioſis conſiliis abſterreantur. Itaque poſt litem conteſtatam, & etiam quando ſine litis conteſtatione proceditur, in qua parte judicii viſum fuerit judici, defertur juramentum actori & reo, quo promittat quidem actor ſe non calumniandi animo litem inſtruere, ſed opinione juris ſui, reus vero eadem bona ſuæ cauſæ opinione obſiſtere adverſario; unde utrique promittunt, ſe nihil judicii corrumpendi cauſa daturos, neque adducturos probationem ullam non neceſſariam, aut fallacem, neque operam daturos, ut judicium calumnioſe differatur. [l] Quod juramentum judices præ-

---

(a) *L. 1. ff. de vi bon rapt.*
(b) *Can. reintegranda 3 q. 1*
(c) *Cap. graviſs. de reſtit ſpol. l. 1. §. non ſolum ff. de vi, & vi armata.*
(d) *Dict. l. 2. §. 29. ff eod.*
(e) *C un. de lit. conteſt.*
(f) *Aut. litigioſ C de jud.*
(g) *L. exceptionum Cod. de probat. Cap. inter Monaſterium de ſent. & re jud.*
(h) *L. ſervus communis, ubi Baldus ff. de noxal. act. Gl. leg. pen. ff. de tranſact.*
(i) *L. ult. Cod. de præſcr 30. vel 40. ann.*
(K) *Clem. 2. ut lite pend.*
(l) *L. 2. in princ. Cod. de jur. calum. C. ſtatutum §. inſuper de reſcriptis.*

Digitized by Google

præſtant ſuſcipiendi officii tempore, ut deinceps in ea obligatione perſeverent. (*a*) Id autem juramentum ſi litigatores ſubire recuſent, actor quidem cauſa cadet; reus vero pro confeſſo habetur. (*b*) Si tamen hoc juramentum fuerit omiſſum, hoc ſolo vitio proceſſus minime infirmatur. (*c*) Præſtandum eſt autem ab omnibus, & etiam a Procuratoribus nomine dominorum, atque ab Eccleſiaſticis in cauſis propriis ſuæ Eccleſiæ propoſitis; non vero tactis Evangeliis. (*d*) Procurator tamen, ut juret, a domino debet habere mandatum, (*e*) & præſtatur in omnibus cauſis etiam criminalibus, & ſpiritualibus, & tam in prima, quam in ſecunda inſtantia. (*f*)

TITULUS XI.

De Probationibus.

OMnis Probatio dividitur in plenam, & ſemiplenam; plena eſt, quæ plenam fidem facit judici de re, ſuper qua agitur, quale eſt teſtimonium duorum hominum, omni exceptione majorum, quorum fides eſt explorata & communi opinione comprobata. (*g*) Item inſtrumenta publica, quorum fides non poteſt in dubium revocari. Unde incorruptæ fidei probatione appellantur (*h*) & ipſa confeſſio partis in jure, ſive ad judicis tribunal: (*i*) & juſjurandum ab uno litigatore alteri delatum. (*k*) Semiplena probatio eſt, quæ fidem aliquam judici facit, at non plenam, ac potius opinionem injicit, ut eſt dictum unius teſtis, & fama, & privatæ ſcripturæ; probandi autem onus incumbit illi, qui aſſerit, unde regulariter incumbit actori, non reo, qui negando ita excludit actoris intentionem, ut illi probandi neceſſitatem imponat. (*l*) Reus autem onus probationis tum ſubit, cum negando aliquid aſſerit: ac ſicuti actor probare debet intentonem ſuam, ita & reus ſuam exceptionem: (*m*) unde ſi conventus reus ex cauſa mutui, neget ſe pecuniam accepiſſe, cogetur actor oſtendere, pecuniam fuiſſe a ſe, datam. At ſi reus neget ſe pecuniam debere; quod ſibi credita fuerit, quando erat pupillus, tum reus demonſtrare tenetur, ſe acceptæ pecuniæ tempore fuiſſe pupillaris ætatis. Secundo tenetur probare reus, ſi actoris intentio præſumtione fulciatur: cogitur enim tum reus præſumtionem illam oppoſitis probationibus excludere. (*n*) Tertio probare debet reus negationem, ſi ſponte onus probandæ illius in ſe ſumſerit. (*o*) Sed ſi actori probationes deerint, & adjuvari ſperet poſſe inſtrumentis, quæ apud reum adſervantur, tum illa reus edere cogetur, ſi vel utrique communia ſint, ut teſtamentum, ex quo quis aliquod legatum vindicet, vel ſint publica: alioquin propria inſtrumenta reus in proprium damnum actori præferre minime compelletur. (*p*) Quoniam autem nulla eſt probatio major ea, quæ a proprii oris confeſſione procedit, ideo non devenietur ad probationes, niſi poſt tentatam utrinque confeſſionem, quod fit per poſitiones. Succeſſerunt poſitiones noſtrates in locum interrogationum, quæ fiebant olim ante litem conteſtatam in jure; ſive apud Prætorem, cum quis agere vellet actione reali, puta petitionis hereditatis, aut rei vindicatione, & neſcius poſſideret ne, aut quo jure poſſideret reus propria cum confeſſione implicabat, aut negatione coarguebat mendacii; atque ex ipſius ore eliciebat, qua actione actor experiri deberet. In qua confeſſione, aut negatione ſumma totius cauſæ conſiſtebat; & actio ex talibus interrogationibus oriens; actio interrogatoria vocabatur: unde titulus Digeſtorum de interrogationibus in jure factis, & interrogatoriis actionibus. Sed quia iniquum videbatur reum ante judicem urgeri, atque ab ſe ipſo arma contra ſe extorqueri, cœperunt hujus interroga-

(*a*) *L. rem non novam de jud.*
(*b*) *C. ult. §. ult. de jur. calum.*
(*c*) *cap. 1. §. propter omiſſum de jur. calum. in 6.*
(*d*) *C. ult. in princ. cum concord de jur. calum.*
(*e*) *C. ult. eod. in 6.*
(*f*) *C. 2. in princ. de juram calum. in 6. cum concord.*
(*g*) *C. 2. & 3. de prob.*
(*h*) *DD. l. ult. Cod. de prob. l. emancipat. facta Cod. de inſtrum.*
(*i*) *L. 1. ff. de confeſſ.*
(*K*) *L. 1. & 2. ff. de jurejur.*
(*l*) *C. bonæ mem. 23. §. porro exceſſus de elect. can. quod autem 6. q 5.*
(*m*) *C. in præſentia de prob.*
(*n*) *Can. contra mortem diſt. 100. DD. in can. Pontif. 12. qu. 3.*
(*o*) *Cap. 1. de reſtitut. ſpoliat. l. circa, ubi Bar. ſolus) & alii ff. de probat.*
(*p*) *Cap. eod de probat. l. nimis grave Cod. de teſtibus l. qui accuſaverit Cod. de edendo.*

rogationes etiam tempore S. C. exoleſcere, ac tandem omnino ceſſarunt. Unde illarum loco inſtitutæ fuerunt poſitiones, ſive articuli poſt litem conteſtatam, non totam cauſam, ſed facta quædam reſpicientes, quæ ad cauſam pertineant; ut iis confeſſione adverſarii conſtitutis, aut negatis, pateat alteri quid ſibi deinceps probandum ſit, quidve in probatis habendum; (*a*) quæ quamvis fundandæ actioni, judicioque inſtituendo non valeant, tamen adjuvant cauſam adſertione factorum. Itaque conceptis brevibus articulis, ſive ab actore e ſuo libello, ſive a reo e ſua exceptione deductis, reſponſuro defertur calumniæ juramentum, quod forenſi lingua juramentum damnorum appellatur: poſteaque ab interrogato reſpondetur per verbum credit, vel non credit; ac ſi quis fatèatur, urgebitur ſua confeſſione tamquam re jam probata; ſin inficietur, confutandus erit teſtibus; ſin reſpondere detrectet, in eum, utpote contumacem, tamquam in confitentem, vel negantem, prout adverſario erit utilius, proceditur; [*b*] niſi interrogationes perplexæ ſint, aut dubiæ, caprioſæ, vel obſcuræ, vel ſuperfluæ ad cauſam non pertinentes. Quamobrem ut quis reſpondere teneatur in poſitionibus, omnia vitia ſunt vitanda. [*c*] Ubi res confeſſione non clareſcit, veſtiganda eſt aliis argumentis; atque inquirenda vel teſtibus, vel ſcripturis; vel jurejurando, vel præſumtionibus. Igitur primo de probatione per teſtes videamus.

Teſtis dicitur is, qui rogatur ad fidem dicto ſuo in re aliqua faciendam; & quod ab eo dicitur, teſtimonium nuncupatur. Munere teſtis in judicio fungi tantum poſſunt ii, qui ſunt fide digni, atque omni exceptione majores, [*d*] quique per Leges, & Canones ab eo munere non prohibentur; nam permulti ſunt, qui a teſtimonio dicendo vel in totum rejiciuntur, vel pro certis perſonis tantum, vel contra certas perſonas, vel certis in cauſis. Tempus producendorum teſtium eſt poſt litem conteſtatem, (*e*) niſi de cauſa matrimonii, vel electionis, & inquiſitionis agatur, aut forte de morte, abſentiave teſtium timeatur; tum enim eorum productio etiam ante litem conteſtatam permittitur. [*f*] Facienda vero productio eſt coram judice cauſæ, ſi tales teſtes ſint, ut in judicium poſſint adduci, alias ad eos examinandos idoneæ perſonæ mittuntur. [*g*] Ac antequam inchoet, debet judex non trina, ſed unica monitione citare Partes, [*h*] deinde intra ſtatutum terminum teſtes producendi, & citatus adverſarius debet ante teſtium receptionem vel examen, vel publicationem teſtimoniorum objicere, ſi quid contra eos objiciendum habeat. (*i*) Examinis autem initio jurandum eſt teſtibus, ſe non odio, neque gratia, neque ulla ſpe, aut lucro, ſed unius veritatis ſtudio ad teſtimonium dicendum acceſſiſſe, nihilque aliud, niſi facti veritatem teſtaturos, ſine quo juramento nullius teſtatio valebit; etenim teſtibus injuratis, ne ſi quidem religioſiſſimi ſint, in alterius fraudem fides habetur. (*k*) Quod juramentum cum Partis adverſæ gratia injungitur, poteſt ab eadem Parte adverſa remitti, [*l*] poſtquam idem adverſarius ad juramenta illorum videnda citatus, evocatuſque fuerit. [*m*] Quos teſtes ita admiſſos, juratoſque judex clam, & ſeorſum ab aliis debet ſingulatim examinare, tum ſuper articulis a producente propoſitis, tum ſuper interrogatoriis ab adverſario oblatis, inſpectoque vultu, & motibus eorum attentiſſime obſervatis, circumſtantiiſque omnibus accurate perpenſis, atque notatis. [*n*] Ut autem habeant teſtium dicta firmitatem, neceſſe eſt ſcientiæ cauſam adducant per eum corporis ſenſum, cui res ea ſubjicitur, de qua agitur: veluti per fidem oculorum, ſi factum; per fidem aurium, ſi dictum aliquod in controverſiam adducatur; [*o*] Contra teſtium autem ab actore productorum teſtimonia poteſt reus excipere, eaque con-

(*a*) *Tot tit. de confeſſis, & cap. 1. & 2. eodem in 6. Speculator de probationibus § 9.*

(*b*) *C. 2. de confeſſ. in 6.* (*c*) *Gloſſ. 2. eod. in 6.*

(*d*) *cap. 1. de teſtam. can. placuit 4. quæſt. 2. l. Cod. de teſtibus.*

(*e*) *C. 1. & 2. ut lite non conteſtata.*

(*f*) *C. ult. de teſt. cap. novit de jud. Gloſſ. dict. C. ult. V. requiritur.*

(*g*) *C. cum olim §. interdum de privil. C. ſi quis teſtium, & C. in nomine Domini de teſtam.*

(*h*) *Dict. cap. in nomine Domini.*

(*i*) *cap. 2. de teſt. C. qui tacet de reg. juris in 6.*

(*k*) *C. quoniam C. tuis quæſtionibus C. nuper de teſtibus l. jurisjurandi Cod. eod.*

(*l*) *Dict. cap. tuis quæſt. ubi Gloſſ. V. remittatur*

(*m*) *Dict. cap. 2. de teſt.*

(*n*) *cap. cauſam de teſtibus l. teſt. ff. eod.*

(*o*) *C. præterea cap. licet de teſt. l. ſolum Cod. eod.*

trariis ab ſe productis teſtibus coarguere. [*a*] quos actor poterit contrariis aliis teſtibus reprobare, atque hic debet conſiſtere productio teſtium, ne lites tendant in infinitum. Ut plena vero probatio habeatur, duo ſaltem teſtes ſuper quolibet negotio ſunt neceſſarii: qui etiam debent eſſe conteſtes, non vero ſingulares; quales habentur, qui ſinguli de disjunctis, diverſiſque actibus teſtantur, iique, inter quos eodem de actu non convenit. [*b*] Numerus vero teſtium ultra quadragenarium excurrere non debet; [*c*] recepta vero teſtimonia vulgari, ſive publicari debent, & utriſque litigatoribus oſtendi, ſi quid ad ea objiciendum habent, [*d*] neque poſt publicationem quidquam teſtibus opponetur, niſi reus juret, ſe id non dolo facere; vel ante publicationem fuerit proteſtatus, vel oſtendat ſe nonniſi poſt publicationem didiciſſe, quod in teſtium perſonas objiceret. (*e*) Teſtimonia vero in uno judicio plenario recepta, in alio fidem faciunt pro eadem cauſa, & inter eaſdem perſonas, ſed recepta in ſummario non probant in plenario. (*f*) Præter teſtes probationes eliciuntur e ſcripturis, quæ anguſtiori ſignificatione inſtrumenta vocantur: cum inſtrumentum latiori ſignificatione etiam teſtimonia complectatur; (*g*) inſtrumentorum alia publica ſunt, alia privata. Publica dicuntur; quæ a perſona publica, ſive a Tabellione, ac Notario publico ex juris forma conſcribuntur, mandato judicis, aut rogatu Partium, expreſſo anno, indictione, menſe, die, loco contractus, & inſcriptis nominibus teſtium, ſubſcriptoque nomine Tabellionis;(*h*) effectu quoque, & minus proprie dicuntur publica inſtrumenta illa, quæ quamvis non ſint a perſona publica conſcripta, publico tamen, & authentico ſigillo ſunt obſignata, veluti ſigillo Epiſcopi, cui creditur, donec oſtendatur contrarium, (*i*) aut Principis ſecularis, (*k*) vel Capituli, vel Univerſitatis; vel quæ de publicis Tabulariis, (*l*) ſeu Archiviis extrahuntur. (*m*) Præterea, quamvis nihil horum interveniat, ſi tamen privatæ ſcripturæ trium teſtium ſubſcriptio acceſſerit, publicæ ſcripturæ habet effectum. (*n*) Scripturæ autem privatæ tantum contra ſcribentem plene probant; libris Mercatorum exceptis, & rationibus ſociorum, quibus uſus tam pro ſcribentibus, quam contra ſcribentes plenam fidem tribuit, utilitatis, & commercii cauſa. Cæteræ vero nullo modo pro ſcribente probant. [*o*] Nec ſemper tamen contra ſcribentem fidem faciunt (*p*) inſtrumenta domeſtica, ſive privata; ſed tum ſi cauſam contineant, veluti ex mutuo, emto, locato, aliove titulo contractus, & ſcriptor ſe ſcripſiſſe fateatur: at ſi cauſa non fuerit inſita, non probant contra ſcribentem, niſi ſemiplene. Deficientibus vero aliis probationibus, recurritur ad jusjurandum, quod maximum eſt litium dirimendarum remedium. (*q*) Jusjurandum a Cicerone definitur elegantiſſime affirmatio religioſa: nempe advocatio Divini Numinis in teſtem ejus rei, quæ promittitur, vel aſſeritur. Dividitur autem juramentum in promiſſorium, & aſſertorium. Promiſſorium eſt, quod contractui adjicitur, ut confirmetur, ſi alias eſſet nullus: nam accedente juramento, naſcitur obligatio, (*r*) niſi actus ille jure naturæ irritus eſſet, utpote per vim, aut per fraudem extortus; vel idem actus juramento confirmatus vergat in damnum publicum, cui privata pactio non poteſt obeſſe; vel niſi bonis moribus repugnet. (*s*) Juramentum aſſertorium eſt id, quod aſſerendi alicujus facti gratia in judicio ad dirimendam litem præſtatur; eſtque triplex, voluntarium, judiciale, & neceſſarium. Voluntarium eſt, quod nullo co-

(*a*) *cap. cum clamor cum concord. de teſtibus.*
(*b*) *C. licet de teſtib. C. bonæ mem. 23. de elect.*
(*c*) *C. cum cauſa de teſtib.*
(*d*) *C. in cauſis de teſtibus.*
(*e*) *C. cum veniſſent, & cap. præſentium de teſtib.*
(*f*) *C. pervenit de teſtibus cogendis c. ferus de V. S.*
(*g*) *L. ſcripturae Cod. qui poſteriores in pignore Novell. 44. de tabel.*
(*h*) *cap. 2. C. inter dilectos, ubi DD. de fide inſtrumen. Covar. practic. quaeſt. c. 20. num. 2.*
(*i*) *cap. poſt. ceſſionem de probat.*
(*k*) *cap. cum dilect. de fid. inſtr.*
(*l*) *C. cum inter dilectos de fide inſtr. C. 5. de prob. C. in nomine Patris d. 23.*
(*m*) *C. ad audientiam de præſcript.*
(*n*) *L. qui ſcripturas Cod. qui potiores in pignor. aut. ſi quis vult. C. eod.*
(*o*) *L. inſtrumenta cum ſequ. Cod. de probat.*
(*p*) *C. ſi cautio de fid. inſtr. l. cum indebito ff. de probat. l. generaliter Cod. de non numerata pecunia.*
(*q*) *C. etſi Chriſtus §. Jacobus de jurejur.*
(*r*) *DD. in cap. cum contingat de jurejurando, & in C. 2. de pactis in 6.*
(*s*) *C. ſi diligenti de foro competenti cum ſimil.*

cogente ſuſcipitur, vel voluntate tantum ejus, cui defertur, aut refertur. [a] Deferre dicitur jusjurandum, qui offert alii jurandi conditionem. Referre autem dicitur, is, qui jurandi conditionem ſibi oblatam rejicit in offerentem. Judiciale juramentum eſt id, quod non cogente, ſed adprobante judice, pars parti alteri defert in judicio, quod vel ſuſcipiendum eſt, vel referendum, ſi quidem quis cauſæ credere nolit. Suſpicioſum enim eſt jurare nolle, nec referre juramentum: [b] niſi adſit juſta cauſa recuſandi, puta ſi juramentum deferatur actori, qui ſuam intentionem probavit, [c] vel is, cui defertur, jurare cogatur de alieno facto, cujus non ſit conſcius. [d] Juramentum neceſſarium, quod & ſuppletorium probationis appellatur, eſt illud, quod plena probatione deficiente defertur actori, vel reo, ut inde veritas in apertum proferatur. [e] Unde neceſſarium dicitur, tum quia neceſſario defertur a judice propter inopiam probationum; tum quia neceſſitatem imponat ſubeundi illius; alias pars recuſans pro confeſſa habetur, niſi deferatur actori, qui plenarie probaverit, aut reo, contra quem nihil probaverit actor. [f] Deferri autem poteſt neceſſarium juramentum omnibus ſemiplene probantibus: exceptis vilibus, & infantibus, aut perjuris, perjuriique ſuſpicione laborantibus, aut rem ignorantibus. [g]

In probationum ordinem referenda ſunt etiam indicia, & conjecturæ, quibus ad aliquid credendum adducimur; nam ex his oritur præſumptio; quæ definitur, anticipata de re dubia orta opinio ex argumentis, indiciis, & conjecturis, quod pro veritate habeatur, donec oppoſitum doceatur. [h] Dividuntur præſumtiones in eas, quæ ſunt hominis, & eas, quæ ſunt legis. Præſumtio hominis eſt opinio in alicujus mente ab indiciis nata, quæ nulla certa lege continetur, eaque vel levis eſt, & temeraria, vel probabilis. Temeraria eſt illa, quæ nullo prudentis animi judicio fundatur, unde nihil probat. Probabilis eſt ea, quæ prudentibus etiam perſuaderi poteſt, utpote ſana ratione ſubnixa, quæ dividitur etiam in vehementem, ſive violentam, & non violentam, ſive minorem. Violenta eſt, quæ tam efficaci ratione ſubfulcitur, ut gravem probationem inducat. [i] Non violenta vero eſt ea, quæ minori probabilitate nititur; unde non probat, niſi ſemiplene. Præſumtio juris alia eſt juris tantum, alia vero juris, & de jure. Præſumtio juris tantum eſt ea, quæ in jure reperitur expreſſa, non tamen pro jure conſtituta, unde relinquit contrariæ probationi locum, qualis eſt præſumtio ſolutionis, prodiens ex cancellato chirographo: quæ præſumtio quamvis in jure contineatur, nempe in *l. ſi chirographum ff. de probat. & præſumt.* tamen lex non ſtatuit, ut pro certo habeatur ſolutionem interveniſſe, ſi chirographum fuerit cancellatum, quia poteſt doceri contrarium. Præſumtio vero juris, & de jure illa eſt, quæ non modo continetur in corpore juris, ſed etiam pro jure certo habetur, ut eadem ipſius appellatio demonſtrat: qualis eſt opinio melioris juris pro eo, qui vicit in judicio, ſi ſententia tranſierit in rem judicatam; [k] Præſumtio juris, & de jure regulariter excludit omnem contrariam probationem, quia pro expreſſa veritatem habet. [l] Præſumtio vero juris tantum relinquit quidem contrariæ probationi locum, ſed onus probandi transfert in eum, contra quem præſumtio dimicat; qui enim juris præſumtione oppugnatur, debet eam validioribus probationibus elidere.

TITULUS XII.

De Sententia, & re judicata.

SEntentia eſt pronunciatio, ſive definitio judicis, condemnationem, vel abſolutionem continens, rei controverſæ finem imponens; eſtque triplex, interlocutoria, definitiva, & media, ſive vim definitivæ habens. Interlocutoria eſt, quæ non ſuper

 uni-

(a) *L. 1. & 2. ff. de jurejur.*
(b) *L. manifeſtæ ff. de jurejur.*
(c) *cap. 2 de probationib.*
(d) *cap. ultim. de jurejurando l. Marcellus §. 1. ff. rerum amotarum.*
(e) *L. admonendi ff. de jurejurando.*
(f) *cap. ſicut de probat. l. generaliter de rebus creditis, & jurejurando.*
(g) *Bartolus in l. admonendi ff. de jurejur. cap. 3. cum concord. de cohabitation. Cleric. & mulier.*
(h) *Alciat. de præſumption. princ. p. 1. nu. 1. Menoch. de præſumt. lib. 1 quæſt. 7. num. 40.*
(i) *cap. inquiſitioni de ſent. excommunic. C. litteris de præſumpt.*
(k) *L. cum inter ff. de ſent. & re judic.*
(l) *L. is, qui fidem ff. de ſponſalibus.*

univerſo negotio fertur, ſed ſuper aliquo emergenti inter cauſæ curſum, puta in libello ferendo, vel in danda, negandave exceptione, aut ſimilibus; quæ quamvis ad cauſam pertineant, finem tamen cauſæ non imponunt; unde dicitur intercolutoria, quia judex interea loquitur, nec definitive de cauſa pronunciat. Definitiva vero eſt, quæ totam controverſiam dirimit condemnando, vel abſolvendo. Ita vero ſententia definitiva ferenda eſt, ne quid maturi examinis omittatur: unde primo interrogandæ ſunt Partes, an aliud habeant producendum, (*a*) certumque tempus ad reliquum productionis eſt præfiniendum, ut veniatur ad concluſionem in cauſa, per quam imponitur finis productioni actorum; ita ut poſt concluſionem in cauſa nihil aliud produci poſſit, neque expectetur, niſi ſola ſententia. Citandæ vero ſunt Partes, ut certo die ad jus audiendum conveniant, (*b*) ne inutiliter adverſus abſentem, & non contumacem pronuncietur: (*c*) niſi de facto notorio agatur, aut ubi Partes nihil ſui defendendi cauſa poſſunt afferre. (*d*) Quibus obſervatis judex Chriſti nomine invocato, ſoliuſque Dei conſiderationem, & reſpectum profeſſus, pronunciare debet pro tribunali ſedens, atque de ſcripto ſententiam cauſæ finem afferentem, (*e*) & libello convenientem, (*f*) & ex allegatis atque probatis emanantem: (*g*) pronunciatæ autem ſententiæ, præter condemnationem illius, qui ſuccubuit ad reficiendas expenſas ei, qui obtinuit, maximus effectus eſt, quod niſi intra decem dies appelletur, pariat exceptionem rei judicatæ, quæ pro veritate habetur, nec retractari amplius poteſt, niſi agatur de cauſis matrimonialibus. (*h*) Sententia vero judicis, ſi juri expreſſo repugnet, nempe Canonibus, & legibus, & conſuetudinibus, eſt nulla, nec ſubſiſtit. (*i*) Si vero repugnet juribus litigatoris, nempe inſtrumentis, & teſtibus, ac probationibus illius, valet quidem ipſo jure, ſed per appellationem ſuſpenditur, & per reſtitutionem in integrum revocatur. (*k*) Nulla vero prorſus eſt ea ſententia, quam tulit judex pecunia corruptus. (*l*)

TITULUS XIII.

De Executione rei judicatæ.

Sententia poſtquam lata fuerit, ſi infra decem dierum ſpatium non appelletur, eſt executioni mandanda, (*m*) & quidem exequenda eſt ſtatim, ſi de actione reali agatur; ſi de perſonali, per ſpatium quatuor menſium judicis arbitrio prorogandum eſt ex juſta cauſa, vel reſtringendum, quod tempus debitori conceditur a jure ad curandam ſolutionem; qui autem tulit ſententiam, idem & exequi debet, ſi judex fuerit ordinarius, (*n*) niſi executio facienda ſit extra territorium judicantis; tum enim adeundus eſt judex territorii illius. Si vero ſententia lata fuerit a judice delegato, executionem accipiet ab ordinario delegante, (*o*) excepto delegato Summi Pontificis, qui delegatus, quia ratione cauſæ illius præſtat omnibus judicibus poſt Pontificem; ideo poteſt per ſe ſuam ſententiam exequi, aut alteri committere exequendam. (*p*) Quoniam vero ſententia inter alios lata, jus non inducit contra tertium inauditum; ideo poteſt ille tertius executionem impedire, ac ſuſpendere per appellationem, donec de ſuo jure docuerit. (*q*) Porro ſi tres ſententiæ latæ contra aliquem fuerint, audiri non debet ſuper earum nullitate, ſive agendo, ſive excipiendo, antequam executioni mandentur. (*r*) Si quidem autem circa executionem diſputandum inciderit, tum ejus cauſæ cognoſcendæ

(*a*) *Can. judicantem 30. qu. 5. aut. jubemus Cod. de jud.*

(*b*) *Can. 2. de dolo in 6.*

(*c*) *L. ea, quæ Cod. quomodo, & quando judex.*

(*d*) *Panormitan. cap. cum ſit Romana de appel. n. 7.*

(*e*) *cap. ultim. de ſent. & re judic. in 6.*

(*f*) *cap. licet Haly de ſimon. Clem. ſæpe §. verum quia de V. S.*

(*g*) *Leg. illicitas §. veritas ff. de offic. præſid.*

(*h*) *C. lator de ſentent. & re judic.*

(*i*) *cap. 1. de ſent. & re jud. l. ſi expreſſum cum concord. ff. de apell.*

(*k*) *L. 2. Cod. quando provocare non eſt neceſſe. C. 5. & 6. de iu.*

(*l*) *L. venales Cod. eod.*

(*m*) *§. 1. Novel. 23. de appell. C. quoad conſultationem de ſent. & re judic.*

(*n*) *C. ſi quis contra §. ult. de foro compet.*

(*o*) *L. a Divo Pio ff. de re jud. c. ſi quis contra de foro compet. ubi fuſe Abbas nu. 24. et ſeq.*

(*p*) *cap. ſi quis contra de foro competendi, ubi Abbas num. 36.*

(*q*) *cap. cum ſupra de ſent. et re judic.*

(*r*) *Clem. ut calumniis de ſenten. & re judic.*

dæ gratia executio differtur, ſi agatur apud executorem miſſum, hoc eſt, qui cum executione habeat etiam aliqualem notionem, & propterea eas exceptiones admiſerit, quæ non ad mutandam ſententiam, ſed excuſationis modum vel tempus pertinent. (*a*) Secus vero ſi agatur apud executorem merum, qui nullam exceptionem poteſt admittere.

TITULUS XIV.

De Appellationibus.

NE ſententia tranſeat in rem judicatam, neve pars, quæ ſuccubuit, omni ſpe deſtituatur, appellationis remedio eſt occurrendum. (*b*) Eſt autem appellatio ab inferiore judice ad ſuperiorem facta provocatio propter illatum, aut imminens gravamen. Et eſt vel extra judicialis, quæ proprie provocatio dicitur, & venit ab actis extrajudicialibus ſive quæ in judicio, & pro tribunali non exercetur, qualis eſt illa ab injuſta electione, ſpoliatione, & ſimilibus; vel judicialis, & eſt illa, qua petitur, ut ſententia, ſive interlocutoria, ſive definitiva, per majorem judicem corrigatur, revoceturve. Et appellare poteſt quilibet in judicio victus, ſive ſuam, ſive alienam egerit cauſam, niſi contumax fuerit, vel confeſſus, aut ita convictus, ut nonniſi differendi judicii cauſa videatur appellare. (*c*) Unus autem ex pluribus communem habentibus cauſam appellans, ſi vicerit; omnibus prodeſt, qui non appellarunt: (*d*) ab omnibus vero judicibus appellare licet ſive ordinariis, ſive delegatis, (*e*) præterquam a Supremis Principibus, & Summo Pontifice, cujus judicium nulli, præterquam Deo, ſubjicitur. (*f*) Jure Canonico veteri ab omnibus cauſis, & ab omni onere licet appellare ſive ante ſententiam definitivam ab interlocutoria, ſive poſt ab ipſa definitiva, vel ejus executione. At Jure Civili ab interlocutoria non appellatur, [*g*] niſi definitivæ vim habeat, aut gravamen contineat, quod per definitivam tolli nequeat: (*h*) quod abrogato Jure Canonico veteri, demum receptum eſt a Concilio Tridentino, (*i*) quo illæ tantum appellationes ab interlocutoria permittuntur, quæ vel vim definitivæ habeat, vel gravamen per definitivam irreparabile inducat, ut eſt carcer, tortura, excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum. Ne autem lites in infinitum progrediantur, vetita eſt tertia appellatio; unde bis tantum ab eadem ſententia licet appellare. (*k*) Appellatur autem non ad eumdem judicem, ſed ad proxime Superiorem, (*l*) qui tribunal habeat a pronunciante judice diſtinctum, unde a Vicario Generali non appellatur ad ejus Epiſcopum, cum quo tribunal commune habet, ſed ad Archiepiſcopum. (*m*) At nec ad Summum quidem Principem licet appellare, omiſſo Judice medio, ne gradus turbentur, & juriſdictiones implicentur. (*n*) Tempus appellandi eſt ſpatium decem dierum, ſive, ut ajunt, decendium a lata ſententia, vel ejus notitia: (*o*) porro judex, a quo appellatur, debet appellationi deferre, ſi pœnas velit effugere. (*p*) Unde debet acta tranſmittere ad judicem ſuperiorem intra XXX. dies, intra quos appellans tenetur Apoſtolos petere. Ac ſi judex dubitet, an deferendum ſit appellationi, capere poteſt ſpatium XXX. dierum a tempore appellationis interpoſitæ ad deliberandum, qui appellatur terminus juris. Dicuntur Apoſtoli a Græco verbo *ἀποςέλλω*, ſive dimitto: ſunt enim literæ miſſæ a judice pronunciante ad Superiorem, ad quem appellatur, ut fidem faciant appellationis interpoſitæ, ac ſi teſtentur interpoſitam, & admiſſam eſſe appellationem, nominantur dimiſſoriæ; ſi vero teſtentur admiſſam quidem eſſe appellationem, ſed non ob juſtitiam cauſæ, verum tantum ob reverentiam Superioris, dicuntur reverentiales; ſi autem appellationem quidem eſſe teſtentur,

(*a*) *C. de cetero de ſent. et re judic.*
(*b*) *L. 1. ff. de appell.*
(*c*) *C. pervenit C. conſuluit C. cum ſpecialiter §. porro de appel.*
(*d*) *L. 1. et 2. Cod. ſi unus ex pluribus appellaverit.*
(*e*) *Can. omnis. can. ad Romanam 2. q. 7.*
(*f*) *C. ipſi ſunt, et can. cuncta 9. q. 3.*
(*g*) *L. ante Cod. quorum appell. non recip. l. ult. Cod. de ſent. et interlocut. omn. judicum.*
(*h*) *L. 2. ff. de appell. recipiendis cum ſim.*
(*i*) *Seſſ. 24. C. 20. de reform. et ſeſſ. 13. C. 1. de reform.*
(*k*) *C. sua nobis de appell. l. 1. Cod. ne liceat in una eademque.*
(*l*) *C. dilecti de appell. l. imp. ff. eod.*
(*m*) *C. 2. de conſuet. in 6. et C. 3. de appel. in 6.*
(*n*) *D. l. imp. ff. de appell.*
(*o*) *C. de priore de appel.*
(*p*) *C. ab eo de appell. in 6.*

tur, ſed appellationi minime delatum fuiſſe, refutatoriæ appellantur. Aliquando vero judici non conſtat, concedenda ne ſit appellatio an deneganda, & tum concedit teſtimoniales, & vim accipiunt a jure; ut, ſi ex jure appellatio ſit concedenda, ſuſpendatur cauſam, & inducant attentata; ſin a jure ſit deneganda, reſolvantur in refutatorias, & appellatio habeatur pro rejecta. Qui autem teſtimoniales obtinuit, annuum tempus habet ad committendam appellationis cauſam. Evenit etiam, ut judex quidem refutet, pars vero alia, contra quam appellatur, taceat, & appellationi conſentiat, & tum, quia Partes conveniunt inter ſe ſuper appellatione, dicuntur Apoſtoli conventionales. Proſequendæ autem appellationis tempus eſt annus, & ex cauſa biennium, tum ex Jure Civili, tum ex Canonico, quæ tempora fatalia dicuntur, quia eo ſpatio, tamquam ſuo fato appellatio clauditur, & extinguitur, quamvis illud poſſit ex juſta cauſa etiam reſtringi a judice, atque prorogari. (*a*) Tempus autem appellationis finiendæ præſcribere tantum poteſt judex ad quem, cui judex a quo jus dicere nequit. (*b*) Judex igitur, ad quem fuit appellatum, ſi appellationem receperit, literas compulſoriales nuncupatas appellanti tradere debet, quibus mandet inferiori judici, ut intra certum tempus acta tranſmittat; ſi agatur de appellatione tantum in devolutivo, ſive ubi executio non ſuſpenditur, (*c*) vel tradere debet inhibitoriales literas, quibus vetat inferiori judici, ne quid innovet ſuper cauſa, de qua fuit appellatum, ſi agatur de appellatione in devolutivo ſimul & ſuſpenſivo: tum enim ita ſuſpenditur executio, & inferioris juriſdictio, ut quidquid inferior poſtea geſſerit, tamquam attentatum, ſit ante omnia revocandum. (*d*)

TITULUS XV.

De in Integrum Reſtitutione.

Qui appellatione non adjuvatur, aliquando petere opem poteſt per in integrum reſtitutionem, qua poſtulet, ut in priſtinum ſtatum ex juſta cauſa reſtituatur; unde conceditur certis perſonis, & ex certis cauſis intra præſcriptum a jure tempus; ac primo conceditur reſtitutio minoribus XXV. annis, ex jure communi, ſi ſententia judicis, aut in curſu judicii ſe læſos oſtenderint. (*e*) Secundo, reipublicæ. (*f*) Tertio, Eccleſiæ, non modo contra privatos, & laicos, verum etiam contra aliam Eccleſiam. (*g*) Quarto, majoribus XXV. annis, ob cauſam vel abſentiæ, vel erroris. Daturque hoc remedium etiam contra ſententiam Principis, aut Summi Pontificis, & etiam contra contractus, aut facta, ubi læſio intervenerit. Tempus petendæ in integrum reſtitutionis eſt quadriennium continuum a tempore læſionis. (*h*) Debet autem reſtitutio ab eo judice peti, cui ſubeſt is, contra quem petitur. (*i*) Minor tamen Magiſtratus reſtituere non poteſt contra ſententiam majoris, (*k*) licet idem reſtituat contra ſententiam propriam. (*l*) At adverſus ſententiam delegati a Principe reſtituit ſolus Princeps, qui & ſolus quoque poteſt adverſus propriam ſententiam reſtituere. (*m*)

TITULUS XVI.

De Criminibus.

Quoniam tempus non largitur, ut crimina, pœnaſque fuſius explicemus, & peculiaris, atque annua, itemque quotidiana his de iiſdem eſt inſtituta prælectio: ideo ſatis fuerit eadem vobis breviter, atque ſummatim tradere: ut adumbratam ſaltem ſecundum Canones, criminum, & pœnarum cognitionem interim habeatis.

Maximum in Eccleſia, & inter Chriſtianos merito crimen eſt hæreſis, quia Deum ipſum afficit injuria; cum opinionis pravitate

(*a*) *C. cum ſit de appellat. Aut. ei, qui Cod. de temp. et reparation. appell.*

(*b*) *C. ex inſinuat. de appell.*

(*c*) *L. is, apud quem, ubi DD. Cod. de edendo.*

(*d*) *Can. non ſolum C. poſt appell. §. Ulpianus 2. q. 6. cap. 1. ad præſentiam C. dilectus de appel.*

(*e*) *L. 1. et tot. tit. Cod. ſi adverſum rem judicatam.*

(*f*) *L. 3. Cod. de jure reipublicæ.*

(*g*) *C. 1. de in integ. reſtit. C. 2. eod. in 6. Clem. 1. eod.*

(*h*) *Clem. 1. eod. l. ult. Cod. de temp. in integ. reſtit.*

(*i*) *L. in cauſa, & ſeq. §. ult. ff. de minor. C. cum cauſa h. tit.*

(*k*) *L. minor. ff. de minor.*

(*l*) *Cit. jur. & l. 42. & 16. ff. eod.*

(*m*) *L. 3. Cod. ſi adverſus rem judic. l. minor ff. de in integr. reſtit.*

tate vel indigna ei affingat, vel debita detrahat attributa. Unde dicitur hæreſis ab *αἱρέομαι*, ſive ſeligo: quia hæreticus non, quam accepit ex Eccleſiæ auctoritate, ſed quam ſuo ex ingenio ſibi confinxit, ſententiam profitetur. Eſt igitur hæreſis falſa, & pertinax de religione opinio: non enim eſt hæreticus, qui conſcius & admonitus erroris paratus eſt mutare ſententiam. (*a*) Pluribus autem pœnis hæretici coercentur, non ab Eccleſiaſticis tantum Præſulibus, ſed & a Principibus laicis: cum non modo Eccleſiam, ſed & rerum civilium ſtatum hæreſis perturbet propter ſemina diſcordiarum, quas inter cives ſerit diſſenſio religionis. Qua in re, qui ſecum diſcrepant, ſe mutuo tamquam hoſtes intuentur, atque alius alium contra ſentientem ſacrilegum, & impium arbitratur.

Eccleſiaſticarum autem punitionum prima eſt excommunicatio major latæ ſententiæ, quam hæretici, & eorum fautores incurrunt. (*b*)

Secunda irregularitas, & interdictio in poſterum ab omnibus Eccleſiaſticis, publicisque muneribus, (*c*) non eos modo, & fautores, verum & filios hæreticorum, per paternam quidem lineam ad gradum uſque ſecundum, per maternam vero tantum ad primum afficiens. (*d*)

Tertia infamia juris, qua ipſo facto adſperguntur. (*e*)

Quarta eſt pœna corporis; etenim Clerici exauctorati, ſive degradati, omnique beneficio, & Eccleſiaſtica dignitate prorſus exuti, judici laico puniendi traduntur, & laici, poſtquam Eccleſiaſtici Judicis ſententiam ſubjerint. Adimuntur autem reis omnia bona, quæ, ſi de Clerico damnato agatur, Eccleſiæ cedunt; ſi de laico, in fiſcum rediguntur, etiamſi poſt mortem rei de crimine agatur; permittitur enim hæreſis crimine reum damnare poſt mortem. (*f*) Excipiuntur tamen dotes Uxorum Catholicarum, quæ mulieri ſervantur, & corpus hæretici Eccleſiaſtica ſepultura ita cenſetur indignum ut conditum in Eccleſia inde ſit exhumandum. (*g*) Quas pœnas effugiet hæreticus, ſi errore agnito, eum retractare velit, & abjurare, ſubjiciens ſe pœnitentiæ ab Eccleſia imponendæ: (*h*) niſi poſt impetratam veniam in hæreſim ſive eamdem, ſive aliam relabatur: (*i*) ita ut pro relapſis habeantur; quales ſunt non modo qui confeſſi, vel convicti, ſed & qui ex gravi ſuſpicione hæreſim abjurarunt, & ad eam poſtea redierunt. Tales enim novam fruſtra veniam deprecantur, ſed ſæcularis judicis punitioni traduntur, conceſſis tamen iis pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ Sacramentis. (*k*) Plura tandem circa crimen hoc, & ratione probandi, puniendique illius, tum in Clementina de hæreticis, tum in recentioribus Summorum Pontificum conſtitutionibus prudentiſſime decernuntur: ac breviter ſciendum eſt, in hujuſcemodi crimine poſſe procedi ſimpliciter, & de plano, ſine ullo ſtrepitu, & figura judicii; celatis etiam accuſatorum nominibus, & teſtium, ſi ex eorum publicatione grave periculum eis impenderet a reo forte potentiori. Similibus pœnis & ſchiſmatici plectuntur, qui ſcilicet ab Eccleſiæ Capite, atque ab univerſo corpore diſcedunt, quique raro non ſibi aliquam hæreſim confingunt.

Præter Hæreticos ſunt & Apoſtatæ, qui a Chriſti fide ad Gentiles, aut Hebræos deſciverunt; iiſdemque pœnis obſtringuntur; quæ dicitur Apoſtaſia perfidiæ. (*l*) Eſt & Apoſtaſia inobedientiæ, cum ſponte quis præcepta ſui Præſulis, vel Patrum conſtitutiones, regulaſque contemnit. (*m*) Et demum Apoſtaſia irregularitatis, cum quis ab aſſumtæ Religionis ordine diſcedit: ac tales declarantur infames, & excommunicantur, noviſque pœnis e conſtitutionibus Summorum Pontificum ſubjiciuntur.

Neque exiguum crimen ſuperſtitio eſt, quæ divinæ naturæ nihilominus, quam hæreſis, fortaſſe adverſatur; unde ſacrilegi, qui ſortes

(*a*) *Can. hæreſis 24. q. 3. can. qui in Eccleſia & can. dixit eod. qu. l. 3. Cod. de hæreticis.*

(*b*) *C. excommunicamus de hæreticis.*

(*c*) *Can ſaluberr. 21. quæſt. 7.*

(*d*) *C. quicumque § hæretici, & C. ſtatutum de hæret. in 6.*

(*e*) *C. excommunicamus §. credentes de hæret. can. Infames 6. q. 1. l. Manichæos Cod. de hæret.*

(*f*) *C. urgentis de hæretic. & C. ad abolendum C. excommunicamus § 1. eod. C. ſecundum, C. decrevit, & C. accuſatus, § penult. eod. in 6.*

(*g*) *C. 2. §. de hæret. in 6.*

(*h*) *C. ſtatuimus de hær. in 6.*

(*i*) *C. accuſatus §. 1. de hæreticis in 6.*

(*k*) *Cap. ad abolend. §. illos quoque de hæret. cap. ſupra 30 de hæreticis in 6.*

(*l*) *Gloſſ. 1 C. 1. de Apoſtatis can non poteſt 2. q 7.*

(*m*) *C. 2. C. illud de major. & obed.*

conſulunt, ut futura prænoſcant, cum raro hæreſim non ſapiant, & incantationibus, conſilioque malorum Dæmonum, aliiſque magicis, & ſuperſtitioſis artibus ventura vel prævidere, vel prævenire conentur; Hæreticorum pœnis ab hæreſis quæſtoribus premuntur. (*a*)

Maledici vero, ſive Blaſphemi, qui convicia in Deum evomunt, aut in Sanctos, qui olim apud Hebræos Moſis lege lapidibus obruebantur; (*b*) nunc publica pœnitentia damnati, ad fores Eccleſiæ producuntur. (*c*)

Sacrilegi Jure Canonico ſunt, qui rem ſacram e loco non ſacro, vel non ſacram de loco ſacro, vel ſacram de loco ſacro auferunt vi, aut dolo; (*d*) quamvis ex Jure Civili rem non ſacram rapiens e loco ſacro non ſacrilegium, ſed furtum committit. (*e*) Item ſacrilegi ſunt, qui aliquid violenter, aut injuſte, & injurioſe in perſonam ſacram committunt, ut qui manus violenter in Clericum injiciunt, qui in excommunicationem incurrunt Summo Pontifici reſervatam. (*f*) Sacrilegium autem committentes in rebus, pro criminis qualitate aſperius puniuntur, aut levius, puta excommunicatione, infamia, carcere perpetuo, multa pecuniaria.

Et qui cum perſonis coeunt Deo dicatis, ſacrilegorum pœnis quoque plectuntur.

Non minori vero contumelia Deum afficit Simonia, quæ res divinas mortali pretio æſtimat. Eſt etenim Simonia rei ſpiritualis, vel ſpiritualibus adnexæ mercimonium, ab illius auctore Simone Mago nuncupata. Eſt autem ex communi Doctorum diſtinctione triplex. (*g*) Mentalis, quæ voluntate tantum concipitur, nec animum extra progreditur: ut ſi quis per ſimulationem officii futuro collatori aliquid offerat ſpe beneficii ſacri ab eo impetrandi, (*h*) quæ Simonia cum interius lateat, non mortalem judicem, ſed ſolum Deum habet ultorem. Alia eſt conventionalis, quæ conventionibus, aut pactis ſive tacitis, ſive expreſſis animum offerendi pretii patefecit, etſi effectu caruerit. Alia tandem realis eſt, quando ad pacta effectus acceſſit: cujus criminis rei ſunt, non modo ipſi contrahentes, ſed etiam interpretes, quos mediatores vocant, ſponſores, depoſitarii: ac duæ hæ poſtremæ ſpecies exteriori etiam judicio vindicantur, pœniſque afficiuntur his; nempe degradatione in Clericis, in laicis excommunicatione: præterea omnis actus tamquam illicitus effectu ſuo fruſtratur: unde ordinatio caret exercitio, & collatio beneficiorum eſt irrita, ita ut ſimoniace collatum adhuc vacare cenſeatur. (*i*) Ad Simoniam etiam refertur ea, quæ appellatur confidentia, ſive fideicommiſſum ſuper beneficio fundatum: ut cum beneficium recipimus, quo fructus illius alteri reddamus, aut certo poſt tempore titulum reſtituamus: aut cum uſque ad certam infantis ætatem in amici alicujus fide beneficium deponimus, ut illud adulto reſtituat.

Item reſervatio penſionis abſque Superioris auctoritate, & renunciatio, ſervato ad idem regreſſu; cæterique tractatus hujuſmodi, qui fiduciarii latine dicuntur. (*k*)

Ponitur etiam, qui pro docendi licentia quidquam acceperit: ne avaritia ſua diſcendi facultatem, & doctrinarum uſum in Eccleſia utiliſſimum imminuat. (*l*)

Alias vero pœnas conſtituere Summi Pontifices recentiores, nempe Sixtus V. Conſt. 91. *Sanctum*, & *ſalutare*, Pius V. Conſt. 5. *Cum primum*, & Clemens VIII, Conſt. 40. *Romanus*.

In criminibus ponitur etiam uſura, quæ naturæ, & rationi humanæ repugnat, ut pote fructus pecuniæ, rei nempe ſterilis, ideoque furto comparatur: prohibitaque fuit Hebræis a Moſe, qui Hebræi, etſi non inter ſe, tamen cum cæteris gentibus fœnus exercere poterant: apud eos enim proximi nomine tantum Hebraicus Populus veniebat. At poſtquam a chriſtiana charitate vocabulum hoc ad omnes homines fuit extenſum, eadem quoque uſurarum prohibitio latius pro-

[*a*] *Tot. tit. de ſacril. & C.* 1. *cum ſeq* 26. *q.* 1.
[*b*] *Levitic. C.* 24. *verſ.* 16.
[*c*] *C.* 2. *de maledic.*
[*d*] *Can. quiſquis §. ſimiliter* 17. *q.* 4.
[*e*] *L. vivi ff. ad leg. Juliam peculatus.*
[*f*] *Can. ſi quis ſuadente* 17. *queſt.* 4.
[*g*] *Navarr. in Manual. cap.* 13 *num.* 103.
[*h*] *Gloſſ. cap. unica de Cler. non reſident. in* 6.

[*i*] *Can. ſi quis* 1. *qu.* 1. *can. quando Epiſcopus §. quod ſi aliter d.* 34. *can. ſi Epiſcopus* 1. *q.* 1 *C. dilectus, ubi Gloſſa de ſimon. Conc. Trid ſeſſ.* 21. *cap.* 1. *de reformat.*
[*k*] *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 7. *de reformat. Pius IV. Conſt.* 85. *incip.* Romanum Pontificem, & *Sanctus Pius V. Conſt.* 85. *incip.* intolerabilis.
[*l*] *C.* 1. & 2. *de magiſtr.*

proceſſit: itaut nobis neque inter nos, neque cum exteris fœnus exercere a Sacris Canonibus permittatur. Eſt autem uſura quidquid ſupra ſortem a nobis mutuo datam accipitur. Quamobrem qui fructus ex pignore percepit, repetendo ſortem, debet in eam imputare quidquid percepit a fructibus, ut debitor ſibi retinere de pecunia mutuata poſſit quantitatem parem quantitati fructuum perceptorum. (a) Ratione quoque lucri ceſſantis, & damni emergentis crimine carent ii, qui cum in mercimoniis pecuniam utiliter occupare poſſent eam alteri mutuantes aliquid ſupra ſortem ſtipulantur: quo nomine eximuntur a crimine uſurarum Montes Pietatis a Leone X. inſtituti in Concil. Lateranenſi. (b)

Tres quoque caſus excipiuntur, in quibus licet integram ſortem recipere, quamvis fructus ex pignore percepti fuerint.

Primus, ſi laicus poſſeſſionem aliquam rei Eccleſiaſticæ, quam injuſte detinebat, eidem Clerico pignori tradat, cui eam eripuerat. (c) Secundus, ſi res pignori data ſit feudum, & pignori detur domino directo; is enim poteſt feudi fructibus frui, & integram ſortem a debitore ſuo recipere: dummodo feudi onera non exigat a Vaſſallo non poſſidente. (d)

Tertius eſt, ſi maritus, dote nondum exacta, poſſeſſionem frugiferam a ſocero in pignus acceperit, poteſt enim is tolerandorum onerum conjugalium cauſa gaudere fructibus, & integram poſtea dotem a ſocero repetere. (e) Quamobrem non ſolum ipſemet uſurarius, verum & heredes ipſius ad uſuras reſtituendas compelluntur iis; quibus uſuras extorſerint, vel heredibus eorum; aut, ſi tales deficiant, pauperibus; niſi propter notam inopiam facultate careant reſtituendi. (f) Atque ad reſtitutionem uſurarum, & ad ceſſationem exactionis cogi poſſunt ab Eccleſiaſtico Judice per cenſuras; quamvis debitor juraverit, ſe uſuras a fœneratore minime repetiturum. (g)

Variis autem, graviſſimiſque pœnis uſurarii ſubjiciuntur. Etenim Clerici ſuſpenduntur, vel deponuntur ab ordine. Laici excommunicationis fulmine cum infamia percelluntur, (h) & mortui ab Eccleſiaſtica Sepultura etiam arcentur. (i) Ac niſi uſuras reddiderint teſtandi quoque facultate privantur. [k] Omnibus denique vetatur, ne finibus ſuis, aut tectis uſurarios manifeſtos accipiant, neve domos eis locent, ni velint & ipſi locatores & receptores ſubire pœnas a Canonibus conſtitutas.

Furtum Sacri Canones puniunt interdictione Ordinis: etenim fures Eccleſia promoveri vetat ad Sacros Ordines, ſi publica infamia laborent. Occultos autem non aliter ad Ordines admittit, niſi delictum confeſſi, ablatum reddiderint, pœnitentiamque egerint. [l] Ordinatos vero, ſi furentur, & incorrigibiles fuerint, deponit ab Ordine, ac ſeculari poteſtati tradit. [m] Sed jam ad venerea delicta veniamus.

Adulterium Jure Civili committitur in alienam conjugem. [n] Jure vero Canonico a marito alieno in quamlibet etiam innuptam. [o] Atque in laico quidem excommunicatione, in Clerico vero depoſitione, aut in utroque certæ pœnitentiæ impoſitione punitur. (p) Mulieres autem in Monaſterium ad perpetuam pœnitentiam, ſi mariti eas recipere noluerint, conjiciuntur. [q]

Raptores virginum, niſi matrimonio adſentiente puella, crimen purgetur, excommunicatione puniuntur, (r) aut depoſitione ab ordine, ſi Clericus raptor fuerit. Raptores autem Sacrarum Virginum, ſive Monialium, quas vocant, quia matrimonio crimen expiare nequeunt, raptorum ſimul &, ſacrilegorum pœnas a Canonibus conſtitutas ſubire coguntur. (s)

(a) *C. 1. & 2. & C. conqueſtus de uſuris.*
(b) *Seſſ. 10. in princ.*
(c) *cap. 1. de uſuris.*
(d) *cap. conqueſtus de uſur. cap. 1. de feudis.*
(e) *C. ſalubriter 16. de uſur.*
(f) *C. cum tu C. tua nos de uſur.*
(g) *cap. præterea de uſur. can. ſi quibus oblitus, & C. quoniam. 14 diſt.*
(h) *Can. infames 3. q. 7. l. improbum Cod. quibus ex cauſis infam. irrogatur.*
(i) *C. quia in omnibus de uſuris, & Clem. 1. de uſur.*
(k) *cap. quamquam de uſur.*
(l) *C. 1. & ſeq. de uſur in 6.*
(m) *C. ex literis de furtis.*
(n) *Can. Presbyter diſt. 81. & C. cum non ab homine de judic.*
(o) *L. inter 6. §. lex Julia ff. ad legem Juliam de adult.*
(p) *C. Clerici de exceſſ. Prel. C. intelleximus 6. de adult. & ſtupris.*
(q) *C. gaudemus de converſ. conjug.*
(r) *Can. 1. 36. q. 2.* (s) *C. 2. cum ſeq. 36. q. 2.*

Stuprum, ſi commiſſum ſit cum honeſta muliere, pœnitentia, & pecuniaria pœna punitur, ſi vero cum virgine, ſtuprator illam ducere, patre conſentiente, compellitur; ſin pater recuſet, vel ſtatus perſonarum, aut rerum conditio id non patiatur, pecuniam doti congruam reſpondere jubetur. At ſi pater quidem nuptiis aſſentiatur, ſtuprator vero ducere illam nolit, corpore dabit pœnas, & excommunicatus, quoad judici placebit, detrudetur. (*a*)

Adulterorum etiam pœnis, aliiſque majoribus, vel minoribus pro judicis prudentia, & criminis qualitate punitur tam inceſtus, ſive concubitus cum conſanguineis, uſque ad gradus prohibitos; quam crimen eorum, qui cum ea, quam de Sacro Fonte ſuſceperant, vel in Chriſmate tenuerant, concubuerunt.

Eodem quoque modo puniuntur ii, qui venerem verterunt in uſum naturæ contrarium, aut libidine ſua beſtias appetiverunt. (*b*)

Falſi crimen in Clericis Jus Canonicum depoſitione ab Ordine punit, & detruſione in Monaſterium pro criminis qualitate. (*c*)

Exacerbantur autem pœnæ in falſatoribus literarum Apoſtolicarum, quos cum fautoribus Canones anathemate damnant, Clericos omnibus beneficiis exuentes, eoſque degradatos judici ſæculari tradentes: illos autem, qui non falſaverint literas, ſed falſatis ab alio uſi fuerint, mitius tractantes; & Clericos quidem ſpoliantes beneficiis, laicos vero excommunicatione irretientes, donec congrue ſatisfecerint: idemque ſtatuentes in eos, qui falſas literas impetraſſent. (*d*)

Homicidium vel mandatu alieno committitur, quod vulgo aſſaſſinium vocatur, vel ſua ſponte, vel caſu: quorum peſſimum eſt illud, quod alieno juſſu patratur: ideoque non ſolum tales rei, ſed & receptores, & conſultores, & defenſores exuti bonis, officiis, dignitatibus, beneficiis, hoſtes Chriſtiani declarantur, excommunicationis, & depoſitionis ipſo jure ſententiam incurrentes. [*e*]

Similibus pœnis tenentur, qui non mandatu alieno, ſed ſuopte ingenio per induſtriam hominem interemerint; [*f*] exceptis iis, qui furem occiderint; quem alia ratione evadere non potuiſſent. (*g*)

Homicidarum quoque pœnis obſtringuntur ii, qui partum abjecerint, & mulieri abortus cauſam dederint, aut concipiendi facultatem medicamentis abſtulerint; (*h*) niſi ſi fœtus conceptus nondum vivificatus eſſet, aut id caſu eveniſſet. (*i*)

Fortuita enim homicidia, dum nihil criminoſum, aut illicitum quis peragat, nullis ſubjacent pœnis, (*k*) exceptis parentibus, qui dormientes pueros corpore oppreſſerint: illis enim certorum annorum pœnitentia injungitur. Iis tandem, qui ſibi ipſis mortem conſciverint, Eccleſias ſuas preces negat, & ſepulturam.

Spirituales pœnæ, quibus utitur Eccleſia, Cenſuræ nuncupantur, forte a cenſionibus Cenſorum, qui excludendo a cenſu, ſive a deſcriptione Senatorum, aut Equitum, quos præteriiſſent: infamia notatos ordine movebant. Dividuntur autem Cenſuræ in excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum.

Excommunicationis originem non ſolum ab Hebræis, qui graviſſimi criminis reos, cum infamiæ nota e Synagoga, & communione Sacrorum ejiciebant; ſed etiam deducere poſſumus ab execrationibus Gentilium, qui ob atrocitatem ſceleris, familiaritatem, colloquium, & civile commercium adimebant. Cujus exemplum pœnæ vetuſtiſſimum eſt illud Oreſtis matricidæ. Is enim apud Euripidem dolet ſe ob tale facinus amiſiſſe colloquium, & vitæ ſocietatem cum ceteris civibus, neque aliter Oedipus apud Sophoclem. Utque a fabulis ad hiſtorias, & a Poetis ad Philoſophos tranſeamus; Plato in libris de legibus reos graviſſimi ſceleris paſſim privat communione Sacrorum, & commercio civium, & Alcibiadem, quod myſteria in propria domo celebraſſet, Sacerdotes Athenienſes, poſcente populo, Diris devoverunt, ſive execrarunt, quod nos dicimus excommunicare; poſtea vero reſecrarunt, quod nos abſolvere vocamus. Neque admodum diſſimilis eſt excommunicationis noſtræ, quæ fuerat apud

[*a*] *cap. 1. & ſeq. de exceſ. Prælat.*
[*b*] *C. Clec. de exceſſ. Prel.*
(*c*) *cap. cum non ab homine de judic. C. ſi Epiſcopo & cap. tua de pœnis.*
[*d*] *Can. ad falſariorum de crimine falſi.*
(*e*) *C. 1. de homicid. in 6.*
(*f*) *C. 2. eod.* (*g*) *C. 9. eod.*
(*h*) *C. ſi quis de homicid.*
(*i*) *Can. ſicut ex literarum eo lem.*
(*k*) *Can. ſæpe contigit 50. diſt.*

apud priſcos Romanorum interdictio aqua, & igni. Nihil vero tam ſimile, quam quod de Druidis Galliæ Sacerdotibus refert Cæſar, (*a*) inquiens: Si quis privatus, aut publicus eorum decreto non ſtetit, Sacrificiis interdicunt: hæc pœna apud eos graviſſima; quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum ac ſceleratorum habentur: iis omnes decedunt, aditum eorum, ſermonemque defugiunt: neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. Præceptum autem interdicendi commercii tam Sacrarum, quam Civilium rerum criminoſis nos ab ipſomet Chriſto accepimus, (*b*) & a Paulo, (*c*) qui nobis prohibet ad menſam eamdem accedere cum ſceleſtis & detractoribus, ac præcipit, dirimendum eſſe commercium cum eo, qui Dei verbum non audit, ut pudore afficiatur, atque ita ad bonam frugem redeat. Quem deinde morem Eccleſia perpetuo tenuit. Eſt igitur apud nos excommunicatio hominis excluſio ab Eccleſiæ corpore, vel a participatione Sacramentorum: (*d*) unde dividitur in majorem, & minorem. Major eijcit hominem extra Eccleſiam & communionem Fidelium. (*e*) Minor vero tantum arcet a Sacramentis: (*f*) ideo major excommunicatio nuncupatur anathema, quaſi ita excommunicatus ſit ſepoſitus, & ſegregatus: quo ſenſu verbum hoc diſtinguitur ab alia ſignificatione in bonam partem, quæ ei tribuitur a Veteribus, cum hoc vocabulo ſignificarent donaria ſuſpenſa Diis, tamquam ſelecta, & ſecluſa a ceteris profanis rebus. Infligitur autem excommunicatio vel ab homine, vel a jure; & jure infligitur, quando abſque opera judicis, ſed ſolo miniſterio legis quis excommunicatur: quæ appellatur excommunicatio latæ ſententiæ, ſive major ſit, ſive minor.

Majorem ipſo facto abſque auctoritate judicis incurrunt hæretici, eorumque fautores, falſarores literarum Apoſtolicarum, percuſſores Clericorum, ſimoniaci, aliique in pluribus Juris Canonici locis expreſſi.

Minorem ex ſola legis auctoritate incurrunt, qui communicant cum excommunicato excommunicatione majori, (*g*) quando non fuerint ejuſdem criminis participes: tum enim & ipſi majori excommunicatione implicantur. [*h*]

Ab homine infligitur excommunicatio, quando Prælatus, aliuſve Judex Eccleſiaſticus contumacem, & reum ſententia excommunicationis damnat; quæ in dubio ſemper præſumitur excommunicatio major, (*i*) & appellatur excommunicatio ferendæ ſententiæ. Rurſus excommunicatio interna eſt, & externa. Internam incurrimus propter quodlibet mortale peccatum, quo abſcindimur ab inviſibilis Eccleſiæ corpore, cum quo non communicamus, niſi per gratiam, quam lethaliter peccantes amiſimus. (*k*) Externa eſt ſuper memorata, de qua hoc titulo agimus, quæ ſegregat nos ab Eccleſia etiam viſibili. Cum autem excommunicatio infertur ab homine, judex inferens non ante pronunciare ſententiam debet, quam præmiſſis tribus monitionibus, vel pro omnibus una, interpoſitis juſtis dierum intervallis, niſi neceſſitas aliter poſcat. [*l*] Admonetur autem judex a Concilio. Trid. (*m*) ne in civilibus, aut criminalibus cauſis excommunicatione utatur, niſi in ſubſidium, quando aliud remedium non ſuppetat; & eam ferre debet in ſcriptis addita cauſa; (*n*) non omnes tamen cum excommunicato communicare prohibentur. Excipiuntur enim uxor, liberi, ſervi, ancillæ: & qui ignoranter cum excommunicatis communicant, non incurrunt, neque communicantes cum iis, qui cum excommunicato communicant. (*o*)

Excipiuntur & Peregrini; quia neceſſitas eos communicare compellit, & qui humanitatis gratia excommunicato aliquid largiuntur, [*p*] & creditor debitoris excommunicati; ac tandem qui excommunicatum alloquuntur, ut eum ad curam ſalutis æternæ adducant. [*q*]

Addendum eſt ex Martini V. Conſtitutione, nemini vetitum eſſe communicare

(*a*) *De bello Gallico lib. 6.*
(*b*) *Matthæus 8. 17.*
(*c*) *Ad Corinth. 5. 11. & ad Theſſalon. 3. 14.*
(*d*) *Can. omnes Chriſtiani, & C. qui vero 11. q. 3.*
(*e*) *cap. penult. de ſenteat. excomm.*
(*f*) *Ibidem.*
(*g*) *C. 3. de ſtat. excomm. in 6. & C. cum nuper. verſ. in 2. extrav. eod.*
(*h*) *D. &. C. nuper C. ſi concubinæ eod.*
(*i*) *C. penult. de ſent. excomm.*
(*k*) *Can. audi 11. q. 3.*
(*l*) *C. ſacro de ſentent. excomm.*
[*m*] *Seſſ. 25. c. 3. de reform.*
[*n*] *C. ſacro de ſentent. excomm.*
[*o*] *Can. quoniam multos 11. q. 8.*
(*p*) *Eod. can. quoniam*
[*q*] *cap. intelleximus de jud. C. ſi vero de ſentent. excomm. C. excommunicamus §. credentes de hær.*

cum excommunicato, antequam ſpecialiter, & expreſſe quis excommunicatus a judice declaretur: niſi publice innoteſcat illum in excommunicationem incidiſſe, ut nemo poſſit eam ignorantiam ſine dolo profiteri. (*a*)

Minori autem excommunicatione irretitus poteſt ea, quæ ſunt juriſdictionis, exercere: unde poteſt eligere, (*b*) Major vero excommunicatio tam eligere, quam eligi vetat, & irritat collationem beneficii factam in excommunicati perſonam, itemque præſentationem, permutationem beneficii, impetrationem literarum Apoſtolicarum, ſuſpendit ab officio, inducit infamiam, prohibet ad ordines aſcendere, eximit hominem quaſi e numero viventium, aufert Fidelium ſuffragia, & Eccleſiaſticam Sepulturam; (*c*) ſi autem excommunicatus poſt annum inſorduerit, atque crimen pœnitentia non expiaverit, contra eum, tamquam de hæreſi ſuſpectum proceditur. (*d*)

Interdictum eſt pœna, qua certus perſonarum numerus, aut certa regio Divinis privatur Officiis & Sepultura, & Sacramentorum perceptione. Cujus exemplum aliquod Epiſt. 144. nobis D. Baſilius reliquit, qui plures raptores cum ſuis familiis & integrum vicum, quorum homines opem crimini præſtiterant, excommunicatione perculit. Quibus pœnis non ſolum Pontifices Maximos, ſed & Epiſcopos eſſe uſos, non ambigitur, cum certi ſint caſus, ex quibus ab ipſo jure interdictum profertur. Unde aliud eſt interdictum juris, aliud hominis, nempe Judicis Eccleſiaſtici.

Interdictum a jure profertur in Civitatem, aut aliam Univerſitatem quamlibet, quæ prædas adverſus Eccleſiam permiſerit, vel ſi vexarit S. R. E. Cardinalem, aut proprium Epiſcopum, aut vexantibus opem, conſiliumque præbuerit, (*e*) vel ſi Civitas, ubi electio Pontificis celebranda eſſet, neglexerit præſcripta in *Cap. ubi periculum de elect. in 6.*

Interdictum verum emittitur ab Eccleſiaſtio Judice extra, juſtaque de cauſa ſeri pto tradenda, (*f*) non ex cauſa pecuniaria, [*g*] neque privati hominis, ex decreto Conc. Baſileenſis relato a Covarruvia in Cap. *Alma Mater*.

Eſt item interdictum locale, perſonale, & mixtum, ideſt locale pariter, & perſonale. Locale dicitur, cum locus ſolus interdicitur; perſonale, quo perſonæ tantum, quorum diſcrimen eſt, quod interdicto loco licebit iis, qui culpa vacant, extra locum participare Divinis; interdictis vero perſonis, tam in proprio, quam in alio loco Sacramentorum, & Divinorum uſus prohibetur ſingulis. (*h*) Aliud diſcrimen eſt, quod interdicta Civitate aliqua, vel Caſtro, aut Villa, ſuburbia ſimul & continentia ædificia interdicta cenſentur. [*i*] Interdicto vero Clero, non comprehenditur ea pœna Populus, neque interdicto Populo Clerus interdicitur. Quamvis autem interdictum locale tollat e locis adminiſtrationem Sacramentorum, & Divinorum celebrationem; tamen certis temporibus, certiſque modis, humanitatis cauſa, ſeveritas iſta relaxatur. Unde permittitur Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, atque Euchariſtia, & confectio Sacri Chriſmatis in Cœna Domini. [*k*] Item Miſſæ Sacrificium, aliorumque Divinorum celebratio ſubmiſſa voce, januis clauſis, & Campanis tacentibus, amotiſque ſolemniis omnibus; quæ ſolemnia, & publicæ Feſtivitates reſtituuntur tantum diebus feſtis Natalis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. M. V. eaque indulgentia extenſa etiam eſt ad ſolemnitatem Corporis Chriſti, & ejus octavam, per Bullam Eugenii IV. & Martini V. Qui autem ſciens prudens celebrat in loco interdicto eſt irregularis, adeo ut a ſolo Pontifice Maximo poſſit abſolvi; etiam Regulares interdictum violantes excommunicatione puniuntur; iique cenſuras, & interdictum nedum a Sede Apoſtolica, ſed etiam ab Ordinariis emanantia, in ſuis Eccleſiis publicare, ac ſervare tenentur.

Levis cujuſdam interdicti ſimilitudinem habet ſuſpenſio, qua Eccleſiaſticæ perſonæ

[*a*] *Covarr. Cap.* Alma Mater *p.* 1. *§.* 2. *n.* 7.
[*b*] *C ult. de Cler. excomm.*
[*c*] *C. gravem § ult. de ſent. excomm.*
[*d*] *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *C.* 9. *de reform. in fine.*
[*e*] *Cap. ultim. de pœnis in* 6. *Clemen.* 1. *de pœnis.*
(*f*) *C* 1. *de ſentent. excomm.*
(*g*) *Extrav.* 2 *eod.*
(*h*) *C. ſi ſententia de ſententia excommun. in* 6.
(*i*) *C. ſi Civitas eod*
(*k*) *C. Quoniam de ſent. excomm.*

næ ad certum tempus, vel ad arbitrium Epiſcopi ordinis exercitium interdicitur vel omnino, vel ex parte. Eam gentilibus etiam Sacerdotibus uſitatam fuiſſe, colligitur ex Juliano Epiſtola 62. & ſimilis huic erat pœna illa Decurionum, qua certum ad tempus ab ordine ſuo movebantur, (*a*) & ſuſpenſio appellari cœpit in Aurelianenſi Concilio, cum olim latine abſenſio diceretur.

Oritur autem ſuſpenſio, ſicut interdictum, vel a jure, puta contra Clericum ſimoniacum, & publice fornicarium, atque ob aliud grave crimen Canonibus notatum; vel ab homine, cum quis hanc pœnam ex ſententia judicis juſta de cauſa ſuſtinet: unde hujus pœnæ tantum Clericus capax habetur, cum is habeat ordinem, a cujus exercitio ſuſpendatur: ferenda eſt autem ſcripto expreſſa cauſa, ſeu culpa, propter quam profertur: alioquin incurrit judex ſuſpenſionem a divinis Officiis, & per menſem Eccleſiæ aditu excluditur. (*b*) Epiſcopus vero nunquam ſuſpenſionem incurrit, aut cenſuram juris, vel hominis, niſi nominatim exprimatur. (*c*) Suſpenſus autem ab uno, minime ſuſpenſus ab aliorum connexu cenſetur, unde ſuſpenſus ab ordine non eſt ſuſpenſus a juriſdictione, neque a beneficio: nec qui ſuſpenditur a ſuperiori ordine amittit exercitium inferioris, quamvis qui ab ordine inferiori ſuſpenditur, ſuperioris etiam ordinis exercitium amittat. Qui vero ſuſpenſionis neglecta ſententia, exercet ordines ſibi non exercendos, incidit in irregularitatem.

Eſt autem irregularitas impedimentum Canonicum, prohibens, ne quis ordinetur, neve unquam in ſuſceptis ordinibus miniſtret, vel ne ad ſuperiores ordines promoveatur. De cujus impedimenti cauſis non ſolum in Titulo: *Qui promoveri non poſſint*, ſed & alibi oblata occaſione paſſim diſſeruimus, ita ut opus non ſit ea repetere, vel aliud adjicere, ſupra quam Inſtitutionum ratio, & menſura patitur, ſatiſque fuerit hoc generale decretum adjungere, quo S. Conc. Trid. (*d*) ſtatuit, Epiſcopos in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto provenientibus poſſe diſpenſare, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & cauſis deductis ad forum contentioſum.

Peregimus jam, Ornatiſſimi Auditores, Inſtitutionum Canonicarum curſum, quotidianam hujus anni prælectionem abſolvimus. Utinam tanta in docendo ſcientia, quantam amor in vos meus, & veſtra in addiſcendo diligentia poſtulabat. Quidquid igitur mihi doctrinæ defuit, velim vos labore veſtro atque ingenio expleatis. Ac ſimul ignoſcitote, obſecro, ſi laudis & honoris veſtri nimium cupidus, aliquoties in reprehendenda quorumdam negligentia mihi quidquam exciderit acerbius; inde enim intelligere poteſtis, quanti vos fecerim, quod apud me digni fueritis, quorum cauſa homo Philoſophus tantiſper iraſceret, is præſertim, quem Suſurronum, & Semidoctorum agmina perpetuo plurium annorum latratu, non magis, quam Pigmæi Herculem commoverunt. VALETE.

[*a*] *L. 2. in princ. ff. de Decur.*
[*b*] *C. 1. de ſent. excomm.*
[*c*] *Cap. quia periculoſ. eodem in 6.*
[*d*] *Seſſ 24. c. 6. de reformat.*

FINIS.

INDEX

INDEX CAPITUM, ET TITULORUM TOMI SECUNDI.

LIBER DE ROMANO IMPERIO.

Cap. Pag.
1 *De Juſtis Imperii Romani cauſis.* 3
2 *De Romani Imperii natura.* 4
3 *De Imperio in Republica conſtituto.* 5
4 *De Principe Romanorum.* 6
5 *Quid ſit Imperare.* ibid.
6 *De origine Imperatoris.* 7
7 *De Cæſareis magiſtratibus, & de Pontificatu Maximo.* 8
8 *De tribunitia poteſtate.* 9
9 *De Cenſura.* ibid.
10 *De Proconſulatu.* 10
11 *De jure referendi.* 11
12 *De patris patriæ appellatione.* ibid.
13 *De Senatoria Imperatoris dignitate.* ibid.
14 *De auctoritate Senatus.* 12
15 *De Republ. in Senatum translata, & de Comitiis.* ibid.
16 *De judiciis publicis.* 15
17 *De conſilio Imperatoris, ſive de conſiſtorio.* ibid.
18 *De communione Senatus & Principis.* 16
19 *De diſcrimine inter Imperium et Regnum.* 18
20 *De legiſlatione Senatus.* 19
21 *De conſtitutionibus Principum.* ibid.
22 *Juramenta in acta Principum.* 20
23 *De lege Regia.* ibid.
24 *De vero legis Regiæ ſenſu.* 21
25 *Animadverſiones in legem Regiam.* 23
26 *Ad legem quod Principi Pandectarum de conſtitutionibus Princip.* 25
27 *An Princeps ſolutus legibus intelligatur.* 27
28 *De auctoritate Senatus, & poteſtatis civilis in militarem ex jure gentium.* 28
29 *De auctoritate Senatus, & poteſtatis civilis in militarem ex jure Romano.* 29
30 *De auſpiciis & lege curiata.* ibid.
31 *Quale fuerit Imperium Cæſarum.* 31
32 *De Imperatorum creatione.* ibid.
33 *De Senatus auctoritate in creatione Imperatoris.* 32
34 *De militum jure in creatione Imperatoris.* 37
35 *De remotione Senatorum a militia.* ibid.
36 *De jure civitatis in exercitum.* ibid.
37 *De perpetua poteſtate Senatus in Imperatorem.* 39
38 *De reliquis Senatus juribus, & de conſulari poteſtate.* 41
39 *De falſa Imperii translatione ad Græcos.* 44
40 *Quomodo accipienda ſit Imperii diviſio.* ib.
41 *De Sede Imperatoris.* 45
42 *De communione Urbis cum Bizantio.* ib.
43 *De Conſtantini jure in Imperii translatione.* 46
44 *De Conſtantini voluntate in Imperio transferendo.* ibid.
45 *De privilegiis urbis Conſtantinopolitanæ.* 47
46 *De coloniis Romanorum.* 48
47 *De civitate Rom. Italiæ univerſæ.* ibid.
48 *De jure Italico urbis Conſtantinopolitanæ.* 49.
49 *In Jacobum Gothofredum de falſa exequatione urbis Conſtantinopolitanæ cum Romana.* ibid.
50 *Operis concluſio.* 53

OPUSCULA ET ORATIONES.

1 *Specimen priſci juris ad Caſparum Carpineum Cardinalem.* 55
2 *Oratio pro Romanis legibus ad Magnum Moſchorum Regem.* 73
3 *Oratio de Juriſprudentia ad ſuos juris civilis auditores.* 85
4 *Oratio de canone interiori ad ſuos juris Pontificii auditores.* 92
5 *Oratio de recta in jure diſputandi ratione.* 96
6 *Canones diſputandi.* 102
7 *Oratio de repetendis fontibus doctrinarum.* ibid.
8 *Oratio de inſtauratione Studiorum ad Clementem XI. Pontificem Maximum.* 109
9 *Oratio in auſpicatione ſtudiorum de ſapientia univerſa.* 125
10 *Oratio pro Legibus Arcadum.* 134
Leges Arcadum. 136
11 *Dialogus de Lingua Latina ad Emmanuelem Martinum.* 137
12 *De converſione doctrinarum ad J. Gabrielem*

lem Reginerium. 149
13 *De contemtu mortis ad Franciſcum Pignatellum Archiepiſcopum Tarentinum.* 154
14 *De luctu minuendo ad Trojanum Mirobal-lum.* 157
15 *PriſciCenſorini Photiſtici hydra myſtica ſive de corrupta morali doctrina dialogus.* 158
16 *Acta conſiſtorialia creationis S. R. E. Cardinalium inſtituta a Clemente XI. P. M. diebus 17. Maii & 7. Junii anno 1706.* 169
17 *Oratio de fœdere pietatis, & doctrinæ.* 178
18 *De diſciplina Poetarum ad Scipionem Maſſejum Marchionem.* 184
19 *Latina Carmina ad Paulum Doriam.* 189
20 *Auctoris Bibliotheca.* 190
21 *Opuſculorum Dedicatio.* ibid.
22 *Orationum Dedicatio.* ibid.
23 *Receptioris Juris ſpecimen, ſive Inſtitutionũ Imperialium ex uſu noſtrorum temporũ.* 191
1 *De jure Perſonarum.* ibid.
2 *De Ingenuis.* ibid.
3 *De Libertinis.* ibid.
4 *De his, qui ſui, vel alieni juris ſunt.* ib.
5 *De Nuptiis.* 192
6 *De Adoptionibus.* 193
7 *Quibus modis Patria Poteſtas ſolvatur.* 194.
8 *De tutelis.* ibid.
9 *Quibus modis Tutela finiatur.* 195
10 *De Curatoribus.* ibid.
11 *De excuſationibus Tutorum.* ibid.
12 *De ſuſpectis Tutor., & Curator.* 196
24 *Encyclia Epiſtola ad Populum, & Clerum Neapolitanum.* ibid.
25 *Auctoris Teſtamentum.* 198

INSTITUTIONUM JURIS CIVILIS RECEPTIORIS.

LIBER I.

Tit. Pag.
Proœmium. 199
1 *De Juſtitia & jure.* ibid.
2 *De jure Naturali, Gentium, & Civili.* 200
3 *De his qui ſui, vel alieni juris ſunt.* 201
4 *De Adoptionibus.* ibid.
5 *Quibus modis jus patriæ poteſtatis ſolvatur.* 202
6 *De ſervis, & captivitate minutis.* 203
7 *De tutelis.* ibid.
8 *De Curatoribus.* 204
9 *De ſatiſdatione Tutorum, vel Curatorũ.* 205
10 *De excuſatione Tutorum, vel Curatorum.* ib.
11 *De ſuſpectis Tutoribus.* 206

Tit. Pag.

LIBER II.

1 *De Rerum diviſione, & adquirendo earum Dominio.* 206
2 *De Servitutibus, Ruſticorum & Urbanorum Prædiorum.* 210
3 *De uſufructu.* 211
4 *De uſu & habitatione.* 212
5 *De Uſucapionibus & longi temporis præſcriptionibus.* ibid.
6 *De Donationibus.* 213
7 *De Dote.* 214
8 *Quibus alienare liceat, vel non liceat.* ib.
9 *De Teſtamentis Ordinandis.* 215
10 *De Heredibus inſtituendis.* 217
11 *De Vulgari ſubſtitutione.* 218
12 *De Pupillari ſubſtitutione.* 219
13 *Quibus modis Teſtamenta infirmentur.* 220
14 *De inofficioſo Teſtamento.* 221
15 *De Heredum qualitate, & differentia.* 222
16 *De Legatis.* 225
17 *De jure adcreſcendi.* 224
18 *De Lege Falcidia.* 226
19 *De Fideicommiſſariis hereditatibus.* 227
20 *De Codicillis.* ibid.
21 *De Succeſſionibus ab inteſtato.* 228
De Succeſſione deſcendentium. 229
De Succeſſione adſcendentium. 230
De Succeſſione Collateralium. 231

LIBER III.

Tit. Pag.
1 *De Obligationibus, & iis, quæ re contrahuntur.* 233
2 *De verborum obligationibus, ſive de ſtipulationibus.* 234
3 *De Fidejuſſoribus.* 236
4 *De Literarum obligationibus.* 237
5 *De obligationibus ex conſenſu, & primo de Emtione.* ibid.
6 *De Locatione, & Conductione.* 238
7 *De Societate.* 239
8 *De Mandato.* 240
9 *De obligationibus, quæ quaſi ex contractu naſcuntur.* ibid.
10 *Per quas perſonas nobis obligatio adquiratur.* 241
11 *Quibus modis tollatur obligatio.* ibid.
12 *De obligationib., quæ ex delicto naſcũtur.* 242
13 *De Lege Aquilia.* 243
14 *De injuriis.* 244
15 *De obligationibus, quæ quaſi ex delicto naſcuntur.* 245

LIBER IV.

Tit. Pag.

16 De *Actionibus*, *Exceptionibus*, & *Interdictis*. 245

De *Exceptionibus*. 248

De *Interdictis*. ibid.

18 De *publicis judiciis*. 249

DISSERTATIO De *Cenſura Romanorum*. 254

INSTITUTIONUM CANONICARUM.

LIBER I.

Tit. Pag.

Proœmium. 260

1 De *jure canonico*. 262

2 De *partibus juris ſcripti*, & *de jure Divino*. ibid.

3 De *Sacris Conſtitutionibus*. ibid.

4 De *jure Perſonarum*. 263

5 De *Epiſcopis*, & *ſummo Pontifice*. ibid.

6 De *Electione*. 265

7 *Qui eligere*, *eligive poſſint*. 268

8 De *Poſtulatione*. 269

9 De *confirmatione Electionis*. ibid.

10 De *Conſecratione*. 270

11 De *receptione* & *auctoritate Pallii*. ibid.

12 De *vita* & *honeſtate Prælatorum*. 271

13 De *officio Archidiaconi*. ibid.

14 De *officio Archipresbyteri*. 272

15 De *Officio Vicarii*. ibid.

16 De *Coadjutore*. 273

17 De *Chorepiſcoporum uſu ſublato*. ibid.

18 De *Tranſlatione*. ibid.

19 De *Renunciatione*. 274

20 De *Depoſitione*, *ſeu Degradatione*. 275

21 De *Sacerdotibus in inferiori ordine conſtitutis*. 276

22 De *iis*, *qui ſunt in Sacris conſtituti*. ibid.

23 De *iis*, *qui ſunt in minoribus ordinibus conſtituti*. 277

24 *Communia tam minorum*, *quam majorum ordinum*. ibid.

25 *Qui promoveri non poſſint*. 279

26 De *Præbendis*, & *aliis Beneficiis*. 280

27 De *Collationibus*. 281

28 De *Inſtitutionibus*, & *jurepatronatus*. 284

29 De *Clericis non reſidentibus*. 285

30 De *Regularibus* & *Monachis*. 286

LIBER II.

Tit. Pag.

1 De *rerum diviſione*, *atque adminiſtratione*. 282

2 De *Sacramentis*. ibid.

3 De *Baptiſmo*, & *ejus effectu*. 289

4 De *Sacramento Confirmationis*. 291

5 De *Pœnitentiis*, & *Remiſſionibus*. ib.

6 De *Eucharistia*. 294

7 De *Extrema Unctione*. 295

8 De *Sacramento Ordinis*. ibid.

9 De *Sacramento Matrimonii*. 296

10 De *Sponſalibus*. ibid.

11 De *Nuptiis*. 298

12 *Quæ Matrimonium impedire poſſint*. ibid.

13 De *Triplici Cognatione*. 301

14 De *clandeſtina Deſponſatione*. 306

15 *Qui matrimonium accuſare poſſint*, *vel contra illud teſtificari*. ibid.

16 De *Divortiis*. 304

17 De *Rebus Sacris*, *Sanctis*, & *Religioſis*. ib.

18 De *conſtituendis*, *conſecrandis*, & *reparandis Eccleſiis* & *Altaribus*. 305

19 De *Unionibus Eccleſiarum*. 306

20 De *Immunitate Eccleſiarum*. 307

21 De *Cenſibus*, *Exactionibus*, & *Procurationibus*. 308

22 De *Capellis Monachorum*. 309

23 De *Religioſis Domibus*. ibid.

24 De *Sepulturis*. ibid.

25 De *Canonica portione*. 310

26 De *Decimis*. 311

27 De *Rebus Eccleſiæ alienandis*, *vel non*. 312

28 De *Peculio Clericorum*. ibid.

LIBER III.

Tit. Pag.

1 De *Judiciis*. 313

2 De *Procuratoribus*. 314

3 De *Arbitris*. 315

4 De *in jus vocando*. ibid.

5 De *Dolo*, & *Contumacia*. 317

6 De *Libelli conceptione* & *oblatione*. ib.

7 De *Exceptionibus*, & *Replicationibus*. 318

8 De *reſtitutione ſpoliatorum*. ibid.

9 De *Litis conteſtatione*. 319

10 De *Juramento Calumniæ*. ibid.

11 De *Probationibus*. 320

12 De *Sententia*, & *re judicata*. 323

13 De *Executione rei judicatæ*. 324

14 De *Appellationibus*. 325

15 De *in Integrum reſtitutione*. 326

16 De *Criminibus*. ibid.

Finis Indicis Capitum & Titulorum Tomi Secundi.

IN-

INDEX SPECIALIS
RERUM, ET VERBORUM.

ACcenſi, unde appellati. Tom. I. 5.
— eorum officium. ibid. & not. **
Acceptilatio, quid, ejuſque formula. t. 1. 208.
Accurſius, (Florentinus) ejus alacritas, doctrina, laudes, mors, ſcripta. t. I. 85
Actiones legis quid. t. I. 23.
— quæ ejus capita. t. I. 200
— utiles quæ & unde. t. I. 34
Actus legitimi, qui. t. 1. 23
— eorum indoles. t. 1. 200
— num & quatenus a legis actionibus differant. ibid.
Aditio hereditatis, quid, & quot modis contingat. t. 1. 206
Adoptionis indoles, diverſitas, effectus. t. I.
Adrogationis indoles diverſitas, effectus. t. I. 304.
Adulterium, quid, unde nomen, quam habeat pœnam, quæ ob id vindicta permiſſa. t. 1. 208
— num inter deſponſatos committatur? num concubinam ancillam comprehendat? in ejus adjutores quæ pœnæ. t. 1. 312.
— accuſandi modus, cujuque permiſſus. ibid. & ſeq.
Ædes inter vicinas quale ſpatium neceſſe. t. I. 141.
Ædificia publica reficienda dabantur Cenſoribus. t. I. 6
Ædiles unde, eorum munus, ætas, juriſdictio. t. I. 30. & ſeq.
Ædiles curules unde nominati, ex quibus collecti, eorum habitus, & inſignia, t. 1. 31.
Ædiles cereales, qui. ibid.
Ægyptii unde leges acceperint. t. 1. 123
Ælianum jus. t. I. 23
Ælii fratres. t. 1. 40
Ælius Marcianus. t. 1. 55
Ærarium P. R. qui diſpenſaret. t. I. 10
— in illo Leges, SCta, & pretioſiſſima urbis aſſervabantur. t. I. 14
— auctum fuit viceſimis portionibus privatarum hereditatum Lege Papia. t. 1. 24. 278.
Ætas 60. annorum generationis finis eſt Legibus, & ultra generationi non plane in maſculis inepta. t. 1. 259.
Africanus (Sext. Cæcil.) Julianum præceptorem ſuum imitatur. t. I. 55
Agrorum culturæ apud Romanos. t. 1. 4. 7
Albericus. t. I. 83
Album prætoris quid. t. 1. 29. & ſeq.
Alciatus nullo parturientis dolore natus, ejus eruditio, æſtimatio, & ſcripta. t. 1. 94. & ſeq.
Alcibiades ſe ſuamque patriam perdit, eius mores & vitæ ratio. t. 1. 227
Alfenus (Varus) ex ſutore JCtus & Conſul evaſit, Servii auditor, hujuſque Scripta. t. I. 48
Ambitus qui rei. t. 1 327
Ampliare reum quid notet. t. 1. 322
Animorum pravitatem pœnæ non auferunt. t. 2. 83
Annulorum aureorum jus quid involvebat. 1. 245. 264.
Anſeres alebantur de publico. t. 1. 6.
Antipater (Cœl.) hiſtoricus t. 1. 43
Apparitores. t. 1. 4
Appellatio a conſulibus ad P. R. licita. t. 1. 10.
Aquæ pluviæ arcendæ actio. 1. 1. 142. & ſeq.
Arbores quanto ſpatio a confinio abeſſe debeant. t. 1 143
Arborum cædendarum diſpoſitio ex XII. Tabul. ibid.
— fructus fures quomodo puniantur. t. 1. 161.
Arcadum pro Legibus Oratio. t. 2. 134.
Ardizonius (Jacob) feudorum librum ſcripſit. t. 1. 86
Arena (Jacob de). ibid.
Ariſto (Tit.) ſummis a Plinio laudibus extollitur. t. 1. 54
Armorum uſus quatenus interdictus. t. 1. 319
— abſque armis etiam vis inferri poteſt. ibid.
Arrianus. t. I. 54
Aſſeſſores præfecto prætorio aſſidebant, hujus munere Principes aliquando functi. 1. I. 69.
Aſſis computandi ratio. t. 1. 155
Atinii plebiſcitum. t. I. 3
Aufidius (Cnei) ejus ſcientia, & cæcitas. t. 1. 45.

Aufidius (Namus.) t. I. 48
Aufidius (Tucca). ibid.
Auguſtinus (Ant.) ejus origo, merita, laudes & ſcripta. t. I. 97. & ſeq.
Auguſtus, cur Auguſti, Imperatoris, & Cæſaris nomen receperit. t. I. 62.
Auſpiciorum ritus. t. 2. 13. & ſeq.
Authenticæ Conſtitutiones. t. I. 73.
Averſa venus. t. I. 31.
Azo, Bononienſis, ſumme celebris, ejus ſcripta & mors. t. I. 83. & ſeq.

B

BAlbus (Lucil.) Stoicæ philoſophiæ ſua ætate princeps. t. I. 45
Baldus, unde originem ducat, quos fratres habeat, Bartoli æmulus, ejuſque doctrina. t. I. 91. & ſeq.
Balduinus, Bononienſis, ejus dignitas. t. I. 84.
Bartolus, unde ortus, ejus ſcola, laudes, dignitas & mors. t. I. 80. 88. ſeqq. & 105.
Baſilicorum librorum auctor quis, quare ſcripti, illorum fata & diverſitas. t. I. 76. & ſeq.
Bella Pertica (Brutus de). t. I. 86
Bellum & *ſervitutes* cur ad jus gentium referantur. t. I. 118
Bellum apud Romanos, qui gerebat. t. I. 10. 15.
—— ejus jus, finis eſt pax. t. I. 117. & ſeq.
Belviſo (Jacob de). t. I. 87
Berytus, Phœniciæ metropolis, ibi jam ante Juſtinianum juriſprudentiæ ſcola erat. t. I. 76.
Bituricenſis ſcola docentium & diſcentium numero clariſſima. t. I. 98
Bizantium V. Conſtantinopolis.
Boni, *malive* natura quæ. t. I. 110
Bononienſis ſcola. t. I. 79
Bonorum finis. t. I. 112
Boſſianus (Joh.) t. I. 83
Briſſonius (Barn.) advocati, præſidis & legati munere functus, rerum veterum inveſtigator acutus, a civibus ſeditioſis infeliciter peremtus fuit. t. I. 103. & ſeq.
Brocardica unde. t. I. 83
Brutus (Marc. Jun.) t. I. 41
Budæus, ejus origo, & libido alios reprehendendi, nec non honores & ſcripta. t. I. 97
Bulgarus, os aureum appellatus, Bononiæ docuit, ejus doctrina & fata. t. I. 82. & ſeq.
Buſtum quid, quo ſpatio ab ædibus diſtare debuerit. t. I. 197. & t. 2. 66
Butrigarius (Jacob) cujus diſcipulus fuit Bartolus. t. I. 97

C

CAdaverum Romæ humatio. t. I. 191
—— quibus ritibus abſolvebatur uſtio. ibid.
—— unctura. t. I. 194
—— ſepultura. t. I. 192
—— num lacrymis perficienda. t. I. 194
—— quibus ſumtibus permiſſa. t. I. 192
—— ſepulcra horumve jura. t. I. 197
Caducæ res quæ ſint, & quot modis fiant. t. I. 278 & ſeq.
—— quibus relinquendæ, quouſque fiſcus ab illis arceatur. t. I. 280
—— earum fraudes detegentes præmiis affecti. t. I. 284
Cæſar, (Jul.) ejus mores vitæque ratio. I. t. 227.
Cajus, noſter dicitur ab Juſtiniano, inſtitutiones juris ſcripſit. t. 148. 53
Calliſtratus. t. I. 56
Candidati ſub Imperatoribus queſtores erant. I. I. 66.
—— qua formula Princeps illos commendabat. t. 2. 14
Capito (Attej.) æmulus Labeonis, Conſulatum impetravit, adulatus eſt Auguſto & Tiberio, aquarum curationem geſſit, ejus ſcripta & mors. t. I. 49 & ſeq.
Capua, (Barthol. a) ejus doctrina & honores. t. I. 86
Caput Civis Rom. quid complecteretur, de eo quomodo judicandum, lex XII. Tab. t. I. 187.
Caſcellius oblatum Conſulatum recuſavit, ejus ſcientia juris, eloquentia & ſcripta. t. I. 47.
Caſtilioneus, ejuſque ſcripta. t. I. 94
Cato (Marc.) ejus eruditio & dignitas. t. I. 40.
Cauſa peroranda (de). t. I. 177
—— quamdiu id licuerit, Leges XII. Tab. ibid.
Cautio Mutiana quid & a quibus præſtanda. t. I. 274.
—— in quaſi uſufructu quæ non poteſt remitti a teſtatore, fidejuſſoribus præſtanda. t. I. 289
Celeres qui & unde dicti. t. I. I
Celſus pater, conjurationis auctor pœnam aſſu eluſit, Licinio nepoti offenſus. t. I. 5 I.

Cel-

Celſus filius, Adrianum conſiliis juvit & libros plures ſcripſit. ibid.
Cenſores unde, eorum officium, dignitas, & poteſtas. t. 1. 5. & ſeq.
Cenſura magiſtratus, ejuſque indoles, morum præfectura poſtea appellabatur, ab Imperatoribus etiam exercita. t. 1. 63
Cenſus equitum & ſenatorum quantus eſſe deberet. t. 1. 2.
—— natura, & qui eum inſtituerit. t. 1. 6. 9
Centuriæ, quot. t. 1. 8. & ſeq.
Ceres legiſlator qualis. t. 1. 122
Cerites qui. t. 1. 6
Ceritum in tabulas plebeii referebantur a Cenſoribus. ibid.
Ceſſio bonorum, quid, quibus permittatur, & quem effectum habeat. t. 1. 202. 291
—— *in jure* quid, & quibus ritibus peracta. t. 1. 202.
Charondas legiſlator græcus. t. 1. 123
Cinus Piſtorienſis juris ſtudio & poeſi clarus, jus pontificium perſtrinxit, ejuſque diſcipuli. t. 1. 87
Cives medii generis qui dicendi, ſunt optimi in republica. t. 1. 232
—— eorum numerus qualis Athenis. t. 1. 186
Civilis poteſtas quid. t. 1. 119
Civis Romanus, de ejus capite quomodo judicandum. t. 1. 187
—— inferioris ſortis. t. 1. 9
Civitas quid. t. 1. 120
—— ſine lege corruit. t. 1. 226
—— ejus natura unde æſtimanda, ejus ſtatus optimus, quando & num detur. t. 1. 223. & ſeq.
—— ejus ſtatus mixtus, & quando adſit perturbatus. ibid.
—— *Romana* quibus patuerit. t. 2. 48
Claſſes P. R. quot, ſingulæ quos receperint, quotque centurias complexæ. t. 1. 9. & not.*
Claudius rei navali ſtuduit, præmia ingentia naves fabricantibus poſuit. t. 1. 224
Clientes Rom. qui, & eorum officium. t. 1. 136
Codex Juſtinianeus unde collectus, & quando editus. t. 1. 71
—— converſus. t. 1. 76
Cœlibes unde dicti. t. 1. 257
—— cœlibatus ſui pœnas luebant. t. 1. 269
—— quouſque illis ex cognatorum teſtamentis capere licebat. ibid.
—— omnibus pœnis liberabat Conſtantinus. t. 1. 270. 272
Cæpolla. t. 1. 94
Cœtus nocturni prohibiti. t. 1. 169
Cogitatio num & quatenus punienda. t. 1. 307. & ſeq.
Collegia, quæ fuerint conceſſa, & quæ habuerint jura. t. 1. 152
Collibiſtæ qui. t. 1. 336. & ſeq.
Coloniæ Romanæ. t. 2. 48
Comitia a conſiliis quomodo differant. t. 1. 17
—— eorum habendorum ratio, tempus, & ſuffragia. ibid.
—— nundinarum die non habebantur. t. 1. 18.
—— quibus ex cauſis dirimebantur. t. 1. 20
—— *Centuriata*, horum poteſtas, & habendorum tempus. t. 1. 18
—— inſtituit Tullius Rex. t. 1. 19
—— *Curiata*, horum ætas. t. 1. 17
—— *Tributa*, eorumque poteſtas. t. 1. 18
Comperendinare reum quid. t. 1. 322
Concubina num adultrix. t. 1. 312
Conditio quævis nuptias impediens pro non adjecta habetur. t. 1. 274. & ſeq.
—— etiamſi aliam in perſonam concepta. ibid. & ſeq.
Confinii ſpatium. t. 1. 144
Conjuges quam hereditatis portionem mutuam capere poſſint, ex alieno teſtamento libere capiebant. t. 1. 270
—— prohibitio ſolidi inter eos capiendi ſublata. t. 1. 271
—— eorum jura in ſolido capiendo. ibid.
—— eorum jura ex XII. Tab. t. 1. 137
Connubia vetita, deinde permiſſa. ibid.
Conſilium & Comitia quomodo differant. t. 1. 17
Conſiſtorium unde dictum. t. 2. 15
Conſtantia Henrici Imperatoris uxor 50. annorum peperit. t. 1. 259
Conſtantinopolis. t. 2. 44
—— ſedes Imperatoris. t. 2. 45
—— olim Bizantium dicta, ejus privilegia. t. 2. 47
—— minime Romam æquabat. ibid.
—— ante Juſtinianum ſcola juris erat. t. 1. 76
Conſtitutiones appellabantur quoque Principum juſſa. t. 1. 66
—— Principum. t. 2. 20
—— violare illas ſacrilegium dicitur. t. 1. 326
Conſules P. R. eorum conſtituendorum ratio, ætas; & officium. t. 1. 10. & ſeq.
—— poteſtas & auctoritas. ibid.
—— veſtitus. ibid.
—— belli gerendi ſummam habebant. ib. & 16

Digitized by Google

— minores tribunis plebis. t. 1. 10
— ab illis ad P. R. provocabatur. ibid.
— etiam Imperatores fecerunt. t. 1. 63
— priuſquam facerent Imperatores faſces ſumebant. t. 1. 266. & ſeq.
Coronarum uſus quatenus permittebatur t. 1. 196
Corpus nullum edit motum. t. 1. 222
— menti ſubjectum eſſe debet. ibid.
Coruncanus (Tib.) Princeps, jus docuit, ejus dignitas. t. 1. 34. 40
Creatio Imperatoris. t. 2. 31. & ſeq.
Creditorum jus in debitores damnatos. t. 1. 18
Cretio quid. t. 1. 206
— in ea militum jus. t. 2. 37
Cujacius (Jacob.) ejus origo & diffidia, aliorum induſtriam & ingenium ſuperavit. t. 1. 80
— ejus fama inſignis, officia, ſcripta. t. 1. 101. & ſeq
— magni fecit Accurſium. t. 1. 85
— Scola ab illo nominata. t. 1. 106
Culei pœna in parricidis num ſublata. t. 1. 338. & ſeq.
Cumanus (Raph.) t. 1. 94
Curatio quid. t. 1. 134
Curiæ P. R. quot. t. 1. 8.
— certa ſacra habuerunt. ibid.
— unde dictæ. ibid.
Curiones unde. ibid.
Curtii fratres. t. 1. 94

D

Dardanarii qui. t. 1. 326
Debitoris condemnati & juſto tempore non ſolventis pœnæ quæ. t. 1. 183
Decemviri Romani. t. 1. 128
Decii. t. 1. 94
Deciſiones 50. Juſtinianeo Codici inſertæ, quem ordinem obſervant. t. 1. 72
Decreta Principum. t. 1. 67
Decretum Senatus quid. t. 1. 15
Depoſitæ rei dolus quomodo puniatur. t. 1. 162
Dialectica facete illuditur. t. 2. 114
— ejus corruptores quantum mali invenerint in Legum doctrinam. t. 2. 98
Dies Juſtus nominalis infantum qui Græcis fuerit. t. 1. 270
— legatorum quando cedat. t. 1. 282
— *juſti* qui, qui præliares. t. 1. 182
— comitiales qui. t. 1. 12
— Sacri & negotioſi a Longino veniunt. t. 1. 92.
Digeſta Juſtin. eorum natura, unde denominata, & eorum Collectores. t. 1. 71. & ſeq.
— in Græcam linguam tranſlata. t. 1. 76
Dii gentilium, eorumque nomina diverſa unde, illos colendi ratio diverſa apud veteres. t. 1. 189
Dinus, doctrina clarus, libri ſexti decretalium auctor. t. 1. 86.
Diſputandi Canones. t. 2. 102
Diſputationes fori quid. t. 1. 33
Divinatores quomodo puniuntur. t. 1. 338
Divitiæ quomodo ſpernendæ, de illis eſtatum Clementis XI. t. 2. 94
Divortia quibus permittebantur. t. 1. 138
— mutuo conjugum conſenſu ſine ulla cauſa conceſſa erant. ibid. & 264
— quid juris apud Athenienſes. t. 1. 138
— primum rariora, poſt frequentiora, deque illis XII. Tab. & Juſtiniani diſpoſitio. ibid. & 277.
Domini natura qui. t. 1. 222. & ſeq.
Dominii acquirendi ratio quotuplex. t. 1. 146.
Donellus (Hugo) ejus conditio, fata, & ſcripta. t. 1. 99
Dotem qui conſtituere teneantur, quibus conſtitui oporteat, filiæ naturali tantum pater non conſtituit. t. 1. 272. & ſeq.
Dotis dictio, promiſſio, datio quomodo differant. t. 1. 263.
Draco malum quomodo æſtimavit. t. 1. 124
Druſius, (Caj. Liv.) ejus juris ſcientia. t. 1. 42.
Duarenus, ejus origo, auditores, Cujacium habuit offenſum. t. 1. 98

E

Edictum in albo qui propoſuerit. t. 1. 28.
— perpetuum quotuplex, Adriani, Cornelianum. t. 1. 29
— ædilitium. t. 1. 31
— actiones ex illo. ibid. & ſeq.
Edicta Principum. t. 1. 67.
Emancipatio, quotuplex, ejuſque effectus. t. 1. 131. 203.
Enguinarius Baro aliorum oppoſitionibus potiſſimum clarus. t. 1. 98
Epiſtolæ Principum. t. 1. 67
Epulæ ferales. t. 1. 194
Epulæ publicæ quare conſtitutæ. t. 1. 8
Equeſtris Ordo P. R. ex quibus conſcriptus. t. 1. 1.
— ejus inſignia. t. 1. 2
Se-

— Seminarium Senatus. t. I. 3
Equites Romani unde nominati, quo cenſu fuerint lecti. t. I. 2
— cenſu diminuto ad plebejos rejiciebant Cenſores. t. I. 6
Equo publico & proprio qui meruerunt. t. I. 2. & not. *

F

FAber (Ant.) t. I. 105
Famoſus libellus quid, diverſa ejus coercendi ratio. t. I. 165
Ferretius (Æmil.) legati, & doctoris munere egregie functus, ejus fata. t. I. 95 & ſeq.
Fideicommiſſa quid, eorum introducendorum cauſæ juriſprudentiæ ignotæ. t. I. 296
— eorum jus ad certam ſummam prætores dicebant. t. I. 28
Fiduciarius quatenus heredi præferatur. t. I. 284.
Figulus (Caj.) t. I. 42
Filii cur natura in patris poteſtate ſint. t. I. 222.
Filius-familias non ad uxorem ducendam ſed pater compellitur. t. I. 273
Finium regundorum judicium. t. I. 145
Fiſci advocatus. t. I. 70
Fiſcus dotem ex ſolutis imparium ætate nuptiis lucratur. t. I. 263
— ejus augendi variæ Cauſæ & leges conſtituebantur. t. I. 279
— leges reſtrinxerunt JCti. t. I. 283. & ſeq.
— ejus jus in bona caduca quale. ibid.
Flavianum jus. t. I. 23
Flexumines, qui & unde dicti. t. I. I. & not. *
Fœminæ viris natura ſubjectæ ſunt. t. I. 115.
Fœneratio. t. I. 153. & ſeq.
Fragmenta legum regiarum. t. I. 64. 125.
— XII. Tab. t. I. 209. uſque 220
Fulgoſius. t. I. 94
Fundus Italicus quis. t. I. 275. & ſeq.
— ejus nomine quid comprehendatur. t. I. 146
Funeris ſumtus ſupra modum qui expendere ſoliti fuerint, eorum erogandorum modus qui & cur fuerit præſcriptus. t. I. 190. & ſeqq.
— XII. Tab. de illis & humatione. t. I. 192. & ſeq.
Furioſus curatorem accipit. t. I. 134
Furta, eorum natura & diſtinctio. t. I. 158
— per lancem & licium quæ. t. I. 159
— *nocturna* cur gravius punienda. t. I. 158.
— *frugum*, quæ pœnam mereantur. t. I. 161
— apud Lacedæmones & Ægyptios impunita, quomodo apud Athenienſes puniebantur. t. I. 158.
— de illis XII. Tab. t. I. 160
Furtivæ rei æterna auctoritas erat. t. I. 147

G

GAllus (Caj. Aquil.) t. I. 44.
Gentiles qui. t. I. 144
Glans legenda, lex XII. Tab. ibid.
Goſiana factio. t. I. 81.
Gothofredus. t. I. 104
Goveanus Ariſtotelis defenſor ſtrenuus, ingenio acuto & veloci, claruit, laudatus nimium a Cujacio. t. I. 96
Græcia aliis populis leges dedit. t. I. 153
Gregorianus Codex. t. I. 71.
Grotius. t. I. 104

H

HEreditas, ejus diviſio, quot modis contingat, leges XII. Tab. de ea. t. I. 150
— non adita ad quem devolvebatur. t. I. 282
— delata, quæ eliciatur. t. I. 273
— repudiata aut omiſſa cui cedat. t. I. 283
— ejus pars repudiata num cum onere accreſcat. ibid.
— quemadmodum petatur. t. I. 302
Hermogenianus nihil novi prodidit. t. I. 99
Hermogenianus Codex. t. I. 71.
Homicidium quid, ejuſque pœna, apud veteres parricidium nuncupabatur. t. I. 171
Homines novi. t. I. 5
Homo duplici natura præditus. t. I. 112
Horas Romani olim non horologio ſed ruſticorum more diſtinguebant. t. I. 177
Hortenſius (Quint.) t. I. 18
Hottomannus [Franc.] illuſtri familia ortus, ejus adverſa fata, jurium peritiſſimus. t. I. 99. & ſeqq.
Hugelinus. t. I. 82.

Igno-

Digitized by Google

I

Ignobiles qui. t. L. 5
Imaginum relictio. ibid.
Imperator Rom. t. I. 60
— Senatoriam dignitatem, pontificatum, cenſuram, tribunitiam poteſtatem, conſulatum & proconſulare imperium ſimul regebat. t. I. 62. & ſeqq.
Imperium, unde ortum, ejus introducendi neceſſitas, qui aliorum imperio natura ſubjiciantur. t. L. 120
— quinam natura gerant, a corporis potentia num deducendum, merum & miſtum quid, num & qua ratione homini in inanima competat. t. L. 223
— *Romanum*, ejus cauſæ, natura & definitio. t. 2. 4. & ſeq.
Incendium ejuſque pœna, & quæ lex XII. Tab. extet. t. L. 172
Inceſtus inter quos committatur, & quotuplex ſit. t. L. 313. & ſeq.
— ejus pœna, hujuſque diverſitas. t. 1. 317
Indignus qui dicatur, illi quæ relicta quouſque auferenda. t. L. 281
Indulgentia in hoſtes. t. L. 188
Infantes Romani ante triennium a mamma non depellebantur. t. L. 272
Ingenui nomine qui comprehenduntur. t. I. 258
— ad ingenuitatem quando provocare licuerit. t. L. 247
Injuriæ realis diverſa ſpecies. t. I. 166
— puniendæ ratio. t. L. 167. 333
Inſtitutiones Juſtin. quando editæ, earum dignitas & auctoritas. t. I. 72
— translatæ in Græcam linguam. t. I. 76
Interceſſionis vox erat *veto*. t. L. 15
Interpretationes quando ſcribi cœperunt. t. I. 34
Interpretes, eorum munus & ratio. t. I. 5
— eorum æſtimatio. t. I. 32
— apud Græcos erant oratores. ibid.
— quomodo illis utendum. t. L. 106
Irnerius, ejus ætas, juriſprudentiæ reſtaurandæ adjutor. t. L. 79.
— ſcolæ Irnerianæ auctor, Bononiæ profeſſor fuit. t. I. 80
Juramenti remiſſio quantum reipublicæ noceat. t. L. 225
— a quo fieri poſſit. t. L. 273
Juriſconſulti noſſe debent, legiſlatores agere. t. I. 237
— *Romani*, eorum honor, & dignitas, officii ratio. t. L. 32
— in jure auctoritas, t. I. 33. & not. 44
— diverſitas in philoſophiæ ſectis. t. I. 37
— reſponſa judici obſignata tradenda. t. I. 34
— diſſidia. ibid.
— *Sabiniani & Proculiani*, horum ſeries & appellatio. t. I. 37. & ſeq.
— in quo maxime differant. t. L. 38
Juriſdictio quotuplex Romæ fuerit. t. L. 28
— numerus & conjunctio. ibid. & ſeq.
— ejus origo. t. I. 120
Juris diviſio apud Romanos unde petenda. t. L. 18
— exercendi ritus. t. I. 199
Juriſprudentia unde nata. t. I. 31 & ſeq.
— priſca quid complecteretur. t. I. 23
— quot philoſophiæ ſectis nitatur, a quo in ordinem redacta. t. L. 35
— quatuor gradus noſtræ tribuuntur. t. I. 80
— ejus dignitas. t. L. 237
— *Caſſianorum & Proculianorum*. t. I. 37
— quot ſcholis doceretur publicis. t. I. 76
— ejus ætas quotuplex. t. L. 39. & ſeq.
— *genera* quatuor. ibid.
— *antiquæ* indoles, tempus ac duratio. t. I. 40
— *mediæ* indoles. ibid.
— *novæ* indoles. ibid.
— *noviſſimæ* tempus. ibid.
— *Juſtinianeæ* fata adverſa. t. I. 76
— *reſtitutio*. t. L. 78
Jus accreſcendi quando obtineat, ejus indoles, num inter legatarios obtineat, num repudiata portio cum onere accreſcat. t. L. 283. & ſeq.
— *civile* quid. t. L. 1
— *decemvirale* unde dictum. t. L. 21
— *divinum*. t. I. 225
— *Ælianum* unde. t. L. 23
— *Flavianum*. t. L. 21. 23. 198
— *gentium*. t. I. 116. 118
— *honorarium* unde natum, t. L. 26
— ejus indoles & differentia a jure civili. ibid. & 30.
— *Italicum* quid. t. I. 275. & ſeq.
— *Latii* quid. ibid.
— *naturæ*. t. L. 112
— *Papyrianum*. t. I. 21
— ejus fragmenta. t. L. 125. & ſeq.
— publicum. t. L. 185
— *Quiritium* cur optimum dictum, ejuſque ſumma. t. I. 275. & ſeq.

— *Romanum* unde manaverit. t.1.21.119
— *ſacrum* t. I. 189
— *ſine ſcriptis*. t. I. 33.
Juſtinianus ancipitis famæ, quo anno imperio potitus, quæ bella geſſit, leges civiles in ordinem & libros congeſſit, ejus virtutes & vitia. t. I. 70. & ſeq.
Juſtitia cur potentiores non ſollicitos habeat, menti natura impreſſa. t. I. 227
— optimum civitatis ſtatum inducit. t. I. 221
Juſtus homo qui Platoni videtur. t. 2. 117
Juventius (Caj.) t. I. 45

L

L*Abeo* (Antiſt.) ejus pater, honores & ſtudia, infanus ab Horatio appellatur, Auguſto reſtitit. t. I. 48. & ſeq.
— — Auctor ſectæ Procul. & Pegaſ. t. I. 37. 49
— — (Domit.) t. I. 54
Lacedæmonii cur non niſi cum adulta nuptias inire ſolent. t. I. 262
Laterculum majus & minus, codex erat officiorum, ejus curam qui gerebat. t. I. 66
Latrones cur juſtitiam non plane deponant. t. I. 227
Legati quid ſint. t. I. 118
— ante obitam legationem privatis rebus involvi vetabantur. t. I. 322
Legationes quis Romæ excipiebat. t. I. 11
— quo in loco. ibid.
Legatorum dies quando cedat. t. I. 29
Legatum non agnitum cui deferatur. t. I. 282. & ſeq.
— cur a fideicommiſſo ſeparatum. t. I. 284
Leges XII. Tab. earum collectores qui t. I. 22. & ſeq.
— colligendarum, ac componendarum ratio. t. I. 22. 128
— conditores. t. I. 40
— ordo. t. I. 129
— diverſa denominatio. ibid. & ſeq.
— num æneis an eboreis tabulis inciſæ. t. I. 129
— cur plures a Cicerone fictæ fuerint, quos habuerunt ſcriptores. t. I. 130
—*Julia judiciariæ* conſtitutæ domum judicis litigantes ingredi, vetabant, quo modo interpretari, & limitari ſolent. t. I. 328. & ſeq.
— *Sacratæ* quæ. t. I. 16
— — variarum regionum, deque illarum origine. t. I. 122 & ſeq.
— *ſociales* quæ appellatæ. t. I. 321
Legiſlatio Senatus. t. 2. 19
Legis venia cur raro concedenda. t. I. 227
Lex quid. t. I. 224
— a Platone quomodo appellatur. t. I. 118
— a quibus ferri & abrogari potuit. t. I. 6. 187
— ratio ferendæ ejus. t. I. 18
— publicandæ. t. I. 19
— approbandæ. t. I. 20
— improbandæ modus & formula. ibid.
— abrogandæ modus. t. I. 186
— ferendæ formula. t. I. 18.
— de illis lex XII. Tab. t. I. 187
— *Ælia Sentia*, quo tempore lata, ejuſque natura. t. I. 239
— — ejus auctor. t. I. 240
— — ſublata ex parte a Juſtiniano. t. I. 239
— — cavet de patrono libertum inopem negligente. t. I. 241.
— — certam ætatem manumittentis & manumittendi præſcripſit. t. I. 240
— *Aquilia* ejuſque auctor, in univerſum de damno culpa per hominem dato diſponit, quæ capitum ſumma. t. I. 352
— æſtimatio damni quomodo inſtituenda, ejus actio adverſus heredes non, niſi ex damno dato locupletiores ſint, conceditur. t. I. 353
— *Atilia*. t. I. 24. 251
— *Atinia*, ejus indoles. t. I. 24
— — rei furtivæ uſucapionem cui concedit. t. I. 289
— *Aufidia*. t. I. 25
— *Aurelia*. t. I. 4.
— *Bæbia*. t. I. 25
— *Cæcilia*. t. I. 18
— *Calpurnia*. t. I. 25
— *Calpurnia Junia*. t. I. 322
— — Prætorem conſtituit, quid de rapinis magiſtratuum provinciarum judicaret. ibid.
— *Caninia*. t. I. 23
— *Cincia* quando prodierit, ejus auctor, dona ob cauſas orandas accipere vetat, reſtituebatur ſub Auguſto, limitata eſt ſub Claudio. t. I. 24. 291. ſeq.
— *Claudia*. t. I. 24. 252
— *Clodia*. t. I. 25
— *Cornelia de falſis*, ejuſque auctor. t. I. 25. 329.
— — falſa inſtrumenta vetat, ad eam qua-

quatuor SCta revocantur, horumque indoles. t. 1. 329. & ſeqq.
— *Cornelia de injuriis*, ejuſque auctor, injurias manu illatas, eumque, qui in alienam domum irrupit, perſequitur, duplicis generis actiones prodit, quam pœnam reis conſtituit. t. 1. 25. 333
— *Cornelia de luſu*. t. 1. 25. 339
— *Cornelia nummaria*, ejuſque auctor, pretioſiori metallo deterius infundere, monetamque adulterare vetat, ejuſque pœna. t. 1. 25. 332
— *Cornelia de repetundis*, ejus auctor & ſumma. t. 1. 322
— *Cornelia de Sicariis*, civium vitam ab inſidiis ſceleratorum tegit, unde denominata, ejuſque pœnæ. t. 1. 25. 334
— *Cornelia de teſtamentis*, ejuſque auctor, confirmat teſtamentum in urbe ab illo conditum, qui apud hoſtes obiit. t. 1. 24. 293
— *Cornelia de veneficiis*. t. 1. 25.
—— introducendæ ratio. t. 1. 336
—— homines veneno fraudulenter necare prohibet, quam pœnam conſtituit. t. 1. 337. & ſeq.
— *Curiata*. t. 2. 29
— *Didia* quid vetat. t. 1. 18
— *Duillia* populo imprimis ſubvenit. t. 1. 16
— *Ebutia* quid ſtatuit. t. 1. 18
— *Fabia*. t. 1. 25
— *Fabia de Plagiis*, ejus auctor qui, eum, qui hominem invitum celavit, detinuit, damnat. t. 1. 25. 347. & ſeq.
— *Falcidia*, unde appelletur, heredi quartam partem hereditatis ſalvam reliquit, ad ſucceſſiones ab inteſtato, & donationes mortis cauſa fuit extenſa. t. 1. 295
— *Furia*, ejus auctor, certum modum legandi & mortis cauſa donandi præſcripſit, & teſtantibus callide quomodo eludebatur. t. 1. 24. 294
— *Fuſia Caninia*, ejus indoles, quando & a quo lata, num fideicommiſſarias libertates contineat. t. 1. 237. & ſeq.
— *Glicia* ex l. 4. ff. de inoff. teſtam. inveſtigatur, ejus fundamentum eſt querela inofficioſi teſtamenti. t. 1. 25. 301
— *Hoſtilia*, ejus ætas incerta, procuratori certa ratione furti agere indulgebat. t. 1. 25. 346.
— *Icilia* tribuno ad populum loquenti contradicere vetat. t. 1. 16
— *Julia agraria*, ejus auctor, agrorum terminos movere prohibet, ejuſque pœna. t. 1. 327
— *Julia de adulteriis* unde nomen & ortum trahat, adulterium aliaque libidinis crimina coercet, ejus pœna harumque diverſus modus. t. 1. 25. 308
— *Julia de ambitu*, ejus auctor, munera & honores, pecuniis impetrare vetat; quam pœnam conſtituit. t. 1. 327
— *Julia de annona*, ejus auctor, alimenta dolo quocumque modo cariora reddere vetat, ſervorum mulierumque delationes recipit, quam pœnam conſtituit. t. 1. 326
— *Julia de maritandis ordinibus*, mulieri ad dotem tutorem dedit. t. 1. 254
— *Julia de reſiduis*. t. 1. 324 & ſeq.
— *Julia de ſacrilegio*. ibid.
— *Julia de vi*, armorum uſum, tumultus, aliosve actus vi patratos prohibet. t. 1. 319. & ſeq.
— *Julia majeſtatis*, unde nomen, imperanti & reipublicæ proſpicit, quæ crimina proprie complectatur, ejuſque pœnæ. t. 1. .05. & ſeq.
— *Julia manumiſſionis*, ejus auctor, principem ab manumiſſionis ſolemnibus abſolvit. t. 1. 242
— *Julia miſcella*, unde nominata, cautionem Mutianam introduxit, eamque Juſtinianus temperavit. t. 1. 273 & ſeq.
— *Julia Norbana* de Servis in convivio epiſtola manumittendis in primis diſponit. t. 1. 242. & ſeq.
— *Julia peculatus*, unde nomen habeat, furta pecuniæ publicæ vetat, ejus pœna antiqua & hodierna. t. 1. 25. 324. & ſeq.
— *Julia & Papia Poppea*, ejus auctores, ferendæ neceſſitas & dignitas, cœlibatum prohibuit. t. 1. 24. 256
—— infamiam, qua cœlibes laborabant ſuſtulit. t. 1. 256
—— conjugis & liberorum multitudini præmia conſtituit, relictorum ex alieno teſtamento partem in ærarium tranſtulit, a JCtis reſtricta, diverſaque capita complectitur. ib.
— *Julia & Titia*, ſecundum quam tutor dandus erat a præſidibus. t. 1. 24
— *Junia* (*Calfurnia*) a Jun. Penno lata Magiſtratuum provincialium avaritiam punit. t. 1. 322
— *Lætoria* terminum pubertatis ad annum 25. poſuit. t. 1. 24. 255
—— adoleſcentibus luxurioſis curatores

res ordinavit, circumventis ſuccurrebat, horumque ſtipulationes prohibuit. t. 1. 260
—— *Licinia* ſocio contra ſocium, qui partem ſuam doloſe alienavit, ſuccurrit. t. 1. 18. 356
Mamilia. t. 1. 290
—— *Marci Acilii Glabrionis* quæ. t. 1. 322
—— *Mevia*. t. 1. 25
—— *Menſia*. t. 1. 244
—— *Naturæ* obſequi, non imperare debet. t. 1. 259
—— *Pedia*. t. 1. 25
—— *Peducea*, ejuſque indoles. t. 1. 315
—— *Petilia*. t. 1. 25
—— *Petronia*, ejus auctor. ibid.
———— in dubiis ſententiis pro ſervi libertate decidendum præcipit. t. 1. 242
———— non Domini, ſed judicis arbitrio ſervos ad beſtias damnari vult. ibid.
———— num de illis, qui accuſationem deſtituunt, etiam diſpoſuerit. t. 1. 349
—— *Plautia*. t. 1. 24
———— ejus auctor M. Plautius Sylvan. res vi poſſeſſas uſucapi prohibet. t. 1. 289
—— *Plautia* ſive *Plotia* de vi publica & privata, publicæ ſecuritati proſpexit. t. 1. 319. & ſeq.
—— *Pompeja*. t. 1. 25
—— *Publicia* & *Titia* ludos lucri cauſa inſtitutos circumſcribit, quos ludos excipiat, quam coercitionem in ludentes ſtatuerit. t. 1. 339. & ſeq.
—— *Regia* quid complectatur. t. 1. 64
———— ejus verus ſenſus. t. 2. 21
———— in eam animadverſiones. t. 2. 23 & ſeq.
———— ejus ferendæ occaſio. t. 2. 20
—— *Remmia* incerto diverſoque nomine producitur. t. 1. 348
———— infamiæ lit. K in fronte imprimendæ ſubjicit eos, qui per calumniam aliquem publico judicio accuſarunt. ibid. & ſeq.
—— *Repetundarum* (*Julia*) Magiſtratus avaritiæ obicem poſuit. t. 1. 25. 321
—— *Rhodia* de jactu unde appellata, de damno mercium ejectione navis levandæ ergo facta reſarciendo agit. t. 1. 26. 354. & ſeq.
———— ratio damnorum æſtimandorum. ib.
—— *Scantinia*, ejus auctor, adoleſcentes venere corruptos, eorumque corruptores coercet. t. 1. 318
—— *Scribonia*, ejus auctor. t. 1. 24. 289
———— ſervitutum uſucapionem quatenus ſuſtulerit, libertatem uſucapi non impedit. t. 1. 289. & ſeq.
—— *Servilia*. t. 1. 322
—— *Titia* vel *Publicia*. t. 1. 339
—— *Tullia*. t. 1. 25
—— *Valeria*. t. 1. 27
—— *Vectii Lybici*. t. 1. 24. 250
—— *Velleja*. t. 1. 298
—— *Viſellia* quando lata. t. 1. 244
———— varie denominatur, capita non habet amplius integra, extantium ſumma quæ. t. 1. 24. 245
———— ſublata ab Juſtiniano. ibid.
—— *Voconia*, ejus auctor, libertatem legandi, & feminarum ſucceſſionem circumſcripſit. t. 1. 25. 294
Libelli, eorum indoles. t. 1. 67
—— ſub Auguſto, & Julio Cæſare primum invaluerunt. ibid.
Liberi quæ præmia habuerunt, hos, qui habebat, alteri Magiſtratus petitione præferebatur. t. 1. 265. & ſeq.
—— quæ præmia Lacedæm. attulerunt. ib.
—— ſimulata adoptione quæſiti non proſunt, ſinguli annum addebant ad parentis ætatem. ibid.
—— ſuſcepto munere nati num proſint, actis publicis ſinguli inſcribebantur, eorum computandorum ratio, numerus qui ſufficiat & unde probandus. ibid.
—— numerus principis gratia interdum impetrabatur; præmia, num a Theodoſio ſublata, qua ratione ad Latinos, & libertos pertinuerint. t. 1. 267. & ſeq.
Liberta non poteſt patrono invito ab nuptiis diſcedere, ut ad novas tranſeat, diſcedens invito patrono a nuptiis quæ damna ſentiat, ei nuptæ concubinatum interdictum, non ſponſæ. t. 1. 264
Libertatis quæſtio ſub Auguſto mota. t. 1. 237. & ſeq.
—— datio virtutis præmium. t. 1. 240
—— *Latinæ* indoles. t. 1. 243
———— hæc ſublata ab Juſtiniano. ibid.
—— *Latinæ* conſequendæ variæ cauſæ. t. 1. 244
———— fideicommiſſariæ indoles. t. 1. 245
Liberti jusjurandum de nuptiis non ineundis cur remiſſum. t. 1. 273
—— quam bonorum partem patronis relinquere teneantur. t. 1. 277. & ſeq.
—— aureo anulo uti poterant. t. 1. 245

—— eorum præmia ex nuptiis & liberis. t. I. 265 268
Liberto quando equeſtris ordo conceſſus videretur. t. I. 255
Libertus ingratus quomodo puniatur. t. I. 241
Libido adoleſcentum averſa quæ. t. I. 317
Lictor lege age formula. t. I. 227
Lictores, eorum officium. t. I. 5
Lis & jurgium quomodo differant. t. I. 145 & ſeq.
Longinus (Caj. Caſſ.) ejus parentes, majorum virtutum propagator, doctrinæ magis, quam bello vacavit, cur in exilium actus. t. I. 52. & ſeq.
Lotharius, Cremonenſis. æmulus Azonis, armis præcipue claruit, rei eccleſiaſticæ parum favet. t. I. 84
Lucius Atilius. t. I. 40
Ludos qui dirigebat. t. I. 31
Luſtrum cur quinquennium dicitur. t. I. 6
Lycurgus cur ad cives nunquam redire voluerit. t. I. 225
—— ejus unde leges. t. I. 124

M

M*Agi*, eorum pœnæ. t. I. 336
Magiſter officiorum principis palatium regebat. t. I. 66
Magiſtri ſcriniorum, eorumque officium, & numerus. t. I. 70. & ſeq.
Magiſtratus deſcriptio. t. I. 26
—— curules qui dicantur. t. I. 5
—— majores qui & unde creati. t. I. 17
—— in fide continendi ratio. t. I. 228
—— optimi natura, num plebeji ad eum adſpirare debeant. t. I. 233. & ſeq.
—— cur rationes ab illis poſcendæ. ibid.
Mancipatio quid ſignificet. t. I. 151. 201
—— ejus indoles & effectus. t. I. 204
—— quas LL. XII. Tab. habeat. t. I. 152
Mancipium quod. t. I. 146
Mancipi res quæ. ibid. & 201
Mandata Principum. t. I. 67
Manumiſſio quotuplex, ejus ritus & effectus. t. I. 205. & ſeq.
—— per quam civis reipublicæ dabatur, ejus libertatem reſtituit Juſtinianus, nominatim facienda, in fraudem creditorum facta invalida, domino ſolvendo haud exiſtenti quatenus permiſſa. t. I. 240
Manumittendi vindicta ætas. t. I. 239
—— licentia cur reſtringatur. t. I. 238
Manumittendis ætas juſta & limitata. t. I. 240
—— ex hujus domo quantum efferre licuerit. t. I. 249
Maranus. t. I. 104
Marcellus (Ulpius) t. I. 55
Marcianus (Ælius) ibid.
Martinus, Cremon. ejus origo & vita, ambitio ſingularis adgnati inter principes relati, qua morte perierit. t. I. 81
Maſiniſſa Rex 86 annorum liberos procreavit. t. I. 259
Mater familias quæ. t. I. 137
Mauricianus (Jun.) t. I. 55
Maynus (Jaſo) ex concubina natus, luxuriæ deditus ad frugem rediit, ejus honores & munera, eruditio & ſcripta. t. I. 93
Medici imperiti pœna. t. I. 338
Menander (Arius) Severi Imperat. negotiis functus eſt. t. I. 56
Mens humana, ejuſque jus in corpus. t. I. 222
Militum jus in creatione Imperatoris. t. I. 29
Miniſterium publicum quid. t. I. 322
Minos, ejus inſtituta. t. I. 124. & ſeq.
Modeſtinus (Herenn.) Ulpiani diſcipulus, Græcæ & Latinæ linguæ peritus, ejus dignitas. t. I. 99
Moneta, quinam locus. t. I. 332
—— ejus cudendæ ſcientiam unde Romani didicerint. t. I. 117
Morbi naturæ rationalis. t. I. 114
Morbus ſonticus. t. I. 178
Mores dijudicabant Cenſores. t. I. 6
Mornatius. t. I. 104
Mulieres viris ſubjectæ ſunt. t. I. 222
—— Romæ perpetuæ tutelæ ſuberant. t. I. 252
—— nubentes jus familiæ quando amittebant, innuptæ agnati tutelæ ſuberant, puberes num a tutela per Ulpianum fuerint liberatæ. ibid. & ſeq.
—— muliebris tutela liberorum gratia ſoluta. t. I. 268
—— prægnantes id intra 30. dies a divortio marito denunciare debebant. t. I. 287. & ſeq.
—— qui & quot ad hanc denunciationem admittendi. t. I. 288
Munera cur divitibus ſolis non deferenda. t. I. 234
Municipia ad curias non pertinebant. t. I. 8
Munuſcula accipere quæ licuerit. t. I. 292
—— quando. t. I. 323
Mutiana cautio quid, & a quibus præſtanda, ejus præſtandæ ratio. t. I. 274

N

N*Atura* rationis cum corporis natura ſemper certat. t. I. 118. & ſeq.
—— corporis. t. I. 112
Naturæ lex duplex, promiſcua, rationis. t. I. III & ſeq.
—— lex obſequi, non imperare debet. t. I. 259
Nerva pater, Tiberio familiaris. t. I. 50
—— Tiberii flagitiis indignatus mortem ſibi arceſſivit. ibid.
—— filius mature aliis conſuluit, Nervæ Imperatoris pater creditur, ejus ſcripta. ibid.
Nexus quid. t. I. 151. 201
Nobiles qui, eorumque diviſio. t. t. 5. 232
Nomina imponebantur liberis nono die. t. t. 270
—— & *cognomina* Romana cognoſcendi & diſcernendi ratio. t. I. 133. & ſeq.
Novellæ Juſtiniani, Græce conſcriptæ, quo tempore prodierint, translatæ in linguam Latinam. t. I. 73
—— Irnerii judicium de illis. t. I. 80
—— Juliano, eas Julianus JCtus vertit. t. I. 74
Nundinæ quo die Romæ fuerunt. t. I. 18
—— quod initium nundinarum ſumendum. t. I. 183
Nuptiæ prohibitæ patricios inter & plebejos. t. I. 137
—— prohibitæ inter majorem 60. annorum cum minore quinquagenaria. t. I. 259
—— juſtæ & irritæ quomodo differant. t. I. 258
—— earum diſſolvendarum modi. t. I. 285. & ſeq.
—— cur & quouſque inter pupillum & tutorem prohibitæ, num inter protutores & pupillum prohibitæ, contra prohibitionem a curatore contractæ quomodo puniantur, legitime ſemel contractæ poſtea non vitiantur, quæ prætoribus provincialibus prohibitæ. ibid.
—— inter ſororem & fratrem aliquibus gentibus permiſſæ. t. I. 316
—— earum *parium* præmia, *imparium* pœnæ. t. I. 26
—— earum vacatio. ibid.
—— eas illicitas quis diſſolvendas tulerit. t. I. 258
—— ſi ætate impares contraxiſſent, quam pœnam dabant. t. I. 259
—— ituri ſæpe jurare debebant, ſe libero-rum quærendorum cauſa id facere. t. I. 273

O

O*Bvagulatio* quid, num actori an teſti permitteretur, de ea lex XII. Tab. t. I. 179
Occupatio primæva quæ. t. I. 115
Odofredus. t. I. 86
Offilius quos libros ſcripſerit. t. I. 47
Oltradus de Ponte advocatus fuit calliidiſſimus, a Pontifice objurgatus angore obiit. t. I. 86. & ſeq.
Oligarchia quid, ejuſque incommoda. t. I. 233.
Opes dijudicantur a cenſoribus. t. I. 6.
Opificia penes ſervos aut infimam plebem erant. t. I. 7
Optimates qui. t. I. 5
—— eorum in republica ſtatus quando adfit. t. t. 231. & ſeq.
Optio quid. t. I. 207
Orationes principum, earum indoles, rudiores principes eas per quæſtores recitabant. t. I. 65
Oratores Græcia cauſas recitabant. t. t. 32
Otho judiciorum ſummarium ſcripſit. t. I. 82

P

P*Acis* jus. t. t. 118. & ſeq.
Pactorum indoles, de his XII. Tab. t. I. 176
Pandectæ Florentinæ quæ. t. I. 78
Pancirolus. t. I. 104
Papinianus, dignitate & eruditione clarus, occiſus Caracallæ juſſu, in eum inſcriptiones. t. I. 57. & ſeq.
Papyrianum jus quid. t. I. 21
Papyrius (Sextus) t. I. 45
Papyrius [Juſtus] t. I. 56
Papyrius Prætextatus ob reticentiam erga matrem in Senatum fuit receptus, & inde nomen prætexati accepit. t. I. 3
Parricidium, ejuſque indoles, apud veteres homicidium dicebatur; Lex XII. Tab. de eo ſuperſtes. t. I. 170
—— apud veteres Romanos penitus incognitum, ejus pœna. t. I. 338. & ſeq.
Partus legitimus conſtante matrimonio natus a Patre agnoſcendus. t. I. 288
—— ejus tempus quod, computandi norma, lex XII. Tab. de illo. t. I. 139. & ſeq.

Digitized by Google

—— *monſtroſus* qui dicendus, a quibus judicandus, necandus ſtatim a parentibus, quomodo ab oſtento differat, quando matri proſit. t. L 140
Paſtus pecoris quomodo vindicetur. t. I. 162. & ſeq.
Pater patriæ. t. I. 64
—— quo ſenſu Imperator ſic appelletur. t. 2. 11
Patricii unde dicti. t. I. I.
—— qui nobiles, quive plebeji. t. I. 5.
Patrium jus omnibus gentibus commune, in tyrannidem apud quos tranſierit. t. I. 130
—— jus vitæ & necis continuit. t. I. 132
—— ejus diverſi effectus. t. I. 130. & ſeq.
—— expreſſio quomodo in XII. Tab. t. I. 136
Patronatus jus. ibid. & 245
Patroni Romani unde dicantur, a quo inſtituti, eorumque officium. t. I. 136
—— de illis lex XII. Tab. ibid.
—— eorum ſucceſſio in liberti bona quædam. t. I. 277. & ſeq.
Patronus ex fideicommiſſo minor eſt reliquis. t. I. 264. & ſeq.
Paulus (Caſtrenſis) Baldi diſcipulos, egeſtate ad ſtudia ductus, quæ munera geſſerit. t. I. 92
—— (Julius) Ulpianum diſciplina & honoribus æquavit, ſtylo gravis & juris tenax, ejus ſcripta. t. I. 99
Pauperiem quando quadrupes fecerit. t. I. 162
Pax intenditur bello. t. I. 118
Peculatus crimen. t. I. 324. & ſeq.
Pecuniæ origo. t. I. 117
—— *repetundæ* crimen quale, & quomodo puniendum. t. I. 168. & ſeq.
Pedanius quot ſervos habuerit. t. I. 238
Pedarii qui. t. I. 3
Pegaſus non nativitatis beneficio, ſed virtute, honores adeptus, auctor Senatusconſulti Pegaſiani. t. I. 51
Perduellis quis dicatur. t. I. 169. ſeq. & 306
Perduellionis judicium. t. I. 18
—— crimen quale & quomodo a majeſtatis crimine differat, hujuſque pœna. t. I. 169. & ſeq.
Peregrinus uſucapere non poterat. t. I. 147
Perezius. t. I. 104
Perjurii pœna. t. I. 153
Permutatio, antiquiſſima contractuum, olim venditio dicebatur, qua ratione olim fuerit inita. t. I. 116 & ſeq.
Perſarum legislator qui. t. I. 123
Philo (Quint. Publ.) t. I. 18
Philoſophia Eloquentiæ parens. t. 2. 130
—— quæ prævaluit in jure. t. I. 36
Phoroneus legislator Græcus inſignis. t. I. 124
Pietatis exteriora opera quid ſint. t. 2. 105
Placentinus juris ſcientiam in Galliam retulit. t. I. 82
Placita Principum. t. I. 21
Plagium quid, quot modis committatur quamque pœnam habeat. t. I. 340. & ſeq.
Plato philoſophicam in Rege naturam expoſcit. t. I. 226
—— quam Regni Perſici ruinæ cauſam afferat. t. I. 228
—— ejus divinatoria hominis juſtiſſimi expreſſio. t. 2. 117
Plebeii quando admiſſi in Senatum. t. I. 3
—— quando nobiles dicti. t. I. 5
Plebiſcita a quibus lata. t. I. 18
—— quibus diebus. ibid.
Plebs pop. Rom. ruſtica vel urbana. t. I 4. 9
—— quo loco conveniret. t. I. 18
—— quos optimos producat. t. I. 235
—— eorum indoles. t. I. 234
—— munimentum adverſus nobilium inſolentiam, quomodo in officio continendi. t. I. 235
Pœnæ neceſſitas. t. I. 118
—— interiores in animis in juſtorum. t. 2. 92
Pompejus (Sextus) jurium, geometriæ & philoſophiæ Stoicæ peritus. t. I. 43
Pomponius (Cajus) an fuerit Servii auditor. t. I. 48
Pontificatus maximus P. R. ab Imperatoribus gerebatur. t. I. 62. & t. 2. 8
Pontificium jus ex quibus compoſitum. t. 2. 112
Popul. Rom. jus diviſio, ordinum auctor. t. I. I.
—— poteſtas. t. I. 15
—— in criminibus. t. I. 17
—— conventus. t. I. 17
Populares qui. t. I. 5
Porta Ravennate (Hugol. a) libros feudorum authenticis attexuit, ejus mors. t. I. 82
Poſſeſſionis judicium ſingulari ratione exercebant Romani. t. I. 180
Poſtulare quid ſignificet. t. I. 349
Poſtumus unde dicatur; quid ſignificet, quotuplex ſit, ejus jura. t. I. 299
Pragmaticæ juſſiones quid. t. I. 67
Præcones, eorum officium. t. t. 5

Præ-

Præfectus urbis, ejus poteſtas & officium. t. I. 12
—— *prætorio* conſuli dignitate cedebat. t. I. 68
—— —— ejus officium ac poteſtas. ib. & ſeq.
Præjudicium quid in ſenſu juris civilis. t. I. 288
Prætores urbis; eorumque origo. t. I. 26
—— eorum poteſtas Conſulibus abſentibus. t. I. 12
—— eorum habitus, quibus lictoribus uſi. t. I. 26
—— eorum numerus. t. I. 28
—— jus reddiderunt e ſella. t. I. 26
—— per annum præturam gerebant. t. I. 29
—— *peregrini* unde orti. t. I. 27
—— —— eorum officium. ibid. & ſeq.
—— —— poteſtas. ibid.
—— *provinciales* quamdiu in officio fuerint. ibid.
—— *cereales* qui. t. I. 28
—— —— edictum juris a ſe reddendi per annum proponere tenebantur, quibus formulis poteſtatem ſuam exercebant. t. I. 29
—— fideicommiſſarii qui. t. I. 28
—— *tutelares* qui. ibid.
—— *fiſcales* qui. ibid.
Principem juvat minores Magiſtratus geſtiſſe. t. I. 227. & ſeq.
Priſcus (Javolenus) levis mentis erat, ejus eruditio in jure, auditores, & ſcripta. t. I. 53. & ſeq.
—— (*Neratius*) magni a Trajano æſtimabatur, Conſulatum geſſit, ſpe imperii obtinendi per Adrianum excidit. t. I. 51
Privilegium quid, irrogatum quid, ejus concedendi ratio ac ritus, lex XII Tab. t. I. 186. & ſeq.
Probatio ſemiplena num detur. t. I. 308
Proconſulare imperium quid. t. I. 63
—— in univerſas provincias exercebant Imperatores. ibid. & t. 2. 10.
Proconſules unde dicti. t. I. 27
Proconſulis titulo cur non uterentur Imperatores. t. 2. 10
Proculianorum auctor Labeo. t. I. 49
—— ſcola unde. t. I. 51
Proculus (Licinius) diſciplinæ Nervæ patris ſui ſectator, magnam in jure auctoritatem obtinuit, ab eo ſcola Proculiana dicta. ibid.
Prodigus curatorem accipit. t. I. 134
Proletarii qui. t. I. 9. 76
Pro non ſcriptis res quot modis habebantur. t. I. 279
Proprætores qui, eorumque nomen unde. t. I. 27
Pubertatis terminus quis. t. I. 255
—— ex qua lege deducatur, in eo computando Caſſiani & Proculiani differunt. t. I. 262.
Publicani qui. t. I. 2.
—— a Cenſoribus vectigalia conducebant. t. I. 26
Puteal Libonis. t. I. 177
Pyleus ejuſque vitæ ratio & ſcripta. t. I. 82 & ſeq.
Pythagorica ſchola. t. I. 123

Q

Quadrupes ſi pauperiem feciſſe dicatur. t. I. 162
Querela inoffic. teſtam. num ex lege Glicia aut ex moribus deſcendat, liberis inique rite tamen exheredatis ſuccurrit, patriſque teſtamentum reſcindit, num prætoriis quoque indulgeatur. t. I. 301
Quæſitores qui. t. I. 27
Quæſtiones publicæ. t. I. 28
—— perpetuæ. t. I. 27
Quæſtores qui & unde dicti, eorum officium & diverſitas. t. I. 66
Quindecimviratus ſacrorum qui eum Imperatores ſuſceperunt. t. 2. 8

R

Raptus virginum quomodo puniatur. t. I. 320
Rationis humanæ jura. t. I. 115
Referendi jus quid. t. I. 12. 63
—— parce Imperatoribus initio concedebatur. ibid & t. 2. 11
Regnum quando adſit. t. I. 226
—— optimatum. t. I. 231. & ſeq.
—— differt ab imperio. t. 2. 18.
Regulæ juris unde. t. I. 44
Repetundarum crimen, ejuſque pœna. t. I. 167 ſeq. & 322
Reſcripta Principum. t. I. 67. & ſeq.
Reſidui crimen quod, qui eo tenebantur. t. I. 324. & ſeq.
Res litigioſæ quæ, in ſacrum non dicandæ & cur, de illis XII. Tab. t. I. 141
Reſpublica quando occurrat. t. I. 22
—— ſtricte accepta quid. t. I. 234
—— *Romana* a quo conſtituta. t. I. 8
—— —— in illa triplex regimen. t. I. 9. & ſeq.

Res ruſtica magni olim apud Romanos fiebar. t. 1. 7
Rex quis optimus, ſatellites exteros non habeat. t. 1. 126
Rhadamantus primus legumlator. t. 1. 123
Riminaldus. t. 1. 94
Roſredus. Beneventanus, Azonis diſcipulus, actionum formulas, aliaque ſcripta edidit. t. 1. 84
Rogerius. t. 1. 82
Rogus quid, vid. *Buſtum*.
Romam intrare non niſi depoſito officio licebat. t. 1. 11
Romanorum juſtitia & jus, unde profluxerit. t. 1. 119.
—— patrimonium maxima ex parte in ſervis conſtitit. t. 1. 238
—— pietas in legibus ferendis. t. 1. 221
—— ſtatus crebra mutatio, plebis poteſtas, reſpublica a Romulo conſtituta, quando in Tyrannidem inciderit. t. 1. 236. & ſeq.
—— illi quo genere cum primis erant prodigi. t. 1. 221
—— cum tenera puella nuptias inire ſolebant. t. 1. 261. & ſeq.
—— varii ritus. t. 2. 68
—— poteſtas omnis publica in civilem, & militarem diſceſſit. t. 2. 66
Romulus ordinum Populi Romani auctor. t. 1. 1
Roſata (Alberic. de) doctrina illuſtris, advocati & legati munere functus, ejus mors. t. 1. 88
Rufus (Publius Rutilius) ejus animi firmitas, ſcripta, ac ætas. t. 1. 42. & ſeq.
Ruinus. t. 1. 94

S

SAbiniani JCti, vid. *Juriſconſulti*
Sabinus (Fabius) capite damnatus vitam quomodo ſervavit. t. 1. 56
—— (Fab.) filius, cur Cato dictus. ibid.
—— (Cœl.) apud Veſpaſianum Imperatorem magnæ auctoritatis, ab eo Sabinianorum appellatio proceſſit, ejus ſcripta t. 1. 53
—— (Maſurinus) doctrinæ Attei Capitonis ſucceſſor, auditorum liberalitate vixit, primus de jure publica auctoritate reſpondendi jus nactus, equeſtrem ordinem virtute acquiſivit. t. 1. 51. & ſeq.
Sacra certa ſingulæ curiæ habuerunt. t. 1. 8
—— ad hæc ex ærario pecunia ſumebatur. ibid.
Sacræ res, earumque jura. t. 1. 189. & ſeq.
Sacri, qui fiebant. t. 1. 171
Sacrificia hominum varii erant generis, apud plures gentes fuere in uſu, eorum pœnæ. t. 1. 337
Sacrilegi qui, eorum pœna. t. 1. 324. & ſeq.
Salicetus factionibus & exilio clarus. t. 1. 94
Salvius Julianus, cognomine Severus dictus, Adriano Imperatori familiaris, edictum perpetuum, alioſque libros ſcripſit, ejus dignitates. t. 1. 29. ſeq. & 54
Sapientia humana unde originem ducat. t. 2. 126
Sapientis vita beata. t. 1. 114
—— in hebetiores dominatio cur naturæ conceſſa. t. 1. 119. & ſeq.
Saturninus. t. 1. 55
Scævola (Mutius) t. 1. 41
—— (Cerbidius) diſcipulis & eruditione clarus. t. 1. 56. & ſeq.
—— (Q. Mut.) augur. t. 1. 43
—— (Q. Mut.) pontifex. ibid.
Schola Bartoli. t. 1. 105. & ſeq.
—— Accurſiana. ibid.
—— Proculianorum unde dicta. t. 1. 51
—— Bononienſis a quo inſtituta. t. 1. 79. & ſeq.
—— Bituricenſis. t. 1. 98
—— Irneriana. t. 1. 105
—— Pythagorica. t. 1. 123
—— Cujaciana. t. 1. 105
Scholæ publicæ Iuriſprudentiæ ante Juſtinianum tres erant. t. 1. 76
—— quot in jure apud Romanos fuerint. t. 1. 79
Scientiæ & artes hominis injuſti malitiam augent. t. 1. 227
Scribæ qui. t. 1. 4
—— doctores quodammodo magiſtratuum. ib.
—— a Catone caſtigati. ibid.
—— eorum officium, dignitas, apud Græcos honoratiores quam apud Latinos fuerunt. ibid.
—— ædilitii Prætorii, Pontificii & navales erant. t. 1. 5.
—— Senatusconſulta ſcribebant. t. 1. 14
Scrinia quid, & eorum diverſitas, cura quibus demandaretur. t. 1. 70 & ſeq.
Sella curulis unde dicta. t. 1. 26
Senacula, quid. t. 1. 11
Senatores qui dicti. t. 1. 2
—— eorum ætas juſta. t. 1. 3.
—— in Senatum venire cogebantur. t. 1. 11
—— quo cenſu fuerint lecti. t. 1. 3

ante

— ante cenſum a quibus lecti. ibid.
— cenſu minuto ad Ordinem Equeſtrem, & ab hoc in Plebejum deſcendebant. t. 1. 3. & not. *
— quo ordine in Senatu ſederint, eorum diſceſſio quid ſignificet. t. 1. 13.
— ſenatorum liberi curiam ingreſſi. t. 1. 3
Senatus P.R. habendi tempus, ejus locus. t. 1. 11
— auctoritas & poteſtas. ibid. 15. & t. 2. 12
— quando diminuta. t. 2. 12
— officium in quo conſtiterit. t. 1. 11
convocandi jus cujus fuerit. t. 1. 12
— dimittendi formula. t. 1. 15
— ordo ſedendi. t. 1. 13
— ordinis inſigne quod. t. 1. 4
— poteſtas circa bellum gerendum. t. 1. 16 not. *
— Seminarium quod. t. 1. 3
— in eum legitur Imperator. t. 1. 64. & t. 2. 12
— ab eo motus qui dicitur. t. 1. 6.
— ejus princeps. ibid.
Senatuſconſultum, ejus dicendi ratio & tempus. t. 1. 11. 13
— adprobatio. t. 1. 14
— quomodo conſcribendum. ibid.
— Senatus ſaltem faciebat. t. 1. 24
— quot Senatoribus condendum. t. 1. 14
— quomodo adſervandum, a quibus impugnari poterat, ejus impediendi ratio, ibid. & ſeq.
— populo confirmandum erat. t. 1. 15
— poſt ſolis occaſum condi prohibitum. t. 1. 169
— *per diſceſſionem* quale vocatur. t. 1. 13
— *tacitum* quod. t. 1. 14
— *Æmilianum*. t. 1. 291. & ſeq.
— *Apronianum*. t. 1. 297
— *Articulejanum* quando prodierit, præſidis provinciæ juriſdictionem in cauſa libertatis extendit. t. 1. 24. 247
— *Calviſianum* alias *Calvitianum* dicitur. de Nuptiis a minore 60. ann. cum majore quinquagenario initis diſponit. t. 1. 260
— *Claudianum*, ejuſque auctor Cæſar Claudius cur Veſpaſiano adſcribatur. t. 1. 249
— — Paulo obſtanti reſpondet, illud a Juſtiniano ſublatum. ibid. & ſeq.
— — mulieres cum alienis ſervis concumbere ſub pœna ſervitutis prohibet. t. 1. 24
— — ejus limitatio ac varia lectio oſtenditur. ibid.
— *Claudianum aliud*, quod liberis, quibus libertus a petere adſignatus fuerit, de certa hereditatis parte proſpexit. t. 1. 25. 302. & ſeq.
— *Claudianum* ad Legem Papiam condidit Tiberius Cæſar, prohibet nuptias ſexagenarii cum minore 59 annorum, a Claudio poſtea abrogatum, Legis Papiæ caput qui abrogatum ſtatuunt notantur. t. 1. 259
— *Daſumianum* libertati ſervorum favet, ampliatum eſt a Paulo. t. 1. 24. 245
— *Julianum* a Græcis Adrianum appellatur; ejus introducendi cauſæ, fraudulentam hereditatis alienationem coercet. t. 1. 25. 302
— *Juncianum* ſervis proſpexit, a Senatuſconſulto Æmiliano non diſcernendum. t. 1. 246
— *Largianum* liberis heredibus a patre inſtitutis ratione bonorum liberti ſubvenit. t. 1. 242. & ſeq.
— *Libonianum* quando conditum, & quid contineat. t. 1. 329
— *Macedonianum* unde appellatum, ejus introducendi ratio & finis, improbat mutuum filio familias dare, creditorique repetitionem ejus denegat. t. 1. 290
— *Neronianum* etiam *Piſonianum*, item *Claudianum* appellatur, pœnis ſervorum ſubjicit eos, qui manumiſſi ſub eodem tecto manſiſſent. t. 1. 150
— — a paucis animadverſum, in legatorum favorem introductum. t. 1. 293
— *Ninnianum* ſive *Nonianum* incerti auctoris eſt; ſervorum & libertorum ad libertatem & ingenuitatem proclamantium fraudes reſtrinxit; delationem fraudis omnibus permiſit, detegenti fraudem ſervos aut libertos addicebat, elapſo quinquennio aut mortuo ingenuo perimitur. t. 1. 24. 247
— *Orphitianum* liberis ſucceſſionem conceſſit, quoſque liberos excluſit. t. 1. 304. & ſeq.
— *Pegaſianum* quo tempore conditum, fiduciario, quartæ detractionem concedit. t. 1. 25. 296
Pernicianum cælibes perpetuis cœlibatus pœnis ſubjecit, abrogatum eſt a Juſtiniano. t. 1. 260
— *Plancianum* etiam *Plautianum* appellatur; de denunciatione prægnationis poſt divortium & partu agnoſcendo diſponit, incertæque eſt ætatis. t. 1. 25
— *Rubrianum* unde dictum, ſervis libertatem, quam heres rogatus præcidere intendit, plane congeſſit. t. 1. 24
— — adoptivo filio proſpexit, ademit
here

heredibus rogatis jus patronatus, limitaturque. t. I. 246
— *Sabinianum* heredibus adoptivis proſpexit. t. I. 25. 296
— *Silanianum* num a quibuſdam recte *Sylanianum* dicatur, ejus origo, ætas diu incerta, eos qui negligunt aut refugiunt accuſare pœnis ſubjecit. t. I. 25. 399. & ſeq.
— *Statilianum*, ejuſque auctor, ejus ſumma quæ. t. I. 399
— *Tertullianum* & *Orphitianum*. t. I. 25
— — filio matrique mutuam ſucceſſionem permittit. ibid.
— — eorum ætas, ac denominandi ratio. t. I. 303
— — eorum commodis quot modis mater privetur. ibid.
— *Trebellianum* quo tempore conſtitutum, t. I. 256
— — de hereditate ejuſque actionibus ab herede in alium transferenda, ſibique quarta ejus parte retinenda diſpoſuit. ibid.
— — ejus actiones dantur etiam univerſitati. t. I. 297
— *Turpillianum*, ejuſque auctor, eos coercet, qui reis ad effugiendum judicium moras nectendo ſubveniunt. t. I. 349
— *Vectii Libici*, ab aliis *Vectibulicium* dicitur, Servis publicis manumiſſis libertatem concedebat, t. I. 250
— *Vellejanum*, unde appellatum pariter ac deſcendat, feminis pro alio intercedentibus ſubvenit, & fidejuſſionem infirmat. t. I. 24. 291
— *Vitraſianum* quale infantibus, quibus libertas fideicommiſſaria relicta erat, ſubveniebat. t. I. 24. 247
— *Volusianum* fraudolentam debiti alicui adquiſitionem, & proprii exactionem per vim factam, vetat. t. I. 321
Senatusconſulta quatuor ad Legem Corneliam de falſis, quam comprehendant ſingula ſummam atque pœnæ determinationem. t. I. 329 & ſeq.
Senes depontani qui. t. I. 20.
— coemptionales. t. I. 190
Sententia judicis, ejus exequendæ ratio apud Romanos. t. I. 182
— Leges de ea XII. Tab. t. I. 184. & ſeq.
Sententias quis rogaverit, earum dicendarum ratio. t. I. 12
Sepis interſtitium, ejus jura alia. t. I. 144. & ſeq.
Sepulcra in uſum profanum adhiberi vetitum. t. I. 356
— eorum jura unde petita. t. I. 190. & ſeq.
Servi natura qui. t. I. 222. & ſeq.
— publici. t. I. 250
— annulos geſtare prohibebantur. t. I. 245
— eorum numerus. t. I. 238
— numero inſunt fugitivi, ultra numerum manumiſſi quomodo computandi, nominatim manumittendi. ibid.
— heredes facti quando ipſo jure liberi. t. I. 240. & ſeq.
Servitus viæ quam habeat latitudinem. t. I. 142.
Servitutes cur ad jus gentium a Juriſconſultis relatæ. t. I. 118
— prædiorum ruſticorum, & urbanorum. t. I. 141
— earum uſucapio quando & quomodo obtineat. t. I. 289
Servius (Sulpitius) qua ratione in juris ſtudio profecerit, Ciceroni erat conjunctiſſimus, ſummam attigit juris aliorumque ſtudiorum ſcientiam, quæ munera & honores geſſerit. t. I. 46. & ſeq.
— eius merita in Juriſprudentia. t. I. 34
— (Tullius) urbem ampliavit. t. I. 7
— — centurias & centuriata comitia inſtituit. t. I. 19
— — quas leges tulit. t. I. 125
Sexus femineus cur virili natura ſubjiciatur. t. I. 115
Sica quale armorum genus. t. I. 334
Sicarii qui dicantur. ibid.
Sacerinus. t. I. 94
Societatis humanæ origo unde. t. I. 115
Sodales qui, Lex XII. Tab. de illis. t. I. 152 & ſeq.
Solon ejuſque geſta. t. I. 124.
Spadonibus nuptiæ prohibitæ, qui tales, & quotupliciter ſumantur, generandi virtute quatenus adhuc polleant. t. I. 260
Spinellus. t. I. 94
Sponſalia biennio quatenus circumſcripta, ultra biennium protracta a ſponſis, maritorum præmia perdunt, num hoc caſu arrham ſponſa retineat, hujus biennii computandi ratio. t. I. 261
— an inter tutorem & pupillum prohibita. t. I. 285. & ſeq.

Sta-

Statuliber qui fuerit, ejus mentio in XII. Tab. t. I. 151
Status optimatum quando occurrat. t. I. 231. & ſeq.
—— *popularis*. t. I. 234
Stoicæ philoſophiæ in jure auctoritas. t. I. 36
Studiorum ratio quomodo habenda. t. I. 106. & t. 2. 110. & ſeq.
—— cur excogitata. ibid.
Stuprum quid, ejuſque pœna, ejuſdem adjutores quomodo coercendi. t. I. 308. 314. & ſeq.
Subſtitutio, ejuſque indoles. t. I. 283
—— cur excogitata. ibid.
—— quamvis obſcura inducitur. t. I. 284
Succeſſio ab inteſtato quo ordine contingat inteſtatus qui dicatur, ejuſdemque Lex, XII. Tab. t. I. 148. & ſeq.
Suffragiorum ferendorum ratio. t. I. 19. & ſeq.
Sylla Senatum reſtituit. t. I. 2.

T

Tabellæ duæ civibus diribebantur ad ferenda ſuffragia. t. I. 20
Tabulæ duodecim. t. I. 209. uſque 220
Tarquinius Priſcus Senatum auget. t. I. 2
Tarruntenus. t. I. 54
Tartagnus (Alex.) ejus æmulus, gravi ructoque ingenio fuit, ejus doctrina, munera & mors t. I. 91. & ſeq.
Tergiverſatores qui, illorumque pœna. t. I. 349
Tertullianus ſub Sept. Severo vixit, num ſacer an civilis Scriptor, dubitatur. t. I. 55. & ſeq.
Teſta (Cn. Treb.) ejuſque ſtudia. t. I. 96
Teſtamentum lexque de eo XII. Tab. t. I. 147. & ſeq.
—— ejus factio inter conjuges. t. I 270. & ſeq.
Teſtes eſſe vetabantur repetundarum rei. t. I. 324
—— *falſi* qui proprie ſint, eorum pœna diverſa. t. I. 168
Teſtimonium denunciare quid notet. t. I. 322
Thalelæus pandectas in Græcam linguam tranſtulit. t. I. 76
Theodoſianus Codex. t. I. 71
Theophilus quidam tranſtulit inſtitutiones. t. I. 76.
Theopompi humilitas. t. I. 228
Tigni juncti actio, deque illo lex XII. Tab. t. I. 163. & ſeq.
Timor ad fallendum acuit. t. I. 233. & ſeq.
Toloſanus (Greg.). t. I. 104. & ſeq.
Torquatus (Man.) ejus munera, honores, animique conſtantia, ipſe adverſus filium ſententiam dixit. t. I. 41. & ſeq.
Tribonianus unde ortus, juris civilis compoſitor, ſocios compilatores quos habuit, culpatur a Suida, capiti accuſatur a ſeditioſis, ejus laudes, vitia, honores. t. I. 74. & ſeq.
Tribuni ærarii. t. I. 3. & ſeq.
—— *plebis* quam poteſtatem habuerunt. t. I. 15. & ſeq.
—— Conſulibus poteſtate erant majores, eorum inviolabilitas. ibid.
—— interceſſio; ex quibus collecti. ib.
—— quot fuerint. t. I. 16
—— eorum domus nocteque & die patebant. ibid.
—— diem integrum ab urbe abeſſe non poterant. ibid. & ſeq.
—— illorum poteſtas ſub Sylla concidebat. t. I. 17
Tribuniciam poteſtatem ſuſcepit Imperator. t. I. 17. 62. & t. 2. 9
Tribus unde. t. I. 7
—— quotuplices apud Romanos fuerint. ibid. & ſeqq.
—— una decem complectitur curias t. I. 8
—— ejus diviſio non communicat cum ea per claſſes & centurias. t. I. 9
—— per ſeditionem primum impetrati. t. I. 236
Tributorum imponendorum ratio. t. I. 235
Troſſuli qui. t. I. I. & ſeq.
Tryphoninus Syriæ præfuit. t. I. 56
Tubero [Quint. Ælius] ejus frugalitas ac ſcientia. t. I. 42. & ſeq.
—— [Quintius Ælius] filius Ligarium infeliciter accuſavit, ejus præceptor Offilius, ſcribendi ratio. t. I. 47. & ſeq.
Turba forenſis. t. I. 9.
Tutela quid. t. I. 134
—— *furioſorum*, *prodigorum*. ibid. & ſeq.
—— quibus Legibus XII. Tab. deferebatur. t. I. 133.
—— ejus actiones. t. I. 135. & ſeq.
—— in quo differat a cura. ibid.
—— ejus diverſitas, *teſtamentaria* civibus Romanis deferenda, *legitima* agnatis, *dativa* quibus & quomodo. t. I. 251
—— *ceſſitia* quæ. ibid.
Tutor quomodo puellæ nupturæ ad dotem conſtitueretur, ejus officium. t. I. 263
—— *ejus datio*. t. I. 208
—— a quo, quibuſve ſolemnibus fieret. t. I. 258.

Tu-

Digitized by Google

Tutorum jus. t. 1. 132. & ſeq.
— cautiones ſi neglexerit Magiſtratus, conveniri poteſt. t. 1. 251
Tyrannorum Græcorum callida regnandi ratio, virtutum ſimulatio. t. 1. 228. & ſeq.

V

VAdes qui dicerentur. t. 1. 173
— qua in re a vindicibus differant. t. 1. 175. 178
Vadimonium deſertum juſtas rei non comparentis cauſas complectitur, de eo lex XII. Tab. t. 1. 178. & ſeq.
Varus (Alfenus) ex ſutore Juriſperitus & Conſul evaſit, Servii auditor, hujus libri. t. 1. 48.
Vectigalia publicanis per cenſores locabantur. t. 1. 61.
Venefici. t. 1. 170. & ſeq.
Veneficium quid ejuſque pœna. t. 1. 336
Venus averſa. t. 1. 317
Veſembegius. t. 1. 104
Veteres olim ſeorſim ſinguli habitarunt. t. 1. 116
Viatores qui. t. 1. 5.
Vindices qui & unde dicti, num cum vadibus conveniant: quæ Leges XII. Tab. de iis extent. t. 1. 175. & ſeq.
Vindiciæ quid. t. 1. 180
— quas leges XII. Tab. ſuperſtites habeant. t. 1. 182
Vinnius. t. 1. 105
Virgines Veſtales quomodo colligantur. t. 1. 262. & ſeq.
Viris feminæ ipſa natura ſubjectæ ſunt. t. 1. 15
Virtus ſummum libertatis & honeſtatis opus. t. 1. 114
— origo virtutum. t. 1. 113. & ſeq.
Vis quid olim, *publica* quomodo a privata diſtinguatur, *privata* quid. t. 1. 319. & ſeq.
— de ea Legem tuliſſe fertur Julius Cæſar. ibid.
Vita beata ſapientis. t. 1. 114
Vitia & eorum natura. ibid.
Ulpianus (Domitius) ejus fata, ſcribendi genus, imperium Alexandri Severi conſiliis rexit. Chriſtianorum hoſtis ſummus, obiit odio militari. t. 1. 58
Unctura cadaverum. t. 1. 194
Vocatio in jus quid, ejus formula, exercendæ modus. t. 1. 172. & ſeq.
— quas exceptiones reo indulſerit. t. 1. 174
— quas Leges XII. Tab. ibid.
Vocationem non habebat tribunus plebis. t. 1. 16
Voluſius Mecianus quis, ejus laudes, SCti Voluſiani auctor. t. 1. 55.
Uſucapio; a quo introducta, ejus introducendæ ratio & finis, quod tempus quaſque res requirat, quas habeat Leges XII. Tab. t. 1. 146. & ſeq.
Uſurarum modus privatis Græciæ fœneratoribus relictus. t. 1. 154
— a Romanis qui fuerat determinatus, computandarum ratio & uſus. ibid. & ſeqq.
— de uſuris legis XII. Tab. t. 1. 158
Uxores, quæ proprie dictæ; vino uti prohibebantur. t. 1. 137
— earum poteſtas in marito, uſucapio. ibid.
— quomodo una cum liberis a marito tractandæ. t. 1. 234
— Magiſtratuum Provincialium delinquentes quomodo punitæ. t. 1. 323
— earum duo erant genera apud Romanos. t. 1. 303

X

XEnia Magiſtratui accipere permittitur t. 1. 292
Xenophontis ſententia. t. 1. 228

Z

ZAleucus legiſlator Græcus. t. 1. 123
Zoroaſtrus num Perſarum legiſlator. ibid.

F I N I S.

VO-

VOCABULORUM ANTIQUIORUM

Quæ in primo Tomo extant ex Fragmentis Legum XII. Tabul.

EXPLICATIO.

A

Abeſcit. pag. 139
Æſtimiam 184
Ambitus 141
Amfracto 142
Amſegetes ibid.
Amſanctæ 173
Amſegetes ibid.
Amtermini ibid.
Aſſiduo 176
Atque 174

C

Capſit 160
Concapes 164
Conſcito 177

D

Danunto 179
Deciſum eſcit 161
Diffenſus 179
Donicum 152
Duit 132. 171
Duplione 162

E

Endo 132. 160
Endo iacito 175
Endoplorato 160
Endo via 176
Fm 175
Emem 144
Erſta Cita 151
Eſcint 196
Eſcit 135. 160
Eſum 135

F

Fariatur 169
Farris 184
Forctum 188
Forti ibid.
Fructi 182
Fulmin 126

H

Horctum 188

I

Im 160
Impeſcit 163
Incenſit 172
Jobis 126
Jurgant 145

N

Nancitor 135
Nec ibid.
Nervo 185

O

Obnubito 172
Ob portum 180
Obvagulatum ibid.
Occentaſſit 166
Oloe 126

P

Pacit 167
Pacunt 176
Pavire 162
Pendemve ſtruit 175
Pipulum 166
Polluctum 127
Proletario 176

Q

Quips endo 184
Quiritare 160

R

Rupſit 167

S

Sanati 188
Se fraude eſto 185
Sei 126
Si Calvitur 175
Si en fiet 176
Siremps 188
Sirit 169
Sol occaſus 178
Stlis 141
Stlitem 178
Stlocum 141. 178
Sublucare 143
Subvades 179
Superſtitibus 182

T

Teſtarier 169
Tranſduit 170
Tranſque data 152

V

Verberit 126
Vindiciam 182
Vindicit 185
Uls ibid.
Uſurpandi 139
Uſus eſto ibid.

MAG- 202037

Digitized by Google

DI

GIAN-VINCENZO GRAVINA,

GIURISCONSULTO

OPERE ITALIANE.

Della Ragion Poetica Lib. II.
Della Tragedia Lib. I.
Tragedie V. cioè:
Il Palamede,
L' Andromeda,
L' Appio Claudio,
Il Papiniano,
Il Servio Tullio.

Discorso delle Favole.
Regolamento degli Studj di Nobile e Valorosa Donna.
Ragionamento sull' Endimione, Conponimento di Alessandro Guidi.
Della Divisione dell' Arcadia.
Poesie Varie.

Si ſono aggiunte alcune Lettere Latine dell' iſteſſo Autore.

IN NAPOLI MDCCLVII.
Nella Stamperia di Giuseppe Raimondi,
A SPESE DI ANTONIO CERVONE,
CON LICENZA DE' SUPERIORI.

GIANNANTONIO SERGIO
A CHI VUOL LEGGERE. (*)

LA Nuova Raccolta delle Opere di Gianvincenzio Gravina, *che or viene in luce, non ha biſogno certamente di encomio, per riportare il comune e miglior plauſo degli ſcienziati. Il ſolo immortal nome dell' Autore ne forma l' elogio e 'l pregio più compiuto. Per debil pratica, che uom ſi abbia nella Repubblica delle lettere, ignorar non può, che fu egli un de' più ſublimi e vigoroſi ingegni, ſurto in tempi da noi non lontani, a ſoſtener nell' Italia l' antico vanto e 'l decoro della più culta ſapienza. Se pertanto la ſtampa delle Opere di lui ovunque abbiaſi fior di ſenno ſi è proccurata; in Napoli ei ſembra, che farſi debba con iſpecial ragione; poichè pregiaſi il noſtro Regno dell' onore della ſua naſcita, de' ſuoi ſtudj, e per conſeguente ancora delle ſue lodi.*

Quella parte di eſſo adunque, che fu già da' popoli Bruzj abitata, e che Calabria Citeriore preſentemente ſi appella, cotanto rinomata e conta per que' valentuomini, i quali ne' tempi del greco e del moderno ſapere vi fiorirono, gli diede il naſcimento. Nacque egli nella Terra di Roggiano, per poche miglia dalla Città di Coſenza diſtante, da' ragguardevoli genitori Gennaro Gravina *ed* Anna Lombardi *a' XVIII di Febbrajo del MDCLXIV. Sortito avendo dalla natura mente ed indole propria per le ſcienze, val quanto dire, grandezza di ſpirito quanto fervido e pronto, altrettanto profondo e luminoſo, a felice memoria congiunto; ſi recò nella vicina Città della Scalea, ove fe' i ſuoi ſtudj ſotto la*

(*). Queſta Lettera dell' Avvocato Sergio fu poſta innanzi all' edizione fatta in Napoli nel MDCCXLI della *Nuova Raccolta degli Opuſcoli di* Gianvincenzio Gravina. Or poichè in eſſa comprendeſi l' elogio del Gravina, ed un ragionato giudizio delle Opere di lui; fu perciò allora generalmente commendata, come può ſcorgerſi nelle *Novelle Letterarie di Firenze, e di Venezia*; e ſi è ſtimato bene quì riſtamparla, ritoccata in parte dall' iſteſſo ſuo Autore.

la ſcorta di Gregorio Caloprese (a) *ſuo cugino*, *chiaro non meno per la cognizione delle lettere più ſplendide*, *che per eſſere ſtato preſſo noi un de' più forti ſoſtenitori della Filoſofia di* Renato . *Indi condotto in Napoli nell' ancor tenera età di anni ſedici* , *vi compiè il giro della miglior Filologia*, *della Filoſofia*, *e della più ſana Giuriſprudenza*, *colla guida di que' valoroſi maeſtri* , *che in quel tempo queſta Città vantava* , *ſcoſſo già il rozzo giogo della barbarica dottrina*, *e della guaſta eloquenza* ; *le quali per lunga ſtagione innanzi*, *nella comune ſciagura della Europa*, *l' aveano miſeramente ravvolta*. *Sino all' età di anni venticinque ei vi dimorò* : *e già* , *per incaminarſi all' eſercizio dell' Avvocazione* , *eraſi poſto ſotto la diſciplina di* Serafin Biscardi , *Avvocato e Senator riputatiſſimo* , *per aver sì bene all' uſo del Foro congiunta la verace dottrina delle leggi* , *e di tutte le più dotte Facoltà* . *Senonchè* , *conoſcendo egli il ſuo genio a' piati ed agl' intrighi forenſi poco inchinato* , *ſtimò miglior conſiglio profeſſar Giuriſprudenza*, *coll' inſegnarla dalla cattedra*, *che coll' adoperarla ne' Tribunali* (b). *Si recò dunque in Roma* ; *ove ſtabilito fermamente il ſuo domicilio*, *e conoſciutoſene il pregio* , *vi ottenne cattedra de' Canoni nella rinomata Univerſità della Sapienza* ; *e vi ſpiegò ampiamente quel vivo lume di ſcienza* , *che il rendè* , *per mezzo delle ſue Opere* , *l' ammirazione non-*

(*a*) Fu il Caloprese valoroſo Critico e Filoſofante della età ſua. Pensò ei nondimeno di rinvenir ſoverchia Filoſofia in quegli Autori , che preſe a comentare . Il che ben ſi comprende dalla ſua *Lettura ſopra la Concione di Marfiſa a* Carlo Magno, *contenuta nel* Furioſo *dell'* Ariosto , e da' ſuoi Comenti a' *Sonetti* del CASA.

(*b*) Chiunque deſideri maggior contezza del Biscardi, ben può averla nelle *Memorie degli Scrittori Coſentini* del Marcheſe Salvatore Spiriti, che dottamente ne ſcrive . Giova intanto , a conferma di quanto io qui narro del Gravina , illuſtrar queſta Nota colle parole iſteſſe dell' Avvocato Gennaro Parrini , che cotanto onore reca al Foro non meno , che alla più nitida letteratura . Egli nella dedicazione de' ſuoi latini *Dialoghi Forenſi* ſi ſpiega così : *Dederunt ſeſe in* Biscardi *diſciplinam duo ſumma ſane ingenia*, Janus Vincentius Gravina , et Cajetanus Argentius . Gravina , *Fori ambages* , *in quo principem locum habere aliquando potuiſſet* , *cito aſpernatus* , *&* *Philoſophiæ aliquanto ſtudioſior* , *romanum ocium* , *literariumque nomen forenſi gloriæ opibuſque antepoſuit* . Argentius *autem*, *ſtudiis omnibus liberalioribus egregie perpolitus*, *ita ſe Juriſprudentiæ dedit*, *ut vix in eo genere aliquid inveniri poſſit* , *quod quidem ſcriptum vulgatumque eſſet* , *quod ille non noviſſet* ; *nec aliquid umquam legerit* , *quod non memoria teneret*.

nonchè della età ſua, ma pur dell' avvenire. Nel mentre poi, invitato dalle più famoſe Accademie dell' Italia, e della Germania ancora, recar voleaſi nella Città di Torino, per primario Profeſſor del Diritto Civile in quella di nuovo riſtabilita Univerſità; ſopraggiunto da certo antico ſuo dolor di viſcere, per cagion di ſmoderata applicazione agli ſtudj ſin di dieci e di dodici ore il giorno, nel dì VI del MDCCXVIII in Roma iſteſſa di anni cinquantaquattro ſe ne morì. Fu egli di ſtatura lunga, di corpo magro, di color pallido, con occhi ciſpoſi e cagionevoli, di naſo aquilino, di fronte alta e ſpazioſa. Ebbe pure un fratello, appellato FRANCESCANTONIO GRAVINA, *di nobil talento; il qual, prima Avvocato, indi Prete, diede in Napoli qualche ſaggio di ſua erudizione* (a). *Ebbe de' molti ſcolari, che ora hanno ragguardevol luogo tra' Letterati, e con iſpezieltà i valoroſi Poeti della età noſtra,* PIERO METASTASIO, *e* PAOLO ROLLI. *Ed ebbe altresì, pel ſuo ſoverchio ſvelato parlare, e mordace coſtume, degli avverſarj; e tra eſſi il* SETTANO, *che egli con altezza di animo non curò. La fama nondimeno della ſua dottrina, ſpezialmente oltra i Monti, a tali empiti non ſoggiacque.*

Molti furono i monumenti della ſua ſapienza, onde la laude e 'l vanto ne riſuona. Ne abbiamo i latini Opuſcoli (b) *: ſe ne hanno le* latine Orazioni (c), *che unite alla maggiore Opera de* Origine Juris, & de Romano Imperio *ſi ſono novellamente con le note del* MASCOVIO *in Lipſia, ed in Venezia riſtampate. Vi ſon delle Opere italiane. Di tutte uopo è far quì ricordanza.*

Or, ſiccome in volgare il GRAVINA *gran fatto non brigoſſi di ſcriver toſcanamente con ſopraffina cura; ſolendo ſovente e' dire, che in tal favel-*

(*a*) Veggaſi la *Lettera*, che ei fe' a' Lettori nell' edizione di alcuni Componimenti del CASA, colle ſpoſizioni del SEVERINI, del QUATTROMANI, e del CALOPRESE; e le *Notizie degli Arcadi morti* t. I art. XIII.

(*b*) *Specimen Priſci Juris.*
De Lingua Latina Dialogus.
De Converſione Doctrinarum.
De Contemtu Mortis.
De Luctu minuendo.
Hydra Myſtica, ſive de Corrupta Morali Doctrina Dialogus.
De Cenſura Romanorum.
Acta Conſiſtorialia Creationis Em. S. R. E. Cardinalium, inſtitutæ a Clemente XI.

(*c*) *De Inſtauratione Studiorum.*
De Sapientia Univerſa.
De Juriſprudentia.
De recta in Jure diſputandi Ratione.
De repetendis Fontibus Doctrinarum.
De Canone interiori.
Pro Romanis Legibus, ad magnum Moſchorum Imperatorem.
De Fœdere Pietatis & Doctrinæ.
Pro Legibus Arcadum. Leges Arcadum.

vella ſcrivea, come ragionava; così per contrario tutto ſi adoperò in traſ-fondere nel ſuo latino ſtile l' eloquenza e lo ſpirito de' più puri Scrittori, e di MARCO TULLIO, più di ogni altro. In fatti debbe a lui concederſi con giuſtizia un de' primi pregi tra coloro, che, rinnovate in Italia le buone lettere, latinamente con più di candore, e con miglior guſto abbiano ſcritto. Ammiraſi, egli è vero, in altri abbondevol perizia di tal linguaggio: pure in parecchi ſi ſcorge o certa vile affettazione di non porre piè, che nelle ſole veſtigia di CICERONE, onde col titolo di Ciceroniani furono motteggiati (a); ovvero un dire ſoverchio ardito, turgido, e ſovente d' idiotiſmi ricolmo. Non così nel GRAVINA, che ſeppe unire e tramiſchiare il proprio e 'l maeſtoſo di tal lingua nella dotta ſua ed elegante maniera: in guiſachè ei ſembrò, per teſtimonianza degli Oltramontani iſteſſi (b), un di que' grandi uomini del buon ſecolo, ſurto e rifiorito ad illuſtrar l' età ſua. Ciocchè non pertanto debbe averſi in maggior conto, ſi è, che col leggere, che ſe', i pochi ma più valoroſi Scrittori della Grecia e del Lazio, ne appreſe non che il delicato e preciſo dell' attica ſapienza e venuſtà, ma il grande e libero romano penſare. Onde le ſue Opere, e l' Orazioni con iſpezieltà ſi ammirano per un altero miſto di eloquenza e del miglior ſapere.

L' Opera nondimeno, in cui egli, a comun vantaggio, impiegò maggior tempo ed induſtria, fu quella delle Origini del Diritto Civile, indiritta a Papa CLEMENTE XI, con maraviglioſe dedicatorie ed introduzioni. In eſſa i principj, il progreſſo, e 'l cambiamento delle leggi ſotto i Re, ne' tempi della Repubblica, e dell' Impero, andò con tal maeſtria diviſando; che certo non vi è chi con tanto di accorgimento, ſublimità, ordine, e vaghezza di latino candore, con sì eſatto giudizio de' meriti de' Giureconſulti, e de' più famoſi Interpetri loro, ne abbia eſeguito il diſegno. Adoperaronſi, egli è vero, ſull' argomento iſteſſo parecchi altri, tra' quali il RI-

(a) ANG. POLIT. *lib.* IX *Epiſt.* 16. ERASM. in *Ciceronian.* HENRIC. STEPH. in *Pſeudo-Ciceron.*

(b) Il MENCKENIO de *Charlataner. Erudit. declamat.* II. p. CVI recando un luogo dell' *Orazioni* del GRAVINA, non dubita di ſcrivere: *Ut loquitur noſtri temporis* TULLIUS. WALC. *Hiſt. Crit. Ling. Lat.* cap. XII §. IV: JANUS VINCENTIUS GRAVINA, *ſingulare Italorum decus, princeps ingeniorum, quæ in gente hac noſtro ævo, doctrina, Juriſprudentia elegantiore, latini ſermonis ſuavitate floruerunt.* Nè tralaſciò il WALCHIO in altri luoghi del libro iſteſſo farne glorioſa ricordanza.

Digitized by Google

RIVALLIO (a), *il* FORSTERO (b), PIER FABRO (c), GIACOMO GOTOFREDO (d), *il* VANDERMUELEN (e), *il* TOMASIO (f), *lo* STRUVIO (g), *l'* HOFFMANN (h), *il* VAN-BYNKERSHOEK (i), *l'* HEINECCIO (k), *e nuovamente il* TERRASSON (l). *Ma chi poſſa al* GRAVINA *uguagliarſi, non è sì agevole ritrovare.*

Tra noi contuttociò ſi è rinvenuto chi, trattando tal ſubbietto, a ſublime ſegno di fama ſieſi innalzato, GIAMBATISTA VICO, *Profeſſor di Eloquenza nella noſtra Accademia, ed Iſtoriografo della Maeſtà del noſtro* RE, *e* GIUSEPPE AURELIO DI GENNARO, *che veſte sì degnamente toga di Giudice del Tribunal della Vicaria in queſta Città* (m), *amendue Napoletani; amendue nondimeno avviandoſi per diverſo ſentiero. Il Signor* VICO *da' più aſcoſi ſeni della Metafiſica, dalla proprietà di una lingua eroica, e dalla più rimota iſtoria ha dirivato quel ſuo profondo ſiſtema dell'* Unico Principio, *e dell'* Unico Fine *dell' univerſal* Diritto (n), *che è riuſcito l'ammirazione di tutti i dotti. Il Sig.* DI GENNARO *poi, col ſuo libro intitolato* Reſpublica Juriſconſultorum, *ha ſituato in leggiadro aſpetto quanto vi era di auſtero e d' intrigato nell' iſtoria legale; da invaghirſene chiunque ſi abbia il miglior guſto di un ſaldo ſapere e della più ſpiritoſa eloquenza così nella proſa, come nella poeſia* (o).

Per

(*a*) AYMAR. RIVALL. *Hiſtor. Jur.*

(*b*) VALENTIN. FORSTER *Hiſt. Jur. Civ. Rom.*

(*c*) *Commentar. ad LL. de Juſtit. & Jur. itemque de Orig. Jur.*

(*d*) *Quatuor Font. Jur. Civil.*

(*e*) VANDERMUELEN *Hiſtor.* POMPON. de *Orig. Jur.*

(*f*) *Delineatio Hiſtor. Jur. Civil.*

(*g*) *Hiſtor. Jur. Rom. Juſtinian. Græci*, &c.

(*h*) *Hiſtor. Jur. Romano-Juſtinianei.*

(*i*) In *Prætermiſſis ad L.* II. de *Orig. Jur.*

(*k*) *Hiſt. Jur. Civ. Rom. ac Germ.*

(*l*) *Hiſtoire de la Juriſprudence Romaine, par Mr.* ANTOINE TERRASSON, *Paris MDCCL.* Ragguardevole certamente è l'Opera del TERRASSON: pur, quanto il rinomato ſuo Autore abbonda nel trattar de' Franceſi Interpetri del Diritto Romano; altrettanto ſcarſo dimoſtraſi nel ragionar degli altri di diverſe nazioni. Degli Olandeſi molti ei tralaſcia: de' Tedeſchi non nomina neppure il famoſo HEINECCIO: degl' Italiani in parecchi abbaglia, molti ancora ne ommette. Ridonda contuttociò in diſtinta gloria del GRAVINA, che egli con lui dia compimento alla ſua Opera.

(*m*) Al preſente, per ſuo luminoſo merito, Regio Conſiglier del Conſiglio di S. Chiara.

(*n*) *De Univerſ. Jur. Uno Principio, & Fine Uno.*

(*o*) Si ha di tale Opera la continuazione, col titolo *Feriæ Autumnæ.*

Per ritornare intanto al GRAVINA , *meritevolmente adunque ei fu per queſta Opera fregiato col glorioſo encomio del* Cicerone de' Giureconſulti (a). *Egli è vero, che giuſta le teſtimonianze del* NICERON (b) , *e del* MASCOVIO (c) *non ſon mancati di coloro , che l' abbiano accagionato di aver preſo in tal Trattato dal* CUJACIO , *da* ANTONIO AGOSTINI , *dal* MANUCCI , *e da* GIACOMO GOTOFREDO , *ſenza neppur nominargli ; e di aver del* MANUCCI *iſteſſo ragionato con picciol pregio . Ma , oltre al non eſſer vero , che ei non rechi gli Autori , de' quali fa uſo , e che poca venerazion dimoſtri verſo il* MANUCCI , *a cui cotanto debbe l' Italia , e che egli piuttoſto appella il Principe della Romana Antichità* (d) ; *chi è , che non iſcorga , che , eſſendo quelchè ſcrivea coſa di fatto , da altri ſicuramente il dovea raccorre , dell' altrui induſtria avvalerſi , e non foggiarlo a capriccio ? Ciocchè ſaggiamente avverte il* MASCOVIO (e) : *ed il* GRAVINA *iſteſſo con filoſofica ingenuità l' atteſtò pure al Cardinal* FRANCESCO PIGNATELLI , *Arciveſcovo di Napoli ; sì fattamente ſcrivendogli in una ſua lettera , che , con diverſe altre originali , ſi ſerba nella Libreria del cultiſſimo Seminario Arciveſcovile di queſta Città :* Nelle Opere mie legali , per neceſſità della materia , che non ſi può produrre da ſe , ci han parte gli altri Autori ; nelle Orazioni ſolo io . E perciò , come fior della mia debil mente , ho quelle riſerbate , per dedicarle a V. E. giacchè nè io poſſo farle maggior dono ; nè ella gradirebbe altro dono , che d' intelletto . *Senzachè in tal ſenſo dovrebbe ancora , e forſe con maggior ragione , di ſimil fallo accuſarſi* FRANCESCO DUARENO ,

nales poſt reditum a Republica Juriſconſultorum , che dall' Autore iſteſſo , colla medeſima dottrina e vivacità , ſi è diſteſa , ed in Napoli nel MDCCLVI data in luce .

Poichè nondimeno i primi fonti del Diritto Romano ſon le leggi delle XII Tavole ; ha il mentovato Signor Conſiglier di GENNARO nella loro origine dimoſtrata di tali leggi l' indole , la politica , e la ſapienza , in più Ragionamenti , quì novellamente impreſſi nelle ſue *Opere Varie* ; che , colla verſione in verſo toſcano del ſuo Poema delle leggi iſteſſe , formano ora degli ſpiriti più ſavj l' ammirazione .

[a] CHRISTIAN. HENRIC. TROTZ. in *Præfat. ad Oper. Jurid. minor.* JAC. GOTHOFR. pag. X & XI : *Aliud ejuſdem tenoris a IEtorum illo* CICERONE J. VINCENTIO GRAVINA de O. J. C. p. CXXXIV *hic præterire , religioni mihi duco* .

[b] *Memoires , pour ſervir a l' Hiſtoire des Hommes illuſtres dans la Republique des lettres* t. XXIX p. CCXXXVIII.

(c) In Præfat. ad Oper. lat. GRAVIN.

[d] Lib. I *de Orig. J. C.* cap. XVIII.

[e] MASCOV. d. loc.

NO, *il qual non ſolamente dall'* ALCIATO, *ma da* ACCORSO, *da* PAOL DI CASTRO, *e da* GIASONE *molto recò ne' ſuoi libri. Che più? L' iſteſſo incomparabil* CUJACIO, *con parecchi altri, n' è da* ALBERICO GENTILE *aſpramente ripreſo* (a). *Il pregio non pertanto di Scrittori sì riputati per tali accuſe offuſcato non reſta: e ſenza dubbio dell' inventar con riſchio è maggior pregio lo ſcegliere con ſicurezza.*

Con giuſta cagione perciò le Origini del Diritto *del* GRAVINA *pubblicamente nelle Scuole e nelle Univerſità della Germania ſi leggono; e formato ne venne quel dotto Riſtretto dal chiariſſimo Signor Marcheſe* SCIPIONE MAFFEI, *che nel* Giornale de' Letterati, *e tra le ſue dotte* Proſe *ſi ammira. A ragion pure tal ſuo libro, e quello ancora* de Romano Imperio, ad S. P. Q. R., *che alle* Origini *ſiegue, di elette lodi dal celebre* GIOVANNI CLERC *fu ricolmato* (b): *libro, che ben con due altri doveva eſſer congiunto, ſiccome il* GRAVINA *iſteſſo al mentovato Cardinal* PIGNATELLI *ſcrivea; e de' quali eſſere il ſecondo già compiuto tra' manoſcritti di lui, dalle* Notizie degli Arcadi *ſi può trarre* (c).

Ma tempo è omai di rivolgermi alle ſue Opere Italiane. *Or, checchè ſia della lingua, egli è fuor di conteſa, che nello ſtile vi ſi ſcorge sì efficace vivacità di fantaſia, valor sì nobile di facondia, accoppiata a profondità e ſeverità di giudizio; che ſicuramente non vi è coſa di lui sì minuta, ove qualche tratto del luminoſo ſuo ingegno, del ſuo ſenno, e della ſua eloquenza non appariſca.*

La prima Opera, che in italiano egli diè in luce, fu un Ragionamento delle Antiche Favole, *indiritto al Cardinal* BUONCOMPAGNI; *da lui poi nella ſua* Ragion Poetica *traſfuſo ed accreſciuto. Adunque nella* Ragion Poetica, *che ei dedicò a Madama* COLBERT, *Principeſſa di* Carpegna, *dopo aver con ſaviezza dalla Platonica Filoſofia derivate le idee più giuſte, e i giudizj più fermi della Facoltà poetica, delle favole e della utilità loro; ſi avanza a diviſare i pregi ſingolari del grande* OMERO, *che coſtituiſce norma e regola delle ſue ricerche e de' ſuoi pareri. Or, comechè molti ſienſi adoperati nello ſvelar di* OMERO *gli artifizj; niuno nondimeno meglio del* GRAVINA *ne ha riconoſciuta la forza del genio, diviſati i caratteri, la varietà, la naturalezza, il robuſto vi-*

(*a*) Dialog. VI, cui nomen *Antipater.*
(*b*) *Bibliotheq. Ancien. & Modern.* t. XIX art. V.
[*c*] *Notizie degli Arcadi* t. 1 art. LXIX.

gor degli affetti, e l' arcana dottrina, che in ſe comprende. Dopo ciò, agli altri Poeti greci facendo paſſaggio, ammira e commenda il coturno di ESCHILO, di SOFOCLE, e di EURIPIDE, il grazioſo ſtile di ARISTOFANE, il traſporto maeſtoſo di PINDARO, lo ſchietto di TEOCRITO, e la viva leggiadria di ANACREONTE.

Quindi ſi fa a render giudizio de' Latini, tra' quali i più pretti ſeguaci di OMERO, e degli altri Greci ei riputa i migliori; e ſpazia principalmente nelle lodi di LUCREZIO, di CATULLO, di TERENZIO, di TIBULLO, di VERGILIO, di OVIDIO, di ORAZIO. Ma non oltra il ſecol di AUGUSTO col ragionamento ſi avvanza; perchè dopo tal felice età cominciò tratto tratto a dechinare e ſmarrirſi il buon guſto della Poeſia, con quel dell' Eloquenza, per lo genio e carattere, che s' introduſſe, ſoverchio ricercato, di vano artifizio e di falſo lume faſtoſo. Sorge indi col ragionamento a trattar di que' latini Poeti, i quali a tempo di Papa LION X, o circa fiorirono; allor quando tutte le belle Arti riſtabilironſi preſſo noi. Tra eſſi il più ſublime luogo al FRACASTORO con ragione attribuiſce, come a colui, il qual ſopra tutti nelle dottrine filoſofiche, e nella poetica elocuzione, con ſicuro paſſo procede. Ei contuttociò delle dovute lodi non froda gli altri valoroſi Poeti di tempo sì fortunato; e di encomj ricolma il PONTANO, il SANAZARO, il VIDA, e parecchi altri.

Entra poi nel ſecondo libro di quell'Opera iſteſſa a ragionar della lingua, e della volgar Poeſia italiana; della divina Commedia di DANTE, della fraſe; del verſo, e della ſapienza di quel ſublime Poeta. Di quì alla Poeſia epica ed a' diſteſi Poemi diviene; il primo pregio aſſegnandone all' ARIOSTO, e al TRISSINO, come a grandi imitatori di OMERO; con increſcimento degli ammiratori del gran TORQUATO TASSO: mercè di cui, per altro, ei francamente afferma, che tutti i foreſtieri Epici lungo tratto noi ſuperiamo (a) ... E, a dir vero, quantunque gli oltramontani Scrittori, che dall' Italia han preſo il meglio, e con i loro ben penſati metodi l' hanno affinato, e abbigliato variamente, commendevoli ſieno per ogni fregio di letteratura; pur tra eſſi ancor non vi è,

chi

[a] GRAVIN. de Diſciplina Poetar. Quamobrem Itali, qui non meo, ſed multorum & quidem doctiſſimorum judicio, ſolo DANTE, atque ARIOSTO, cum veteribus non improbe contenderimus; quique, uno TORQUATO, vincimus exteros, quos in omni Eloquentiæ genere antecellimus: lyrica tamen. Poeſi non minus, quam tragica, utcumque præſtemus aliis; Græcis tamen ac Latinis longo intervallo cedimus . . .

chi abbia inteſſuta una ragguardevole Epopeja, degna di ſtare a fronte alle noſtre, ancor mediocri; checchè in contrario il Sig. Voltaire, *col ſuo Poema della* Lega, *o ſia l'* Henriade, *e col ſuo* Saggio ſulla Poeſia epica, *ſi argomenti: confutato perciò a dovere dal Signor* Rolli, *degno ſcolare del* Gravina (a).

Ragiona ſeguentemente dell' italiana Tragedia, della Commedia, delle Opere paſtorali, della Satira, della ſoaviſſima Lirica del Petrarca, *dell' amor Platonico dell' iſteſſo e de' ſuoi ſeguaci, ſpecialmente nel ſecol decimoſeſto, del maeſtoſo giro e ondeggiamento de' numeri del* Casa, *con tanto di ſagacità e di dottrina, che non vi è per avventura miglior Critico in fatto di Poeſia; in guiſachè va ampio ſpazio innanzi all' iſteſſo noſtro valoroſo Filoſofante e Critico* Lodovico Castelvetro.

Vi è, oltre della Ragion Poetica, *un ſuo compiuto Trattato* della Tragedia, *intitolato al Principe* Eugenio *di Savoja. In eſſo, l'Ariſtotelico giogo certe volte a ragione ſcuotendo, ſvelata la natura e 'l ſubbietto di tal componimento, e l' artifizio dell' antico teatro; ei ſi fa a conſiderare della Tragedia iſteſſa gli argomenti, le parti, i coſtumi, la decenza, lo ſtile, i pregi, e i difetti, al lume degli ammaeſtramenti e degli eſempli de' Greci, che in tali Opere il miglior vanto riportarono (non avendo noi de' Latini, chi a coloro poſſa per alcun verſo pareggiarſi); e quindi de' noſtri migliori Tragici diviſatamente ragiona: contento, riſpetto a' Franceſi, di addurre il giudizio della lor celebre Madama* Dacier, *e del* Rapin, *che i falli ſoventi volte ne additano. Ed in fatti, benchè* Pier Corneille, *il* Racine, *il* Crebillon, *il* Voltaire, *ed altri abbiano del ſommo merito nelle loro Tragedie; pure preſſo alcuni de' medeſimi quel continovo intrigo di men robuſti epiſodj, l'amoroſa leggiadria, e 'l perpetuo impaccio della rima non ben ſi affanno alla maeſtà del coturno. Celebre è tra gl' Ingleſi il tragico Poeta* Shakespear. *A lor giudizio iſteſſo nondimeno ei ſi laſcia rapire da certo entuſiaſmo ſoverchio acceſo; e più regolatamente tra eſſi Tragedie hanno ſcritte i due riputatiſſimi Poeti* Milton, *e* Addisson (b).

Compoſe altresì il Gravina *cinque* Tragedie Italia-

(*a*) *Oſſervazioni* ſul ſuddetto *Saggio*, premeſſe alla traduzione del *Paradiſo perduto* del Milton.

(*b*) Oltre il Poema del *Paradiſo perduto*, ed altri, ſi ha del Milton la Tragedia intitolata il *Sanſone Agoniſta*; e del Segretario Giuseppe Addisson vi è il *Catone*, Tragedia recata in toſcano dal Salvini.

Digitized by Google

ne (a), *le quali ſebbene per la ſentenza, e per gli caratteri abbian del pregio; fu non pertanto in eſſe più Filoſofo, che Poeta; e riuſcirono per lo ſtile, e per la meſcolanza de' verſi, anche ſdruccioli, che ei pensò eſſer ſimili a' giambici de' Greci e de' Latini, non adattate al coturno, ed all' orecchio italiano poco affacenti. Nel che egli da diſio di novità ſi fè trarre. Ogni lingua contuttociò ha ſuo particolar genio e venuſtà: e l' innovare in ſomiglianti faccende deeſi ſempre eſtimar perigliofo; per eſſer gli uomini di ciaſcuna nazione avvezzi a certo ſiſtema di verſi e di armonia* (b).

Queſte ſono l' Opere del Gravina *più e più volte, ancor lui vivente, raccolte ed impreſſe. Molte altre ne laſciò ſparſe e manoſcritte: di parecchie delle quali a formar ſi viene la preſente* Raccolta [c].

Occupa tra eſſe il primo luogo un Trattato del Regolamento degli Studj di nobil Donna e valoroſa, *indiritto alla* Marchesana Santacroce. *In queſto, a guiſa di lettera diſteſo, dopo aver' egli ſtabilita e confermata la neceſſità di certi ſtudj in nobil donna, ſi fa a diviſare, quali mai eſſer debbano, quali i mezi, e quali i libri, per fargli giuſtamente: e maturo giudizio vi ſi ſcerne di quegli Autori, ſieno di Eloquenza, ſieno di Poeſia, d' Iſtoria, o di altro, che ei va proponendo; di modo che ſomigliante Opera, inſiem con quella della* Ragion Poetica, *una compiuta Critica de' migliori Scrittori greci, latini, ed italiani comprende.*

Segue un Ragionamento ſull' Endimione, *componimento drammatico del famoſo italiano Pindaro,* Alessandro Guidi. *Or, quale e quanta ſia la profondità e la perizia nella poetica Facoltà, che il* Gravina *dimoſtra nel diſaminarne le vaghezze, le parti, i coſtumi, il nobile, il nuovo e 'l leggiadro artifizio, dopo averlo dalle più alte idee della Poeſia derivato, voi ben potrete, ſavio Leggitore, agevolmente ravviſarlo.* *Agi-*

(*a*) *Il* Palamede, *l'* Andromeda, *l'* Appio Claudio, *il* Papiniano, *il* Servio Tullio.

(*b*) Del buon guſto nelle Tragedie, che è fiorito, e tuttavia fioriſce nell' Italia, oltre le antiche, tra le quali l' incomparabile *Sofoniſba* del Trissino, fanno immortal teſtimonianza, a tacer delle altre, la *Merope* del Marcheſe Scipione Maffei, Tragedia degna, per quì uſar le eſpreſſioni del Signor Voltaire, de' buoni tempi di Atene, e le gravi e culte Tragedie del noſtro Conſiglier Pansuti; per quì non additare altre ancor degniſſime di viventi Scrittori.

(c) Ragionaſi della mentovata *Raccolta degli Opuſcoli del* Gravina, impreſſa in Napoli nel MDCCXLI

Agita egli poi in una Lettera al rinomato Marcheſe SCIPION MAFFEI , *ſulla* Diviſione dell' Arcadia , *la quiſtione , ſe potean coloro , che dall' Accademia degli Arcadi eranſi diſgiunti , tra' quali ei fu un de' capi e condottieri nel MDCCXI , del nome e delle diviſe degli Arcadi avvalerſi : e 'l fa con sì avveduto accorgimento di ragioni naturali , e civili , che 'l modello ſembra , ſu cui debba formarſi , chi trattar voglia ſomiglianti controverſie .*

Succede un' altra Lettera latina de Diſciplina Poetarum , *ſcritta al* MAFFEI *iſteſſo , in cui , quaſi in anguſta ma ben formata tela , la miglior parte de' ſuoi giudizj nella* Ragion Poetica *eſpoſti , ei riſtrigne .*

Vi ſi leggono altresì le ſue Poeſie Italiane , *che per ora in tre Eglogbe ſon compreſe . Queſte , a diſtinzion delle ſue* Tragedie , *abbondano di numero , di facilità , di cultura , e di eleganza proporzionata a' loro caratteri ; a' quali pure aſcriver debbonſi alcune eſpreſſioni o troppo amoroſe , o che abbian del gentileſimo , e del linguaggio degli antichi Filoſofi e Poeti . Ma quelchè recar debbe maggior maraviglia , ſi è , che argomenti altiſſimi e metafiſici , con ſenſibili immagini , e ſenza uſcir dalla proprietà , in eſſe accoglie , sì ed in tal modo , che ei ſembra , dopo* VERGILIO , *aver ſaputo meglio di ogni altro in iſtile paſtorale coſe ancor grandi , ſenza ſconvenevolezza , trattare .*

Soggiungonſi alcuni culti verſi giambici latini *a* PAOLO MATTIA DORIA , *dedicandogli le ſue Tragedie , al leggiadriſſimo torno di* CATULLO *lavorati .*

Indi la ſua Biblioteca *s' incontra ; ove egli i pochi , ma i neceſſarj libri da leggerſi additando , ne inculca , quanto ſia vero , che , a divenir ſaggio , ſia d' uopo legger molto , ma pochi libri e i migliori . In fatti è sì ſterminata la mole di eſſi , ancor piggiori , ſotto cui di preſente oppreſſo ſi giace , che è divenuta omai una gran quiſtione , ſe danno , o vantaggio le ſtampe abbian recato : dacchè veggiam noi , che in tempi , in cui sì gran copia non ve n' era , e per avere ſcritto a penna qualche claſſico Autore , biſognava venderſi un podere , più culti e più ſcienziati gli uomini divenivano .*

Si è anche ſtimato bene riſtampar quì due Iſcrizioni , *colle quali i ſuoi* Opuſcoli *a Papa* CLEMENTE XI , *e le ſue* Orazioni *al Cardinal* PIGNATELLI *e' dedicò : appunto perchè nell' edizione delle Opere di lui , novellamente fatta in Germania , vedeanſi ommeſſe .*

Era

Era già la preſente Raccolta preſſochè compiuta, allorchè ſi ebbe contezza, eſſervi un gran faſcio di lettere ſcritte dal Gravina *al rammentato Cardinal* Pignatelli. *Or benchè eſſe ſieno di affari, e non già di coſe a ſcienza ſpettanti; pur vi ſi è tra mezo rinvenuto un ſaggio dell' Opera, di primo lancio uſcitagli dalla penna, del* Jus Receptius, *contenente il primo libro. Si ſarebbe tralaſciato di farlo imprimere; poichè eſſo infine altro non è, ſe non ſe un ſemplice abbozzamento. Pure vi ſi è ſcorta preciſione e chiarezza tale, da non riputarſi indegno di correr per Opera poſtuma del* Gravina. *Qualunque produzione de' grandi uomini porta ſeco qualche bel tratto del loro ſpirito. A taluni ſoverchio breve forſe ſembrerà tal libro: contuttocciò, oltre al doverſi riſguardar come un ſaggio; chi è, che non ſappia, che quel che s' inſegna, abbia ad eſſere in riſtretti e fecondi principj compreſo? Oltrechè in tal guiſa doverſi inſegnare i primi elementi della Giuriſprudenza, fu già parere de' migliori Scrittori del Diritto, e del* Cujacio *particolarmente. Sul torno iſteſſo furono dettate dal* Gravina *le* Iſtituzioni Canoniche *e le* Civili, *addattate all' intelligenza de' ſuoi ſcolari, e commendevoli almeno per la diſtinta loro brevità.*

La Lettera Circolare, *che leggeſi ſcritta a nome dell' iſteſſo Cardinal* Pignatelli, *allorchè fu egli eletto Arciveſcovo di Napoli, di tal maturità di ſenſi, tratti dalle Scritture, della più ripoſta dottrina eccleſiaſtica e di ſapienza cotanto abbonda, con tale artifizio è condotta; che ſarebbe ſtata traſcuranza quì non recarla.*

Chiude queſta Raccolta il Teſtamento *del* Gravina, *di cui ſon corſe per Italia, ed oltra i Monti, con tanta avidità di richieſte, le copie manoſcritte; eſſendoſi riputato per una verace norma della brevità e della chiarezza inſieme, con cui dovrebbero i teſtamenti concepirſi; tolte le ſconce formole, onde gli altri ſon ricolmi; e formato a ſomiglianza di quegli, che ne' vetuſti marmi ſi leggono* (a); *e de' quali preſso i noſtri Giureconſulti qualche frammento ancor ſi rincontra* (b).

Speraſi finalmente, che, ſeguitandoſi le ricerche, tutte avvivate dal giuſto oſſequio verſo il nome e 'l merito del Gravina, *debba averſi la*

[*a*] Brisson. *de Formul.* l. vii Veggaſi il Fabretti *Inſcription. p.*404. & *Veter. Juriſpr. Rom. Monum.* preſſo il Terrasson *Hiſtoire de la Juriſprudence Romaine.*

[*b*] Marcel. in L. *ult. D. de Fideicom. libert.*

Digitized by Google

la ſorte di potere fare imprimere l' altre ſue Opere manoſcritte, che ſerbanſi dal Signor METASTASIO, *erede non pur de' beni, ma della dottrina di lui. Ne darò quì intanto l' indice appreſtatomi dalle* Notizie degli Arcadi, *in cui ſono annoverate* (a).

Il ſecondo libro de Romano Imperio Germanorum.

Una Tragedia latina, intitolata AMULIUS.

Un Riſtretto di tutto quelchè è in uſo delle Iſtituzioni, *col titolo*, Jus Receptius (b).

Diverſe Egloghe italiane.

Alcune altre Orazioni latine, *oltre l' impreſſe.*

Un gran novero di Lettere latine (c).

Alcuni Dialoghi italiani.

Vi ſono altresì due ſue Tragedie, da lui medeſimo recate in latino: cioè il PALAMEDE, *e. l'*ANDROMEDA*: e vi è l'* APPIO CLAUDIO *non ancor compiuto; poichè il quarto, e 'l quinto Atto vi manca.*

Fu inſomma il GRAVINA *uom formato nel ſeno della più culta e profonda ſapienza; ed in qualunque ſua Opera proporzionatamente vivaci lumi ei ne ſparge. Chiunque perciò con aſſidua ponderazione* (d) *vorrà rivolgerle, n' eſperimenterà la lettura tutta propria a nodrir la mente, ſenza opprimerla con importuna copia, ſenza abbagliarla con falſo ſplendore di declamatoria eloquenza. Si accorgerà inſomma, eſſerſi il* GRAVINA *perfezionato ſul miglior guſto della più dotta Antichità, ed aver cercato in ogni rincontro pruomuoverne l' amore, perſuaderne l' imitazione, accreſcerne con magnanimo ardore i penſamenti, mercè della maraviglioſa forza del ſuo ingegno e della ſua facondia: vigoroſo mezzo per eſſer veracemente ſavio, e non averne il vano faſto dell' apparenza.*

DI

[*a*] T. I art. LXIX.

(*b*) Si ſono in queſta edizione riſtampati *Receptioris Juris Specimen, &* *Inſtit. Juris Receptioris lib.* IV. Del merito contuttociò del GRAVINA, e di ogni altro valentuomo formar biſogna compiuto giudizio ſulle Opere, che da loro ſteſſi furono date a luce.

(*c*) Se ne ſono quì riſtampate alcune, tratte dalle latine *Epiſtole* di EMANUEL MARTINI, impreſſe in Roma nel MDCCXXXVIII.

(*d*) L. ANN. SENEC. Epiſt. II: *Certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, ſi velis aliquod trahere, quod in animo fideliter ſedeat.*

Digitized by Google

Digitized by Google